
11

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
8
6 M A
18

Digitized by Google

H I 7

Digitized by Google



H
VE.mi P. FRIS NICO LAI RODVLPHY SAC
ET APOST
OLICI PA
LATY
MAGISTRI ORDINIS PRÆ
DICATORVM
ANNO 1623
SOCI
LIS ET
GENE
ATOR
BISCIO
ER ANDREAS

COMPENDIOSA VETERIS ORTHODOXÆ FIDEI DEMONSTRATIO,

CVM ANTITHESIVM QVARVNDAM SOLVTIONIBVS; PVCLHERRIMIS aliquot iucundiſſimarum hiſtoriarum exemplis, de huius ſeculi hæreticorum moribus ac conuerſatione, inſtructa:

PRIMO QVIDEM A REVERENDO P. FRANCISCO COSTERO, SOCIEtatis IESV *Theologo, Belgicè edita:*


Nunc verò à Fr. THEODORO PETREIO Campenſe, COLONIENSIS Carthuſiæ alumno Latinitate donata.

Ex Libris R. P. F. Andreæ Biſcioni.

COLONIAE AGRIPPINAE,
In Officina Birckmannica, ſumptibus Hermanni Mylij.
ANNO M. DC. VII.
Cum Gratia & Priuileg. S. Cæſareæ Maieſt.

Capuccinorum Romæ.

Digitized by Google



Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO, AC REVERENDISSIMO DOMINO, D. ATTILIO AMALTHEO, ATHENARVM ARCHIEPISCOPO, SANctiſſ. Domini Noſtri Papæ, PAVLI V. Sanctæque Sedis Apoſtolicæ per Rhenanum tractum, ac inferioris Germaniæ partes, cum poteſtate Legati de Latere NVNCIO, Domino ſuo Clementiſſimo.

SCRIPSIT *ante annos non multos, Illuſtriſſime ac Reuerendiſſime Domine, pius ac venerandus Societatis* IESV *Theologus, P.* FRANCISCVS COSTERVS, *vir ob eruditionis, ac virtutum merita, toti ferè Eccleſiæ notiſſimus, idiomate Belgico quandam Orthodoxæ fidei Compendioſam demõſtrationem: mul-*

tis non modò inuictis argumentis, ſed & iucũdiſſimarum exemplis hiſtoriarum egregiè inſtructam. Quam cum amici nõnulli dolerent tantum non iacere in tenebris, ac ſolis Belgij limitibus, quouſque linguæ eius vſus ſe extendit, definitam, ac circumſcriptam contineri; id à me modis omnibus contendêre, vt eam Latinitate donatam, Vniuerſæ Eccleſiæ, magno bono publico communem facerem. Non detrectaui onus, ab ijs præſertim vel impoſitum, vel commendatum, quibus nihil quod vitæ inſtituto non repugnaret, poteram denegare. Itaque ſucciſiuis horis cœpi, quemadmodum res ſuccederet, periculum facere: Deinde verò orſam hoc pacto telam, paulatim pertexui; ac (quod aiunt) ad vmbilicum deduxi: aſpirante proſperam gratiæ ſuæ auram Illo, qui reſerat ora mutorum, & linguas infantium facit diſertas.

Cæterùm, cùm operi iam abſoluto Patronus aliquis, de more iam pridem recepto, adſciſcendus foret; ſtatim pri-

mâ

Digitized by Google

mâ fronte occurrit Illuſtriſsima ac Reuerendiſsima Celſitudo Veſtra: cuius incredibilem, ac planè ſingularem, non modò in Ordinem, ac Conuentum hunc noſtrum, ſed & in me particulatim non ita iam pridem expertus ſum affectum. Tantam etenim abiectis tenuitatis noſtræ tenebris, clariſsimæ ſuæ Beneuolentiæ lucem inferre dignata eſt, vt citius caligine quadam interiorum acies oculorum hebetata ſit, quàm valuerit inuſitatum illum inſolitæ Benignitatis ſplendorem, infirmis obtutibus comprehendere.

Habent nimirum hoc alta illa ac generoſa pectora, vt potius ſe ſuæ inſitæ honeſtatis amplitudine, quàm aliorum, quibus conſultum volunt, anguſtijs metiantur. Hinc ad benefaciendum omnibus, ad benè merendum de ſingulis, non aliqua vtilitatis ſpecie, non lucri turpis odore, ſed ſola honeſti imagine, ſolo virtutis candore, intimis animis commouentur.

Talem in Illuſtriſs. ac Reuerendiſs.

Celſit. Veſtra genium, eiuſcemodi inda-lem, & qui norunt ante, ſummâ cum laude deprædicant; & qui primum ex-periuntur, maximâ cum admiratio-ne obſtupeſcunt. Videntur enim ſibi videre aliquem priſci illius, ac inte-merati ſeculi Virum: qui vt olim Ve-teres illi, naſcentis Eccleſiæ exordia ſuâ maturitate commendarunt, ita ſeneſcentis iam debilitatem ſuo virili robore ſuſtentare poſſit, velit, ac va-leat. Quique heroicum illum Roma-næ ſinceritatis ſanguinem non quibuſ-dam fucatis coloribus adumbret, ſed clariſſimis maximarum virtutum in-ſignijs exornet, illuſtretq́.

Vnde ſibi merito vniuerſus hic Rhe-nanus, ac inferioris Germaniæ Tra-ctus, gratulari atque applaudere po-teſt, ſe talem à Sanctiſſ. Sede Apoſto-lica nactum Virum, cuius humanitas tanta eſt, vt omnes vel primo aſpectu non alliciat modo, ſed rapiat, ſed in-flammet. Cuius verè Germanum can-dorem, nullus vnquã deſiderare queat. Cuius Prudẽtia ac Maturitas tot gra-

uiſſi-

uiſſimis actionibus, tot difficillimis legationibus teſtata eſt, vt nemo poſſit in controuerſiam reuocare, qui vel per tranſennam inſpexerit.

Neque enim hic primus eſt campus, hæc prima area, in qua virtutis ſuæ ſpecimen aliquod Illuſt. Celſitudine Veſtra editura ſit. Habet namque iampridem compertum Roma, nouit Italia, Tranſiluania, Gallia, quemadmodum ſeſe in Eccleſiaſticis curis, Apoſtolicisq́; obeundis negocijs geſſerit, qualem ſe exhibuerit. Quippe qui poſt nauatam virtuti ac literis operã, Gregorio XIII. cui æternum debet Germania, ad decennium à ſecretis, varijs deinde negotijs adhibitus, plurimas legationes deſiderato planè ſucceſſu obierit. Primum quidem à fœlicis recordationis Clemente Papa VIII. ſub initium Pontificatus ſui, ad Tranſiluaniæ Principem in rebus maximè arduis ablegatus. Deinde paucis pòſt annis, quando idem Clemens Pontif. Max. numeroſas militum copias in ſubſidium Imperatori contra Turcã ſubminiſtrabat,

 Vien-

Viennam Auſtriæ ſummo cum honore, eiuſdem Pontificis nomine deſtinatus. Vnde non ita ſtatim redux in Vrbem factus eſt, quin in Gallias ſimul cum Cardinale Alexandro de Medices, qui pòſt fuit Leo Papa XI. Pacis componendæ cauſſa Catholicum Regem inter & Chriſtianiſſimum deſtinaretur. Quâ fœliciter confectâ, non exiguam laudis eius portionem, quæ Cardinalem Medicæûm tunc temporis contingebat, communibus bonorum ſuffragijs eſt adeptus: adeo vt non ſine cauſſa SANCTISSIMVS DOMINVS NOSTER PAVLVS PP. QVINTVS, *haud quaquam vulgaris ingeniorum virtutumqúe æſtimator, conſideratis tam præclaris, in vno pectore animi dotibus, eius Viri operâ ſibi hiſce in partibus ad Septentrionem, & glacialem illam hæreſeῶs plagam ferè extremis, vtendum cenſuerit. Cuius equidem dexteritate fideles in ſuſcepto auitæ Religionis ſtudio fouerentur, imbecilliores confirmarentur, nutantes erigerentur; omnes denique iuxta varias vitæ in-*

tæ inſtitutíque conditiones , ſecundum eam, quæ à Sanctiſsimis Orthodoxis Patribus profecta eſt, veterem Eccleſiæ diſciplinam , in officio continerentur.

Gaudeat igitur iam ſummâ cum exultatione terra noſtra, tanti Antiſtitis illuſtrata præſentiâ. Gaudeat & nobiliſsima vetuſtiſsimáque Amalthea familia , magnum Foroiulienſis Prouinciæ ſydus : quæ tantorum parens fæcunda Virorum, velut alterum Amaltheæ cornu (liceat huc alludere) vberrimam virtutum copiam , omnigenas ingeniorum opes , fructus bonarum mentium diuerſiſsimos, in Orbem copioſiſsimè effudit.

Neque verò parum hinc lucis opella hæc noſtra mutuabitur , quod eius Viri patrocinio ac tutela commiſſa ſit , qui Catholicæ defenſor Religionis , ac Sacrorum hiſce in regionibus præſes Supremus exiſtit. Abſit enim vt cuiquam in mentem veniat ſuſpicari , voluiſſe me hac dedi-

catione honorem aliquem veſtro Illuſtriſsimo nomini conciliare; quod talibus nequaquam (vt cum Seneca dicam) indiget honeſtamentis. Mihi ſanè nihil aliud propoſitum fuit, quàm grati animi ſignificationem aliquam, debitæq́; obſeruantiæ reuerentiam hoc pacto publicè teſtatam relinquere. Atque vtinam aliud quid ad manum fuiſſet, paulò luculentius aut dignius, quo idipſum facere conuenientius licuiſſet. Tantum non enim pudet huius tam tenuis oblationis: quam etiam non exhibuiſſem, niſi fidelium grauiumquée amicorum, ac in primis Venerabilis Patris noſtri Prioris, nec non & Clariſsimi Conſultiſſimiq́; Viri, D. Godefridi Suelliј, integerrimi Celſitudinis Veſtræ (vt vocant) Auditoris; mihi iã olim ſingularis amicitiæ ſtudio coniunctiſſimi, conſiliјs hortationibuſqúe erectus, animatuſqúe fuiſſem.

Spero itaque benignâ fronte ab Illuſtriſſ. Celſit. Veſtra leuidenſe hoc munus, quod candido prorſus animo pro temporis huius neceſsitate offertur,

ſuſcep-

Digitized by Google

ſuſceptum iri. Ita Deus Opt. ter Maximus, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum, Illuſtriſsimam ac Reuerendiſſ. Celſitudinem Veſtram cæleſtis gratiæ muneribus, ac temporalis incolumitatis beneficijs magis magisq́; augeat, proueh atq́;. Ex Carthuſia Colonienſi, Anno poſt Chriſtum natum 1607. octauo Kalendarum Aprilis, qui dies cæleſti ad Virginem nuntio ſacer eſt.

Illuſtriſſ. ac Reuerendiſſ.
Celſitudinis Veſtræ

humillimus
clientulus

F. THEODORVS
PETREIVS Carthuſianus.

APPRO-

Digitized by Google

APPROBATIO CENSORIS.

PRęſens hoc opus Belgicè olim conſcriptum à R.do P. Francisco Costero, Doctore Theologo Societatis Iesv, nunc verò à R.do P. Fr. Theodoro Petreio, Campenſe, Carthuſiæ Colonienſis alumno, latinitate donatum; dignum iudico, vt typis mandetur. Datum Coloniæ in Conuentu FF. Prædicatorum, ipſo die S. Seuerini, Anno Domini milleſimo, ſexcenteſimo, ſexto.

F. Gisbertvs Spechtivs,
Apoſtolicus Inquiſitor, & Prior Coloniensis, Ordinis S. Dominici.

Digitized by Google

SVMMARIVM PRAEFATIONIS.

I. *Hæreticorum omnium mores deſcribuntur.*

II. *Duo Chriſtum ſuppeditaſſe media, vt falſa dogmata à veris diſcernantur.*

III. *Horum primum eſt, quod Chriſtus Petro, eiuſq; Vicarijs, opem ſuam pollicitus ſit, vt nunquam à fide deficiant.*

IV. *Annorum mille & quingentorum experientia.*

V. *Quænam mendacia de Pontificibus comminiſcantur hæretici.*

VI. *Alterum medium eſt, Eccleſiæ Catholicæ doctrina.*

VII. *Regula certiſſima, vt nunquam in fide quis erret.*

VIII. *Quæ commenta hæretici omnes de S. Eccleſiæ doctrina excogitent.*

IX. *Negant Chriſtum & Spiritum Sanctum ſuæ adeſſe Eccleſiæ.*

X. *Tria omnibus hæreticis communia.*

XI. *Exemplaris demonſtratio noſtræ ætatis hæreticorum.*

XII. *Priſcæ ætatis hæreticorum exempla.*

XIII. *Simplicem Scripturæ textum, non præbere ſufficiens veritatis diſcernendæ teſtimonium.*

XIV. *Quæ huius libri cauſſa.*

XV. *De duobus Catalogis, Patrum ſcilicet & Conciliorum.*

XVI. Cur

Digitized by Google

XVI. *Cur hoc loco aliquot hiſtorias de hæreticorum moribus ac conuerſatione, in mediũ proferantur.*

XVII. *Antiquæ, Apoſtolicæ, Catholicæq́; fidei perpetuò adhæreſcendum.*

XVIII. *Nullos vnquam hæreticos gentilium conuerſioni operam nauaſſe.*

XIX. *Falſum eſſe, quod Arriani Gothos conuerterint.*

XX. *Quam flagitioſam vitam Hugonotæ in Braſilia duxerint.*

XXI. *Auctoris antagoniſtam in excogitandis mendacijs eſſe frequentiſſimum.*

XXII. *Propriæ, vt olim Lutherus, reluctatur conſcientiæ.*

XXIII. *Impudens eiuſdem audacia.*

XXIV. *Hortatur eum auctor, vt cordatius diſtinctiúſq; ſi poteſt reſpondeat.*

PRAE-

Digitized by Google

PRAEFATIO AD LECTOREM.

OMNIBVS hoc innatum eſt hæreticis, vt nouis excogitandis figmẽtis, priſcę ętati inauditis, ſedulam ſemper nauẽt operam, eademq́; pro puro putoq́ue Dei verbo, atq; adeò Apoſtolica doctrina rudi vulgo obtrudant, calumniantes interim ceu multis obfuſcatã nęuis Catholicæ fidei ſynceritatẽ. Qui vt opiniones ſuas plauſibilius populo perſuadeãt, tenebris ſeſe potius abdere ſtudẽt, quam in lucem prodire: quatenus vel ſic voto potiantur ſuo. Neque enim caput exerere, atque ad probationem comparare audent: Quippe qui nouas potius adinuentiones, quam diuina dogmata proferunt, atque ideo non ijs clariſſimis à Chriſto nobis traditis vtuntur medijs, quibus veritas rite queat cognoſci; quin potius ea, ſicut humana quæpiam commenta odio habent & deteſtantur, adeo, vt, quo clariora ſunt, ea vehementius exſibilent & explodant, hoc vnum ſtudentes, vt velut ipſi, ſic & cæteri omnes ea cõtemptui habeant. Horũ autẽ loco tenebroſa quædã,

neque

Digitized by Google

neque Chriſto vſitata, neque Apoſtolis cognita probationum media ſubſtituũt.

II. Chriſtus verò æterna patris ſapientia, non ignorans multos pſeudoprophetas & falſos doctores exorituros, qui verbum Dei fidemq; Catholicã hæreticarũ opinionum cõmentis adulterarent, duo potiſſimũ ſuę Eccleſię prę ſcripſit media ſacris conſignata literis: ad quæ ceu ad Lydios lapides, omnes cõferrentur doctrinæ. Quibus etſi iam mille & quingẽtis annis vſa ſit Eccleſia, nunquam tamẽ ſua fruſtrata eſt ſpe, ſemper enim & vbique deprehendit ſe hiſce duobꝰ certiſſimis adhibitis medijs, opiniones omnes falſas à veris clarè diſcernere potuiſſe.

III. Horum autem medium primum eſt, Romanus Pontifex, verus ſcilicet Chriſti in terris Vicarius ac legitimus Petri ſucceſſor, cui Chriſtus ad ſuæ conſeruationem Eccleſiæ, rerumque controuerſarum expeditam reſolutionem, præſentem diuinæ ſuæ gratiæ pollicitus eſt opem, adeo vt nunquam in hæreſim vllam ſit prolapſurus, aut alia præterquam Orthodoxæ fidei dogmata ſubditis ſuis traditurus. Hoc enim innuunt illa, quæ Petro ſoli locutus eſt verba, dicens: *Tu es Petrus, & ſuper hãc petram* (*Matt. 16.*)

ædifi-

ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebũt aduerſus eam. Itemque: *Ego pro te rogaui Petre vt non deficiat fides tua.* Satis enim hic Chriſtus indicat ſe Eccleſiam ſuam ſuper Petrum fundaſſe, non quaſi ſuper hominem mortalẽ, ſed ſuper ſoliditatem fidei eius, quæ nullo vnquam tẽpore collapſura eſt. Vnde veteres omnes quotquot fuerant Catholici doctores, exſurgẽte hęreſi quapiam nouas opiniones docẽte, ſemper ad Romanam Eccleſiam oculos animumq́; conijciebãt, percontantes ſi tale quidpiam illic aliquandò obſeruatum traditumq́; fuiſſet. Hoc nobis faciendum præſcripsêre Irenæus, Tertullianus, Optatus Mileuitanus, Auguſtinus, Hieronymus, alijq́; cõplures, prout in hoc libro latius demõſtrabitur. Quod quidem magni profectò beneficij loco habendum. Voluit enim hac ratione Chriſtus Eccleſiæ ſuæ quàm optimè conſulere, proſpiciendo illi de idoneo aliquo præſide, ac generali omniũ capite, cui quiſquis tãquam fidele membrum inhæreret, errare vel à fide deficere omnino non poſſet. *Luc. 22.*

IV. Docuit hoc mille quingentorum annorum experientia, qua compertum eſt, nullum Romanorum Pontificum vllam

in rebus fidei mutationẽ, nouationemq́; introduxiſſe, vel à recta veritatis ſemita vnquã aberraſſe. Semper enim Romani, eãdem illam quam ſub prædeceſſoribus Pontificibus fidẽ profeſſi ſunt, etiã ſubſequentium tempore tenuerunt. Cęterę quidem omnes Patriarchales ſedes, ſuos ſubinde habuere hæreticos Epiſcopos, veluti Cõſtantinopolitana: Macedoniũ, Neſtoriũ, Sergium, hæreſiarchas; Alexãdrina: Georgium, Lucium, Arrianæ hæreſeos imbutos labe, Dioſcorum item & Cyrum; Antiochena: Paulum Samoſatenum hæreſiarcham, Petrum Gnaphæũ, Machariam; Hieroſolymitana: Eutychium, Ioannem, Irenæum, Hilarium Arrianos. Sola verò Romana nulli vnquam ſuccubuit labi; quippe, *in qua*, Ruffino teſte, *nulla hæreſis ſumpſit exordium*, & *ad quam* vt Cyprianus loquitur, *perfidia acceſſum habere non poteſt*. Pro quo, veluti pro ingenti in nos collato beneficio, grates merito condignæ Chriſto eſſent agendæ, qui hoc ſalutari remedio, ab omni errorum periculo tutos nos atque incolumes conſeruat.

Expoſ. in ſymbolum epiſt. 55.

V. Neq; verò id vel noſtrę, vel ſuperioris ætatis latet hæreticos, qui ad oculum vident, non poſſe tam verſutam irrepere hære-

hæreſim, quin hac ratione facillimè deprehendatur, damnetur, extirpetur: atq; ideo pro viribus adlaborãt, vt omnes ab hoc Chriſti vicario alienos reddant, dicentes & quaſi pro verbo Dei inculcantes, quod ipſiſſimus Antichriſtus ſit, qui ſe Chriſto præferat, eius fidẽ immutet, nouos articulos pro arbitrio cõdat, pro Deo ſe colendum offerat, imò centeni aliquot in Saxonia reperiuntur adeo à Lutheranis concionatoribus dementati, vt Pontificem Romanum nihil aliud quam dracoñe quendã eſſe exiſtiment, qui ſublimi in ſella cõſtitutus à Papiſtis pro Deo colatur atq; adoretur. Vnde accidit, vt non ſine ſtomacho vel cachinno Põtificis nomẽ aut eloqui, aut audire valeant. Atque hæ gratiarum ſunt actiones quas Chriſto rependunt, vt ſcilicet eius exſibilẽt, deteſtenturq; Vicarium; quem nõ ſolum nobis benigne ad regẽdum donauit, verùm etam talibus dotibus exornauit, vt vel vacillare vel in ſynceræ fidei conſtantia alijs tradenda, errare nullatenus poſſit.

Alterum medium eſt: ipſa Sancta mater Eccleſia, de qua Chriſtus: *Si quis Eccleſiam non audierit, ſit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus*. Paulus autem *columnã* VI. *Matt. 18.* *1. Tim. 3.*

 & fir-

& firmamentum veritatis eandem appellās, apertè indicat Catholicam Eccleſiā nulli obnoxiā errori, adeo vt rectiſſimè dixerit B. Auguſtinus, *inſolentiſſimæ eſſe inſaniæ, dubitare aut diſceptare de ijs, quæ per orbem vniuerſa frequentat Eccleſia*. Prodeunte ergo in medium nouo quopiam doctore, examinandus erit, atq; ad hunc Lydium lapidē probādus: qui ſi vel peregrina dogmata hactenus inaudita proponit, vel ea, quæ vbique in vſu ſunt, redarguit, pro pſeudopropheta meritò habendus erit, imò pro hæretico, impoſtore, fure, lupo, animicida. Etenim tam eſt conſummatæ perfectionis S. Eccleſię doctrina, vt noua aliqua additione opus non habeat. Vnde ſcitè admodum Vincentius Lerinenſis, *dicas*, inquit, *nouè, non noua*. Hoc eſt nō tibi licet nouarum rerum portēta proferre; etſi nonnunquam cōcedatur, vt antiquę fidei dogmata, nouo aliquò explicationis genere, ad priſtinæ veritatis normā reuoces, vtpote nouis vel probationibus, vel ſimilitudinibus rationibuſq;, quo apertius intelligāt id, quod antiquitus acceperāt: *Nihil enim aliud*, inquit idē Vincentius, *pietatis ratio admittit, niſi vt omnia, quæ fide à Patrib⁹ ſuſcepta ſunt, eadē fide filijs cōſignentur: noſq; religionē non qua volumus duce-*

Epi. 118. ca. 5.

Cap. 27. in fine.

Cap. 9.

Digitized by Google

ducere, ſed potius qua illa ducit, ſequi oportet.

Quod vt melius aſſequamur, nõ minus VII. inſignem quam infallibilem nobis præſcribit regulam, dum iubet nos ſequi *V-* Cap. 3. *niuerſitatem, Antiquitatem & Conſenſionem, ſequemur autem Vniuerſitatem hoc modo: ſi hãc vnã fidem veram eſſe fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur Eccleſia. Antiquitatẽ verò, ita: ſi ab his nullatenus ſenſibus recedamus, quos ſanctos Maiores & Patres noſtros celebraſſe manifeſtum eſt. Conſenſionem quoq; itidem: ſi in ipſa vetuſtate, omnia vel certè pene omnia Sacerdotũ pariter & Magiſtrorũ definitiones ſententiasq́; ſectemur. Hoc eſt enim verè proprieq́; Catholicũ eſſe, tenere ſcilicet id, quod* VBIQVE, *quod* SEMPER, *quod ab* OMNIBVS *creditum eſt. Quod ſi verò aliqua ſe* Cap. 4. *Eccleſiæ particula ab vniuerſalis fidei cõmunione præciderit, vel certè ciuitatis vnius, aut etiã prouinciæ alicuius error deprehẽdatur: tũc omnino curabit, vt paucorũ temeritati vel inſcitiæ, ſi qua ſunt, vniuerſaliter antiquitus vniuerſalis Eccleſiæ decreta proponat.* Itaq; cum graſſante hac Lutherana ac Caluiniana hæreſi, à fide deſciuerit Anglia, Dania, alięq́; nonnullæ prouinciæ, adhæreſcendum nobis maiori ac ſaniori parti. Si verò etiã maior pars in fide nutet, atq; erroneã tueatur ſententiam: vt olim Arianiſmus (pro

cuius defenſione acriter decertabāt Imperatores) totum ferè infecerat orbem, tunc iſti inhærēdum erit religioni, quæ ante hanc labem apud maiores in vſu fuit. Diſſentientibus autem inter ſe doctoribus, videndum nobis, vt iſti doctrinæ adhæreſcamus, quam maior pars diuerſis in regionibus profitetur: non enim pro fide Catholica habendum, quod vnus aut alter aſtruit, ſed quod à pluribus conformiter perſeueranterq́; traditur. Et olim quidem B. Cyprianus cum nonnullis Africanis Epiſcopis rebaptizari hæreticos vrgebat, alijq́ue ſuas peculiares defendebāt opiniones: Quorum tamen veſtigijs nobis inſiſtendum non eſt; ſed potius ſedula mente pertractandum, quid Eccleſiarum præſules vniformiter atque irreprehenſibiliter ſuis tradere ſubditis ſoliti ſubſint.

VIII. Verum enimuerò hanc examinandæ veritatis regulam omnes paſſim ſubterfugiunt hæretici, qui vt ſuis idem perſuadeant ſucceſſoribus, falſò comminiſcuntur omnes Catholicorum traditiones meras tantum humanas eſſe inſtitutiones, Pontificumq́ue figmenta, qui eas fallaciter pro Dei verbo populo obtrudant: quibus qnidem paulatim ſucreſ-

creſcentibus adeò nunc Romanam obfuſcatam eſſe Eccleſiam mentiuntur, vt ſit quaſi Babylon quædam, id eſt rerum omnium confuſio, nihil interim inter Apoſtolicas traditiones & humanas adinuentiones diſcriminis faciẽtes.

Sed ô filij hominum, vſquequô diligitis vanitatem & quæritis mendacium? cur Sanctam Eccleſiam promiſſis Dei ſpoliatis? cur Chriſti præſentiam illi ſubtrahitis? cur S. Spiritus gratiam eidem adimitis? Si tantum ſimplex ac vulgaris quædam eſſet congregatio, quæ nihil diuinæ in ſe haberet gratiæ, merito poſſetis vereri, ne præceps in errorem prolaberetur, paulatimq; à ſua deſciſceret doctrina, ac profanis nouitatibus contaminaretur, tandemq; à fidei ſinceritate omnino deſciſceret, prout hæreticis omnibus cõtingit, qui de vno errore paſſim in alium tranſuerſim acti, in tam profundam vitiorum omnium demerſi ſunt voraginem, vt plerique eorum in atheiſmum inciderint, ſine Deo, ſine fide, ſine religione. Verum quia Chriſtus huius S. fundator Eccleſiæ, ita eam ſuis ſtabiliuit promiſſionibus, vt nullo vnquã tẽpore interitura ſit, ſed omnem veritatem à Spiritu S. IX.

ſemper hauſtura, adeo vt nulla pruden-
tia, nulla quantumuis magna violentia
eam ſit labefactatura, eam ob rem in hac
Eccleſia non tam quod humanum eſt cõ-
ſiderare oportet, quam Deum ipſum, qui
eam regit, defendit, inſtruit, ſartamque
tectam conſeruat.

X. Hæretici verò, duobus hiſce veriſſi-
mis repudiatis medijs, noua quædã nuſ-
quã audita excogitarunt, tria potiſſimũ
ſummo ſtudio aſſeuerantes: *Primo* quidẽ
omnia ad ſalutẽ neceſſaria diuinis con-
ſignata eſſe monumẽtis adſtruũt, adeo vt
quicquid his non cõtinetur, ijs ſtandum
non ſit. *Secundo*, ſingularem ac nouam a-
liquam ſibi fidem fingunt, eiq; vt aliquo
eam veritatis teſtimonio communire vi-
deantur, ex ſcripturis pallium & patroci-
nium quærunt, ſi fortè verbulũ aliquod
inde queãt elicere ſuis cõforme prauita-
tibus. *Tertio*, his ita peractis, ſedulò ſcru-
tantur, ſi quid iſtic contrarium reperia-
tur, quo ne opprimantur conuincantur-
que, vel ſcripturam ipſam tanquam mi-
nus autenticam reijciunt, vel nouitia ali-
qua explicatione deprauant, non conſi-
deratis interim genuinis Sanctorum Pa-
trum expoſitionibus. Quod quidem ex-
emplis confirmare licet.

Nam

Nam Lutherus cum ſuis excucullatis XI.
monachis propoſitũ habebat, voto caſtitatis profligato, impuras ſibi iungere fęminas, neq; id ſolùm, ſed & ieiuniũ contemptui habere, cæteroſque abſtinentiæ dies, nihil affectuoſiùs deſiderantes; quá vt in omni libertatis genere, ſine vlla bonorum operum exercitatione, ſecuriſſimè volutarentur. Hęc vt ſecuriùs agerẽt, citra vllum conſcientiæ remorſum, nouum exagitarunt dogma, dicẽtes: 1. Monachos ac Sacerdotes oẽs ad matrimonium obligatos. 2. Ieiunium ac ciborũ delectũ nullatenus neceſſariũ. 3. Solam fidem, ſine bonis operib⁹ iuſtificare. Quæ cum apud Catholicos hactenus inaudita atque inuſitata eſſent, vtpotè, abſurda, falſa, improba; quo poſsẽt aliquo probabili ſaltem veritatis fuco, ea palliare, ſcripturas, quibus nemo auderet obluctari, vtpotè digito Dei exaratas, adinuenerũt. Quas excutientes, ibidẽ apud Paulum inuenerunt, quo primum ac ſecundum articulum conueſtirent: *In nouiſſimis tẽporibus diſcedent quidam à fide: attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, prohibentes nubere, & abſtinere à cibis quos Deus creauit, ad percipiendum cum gratiarum actione*. De tertio autem videtur idem loqui *1. Tim. 4. ver. 1.*

 ad Ro-

Roman. 3. ver. 28. ad Romanos, dicens: *Arbitramur iuſtificari hominē per fidem, ſine operibus legis.* Verùm enimuerò, quia nonnullæ contrariæ extant ſcripturæ, eas inter ſe conciliare nituntur, vel, ſi id fieri non poteſt, reijcere. Sic enim cùm B. Iacobi epiſt. legit Lutherus, quam quia ſibi ex diametro obſtare animaduertit, tanquam ſtramineā, & Apoſtolico ſpiritu indignam irriſit, contēpſit, exploſit. Si verò Catholicorū quiſquā primo ſeſe opponat articulo, Pſalmiſtā allegans, qui ait, *Vouete & reddite Domino Deo veſtro oēs, qui in circuitu eius adfertis munera*; vel ſi Chriſti ipſius verba, quibus dicit *Apoſtolos ieiunaturos cū ab ipſis auferetur ſponſus*, ſecundo objiciat articulo, mox peregrinā quandā, ſuæ cōformē opinioni expoſitionē, proferunt, ne omninò tacere, ac hoſti victoriæ palmam cōcedere videantur. Neganti autē huiuſcemedi expoſitionē vel Sanctis Patribus cognitā, vel diuinis ſcripturis cōformem, aut Apoſtolicæ traditioni innitentem, ſtatim aggerunt, veteres omnes homines fuiſſe errroribus varijs obnoxios, Traditiones verò Pontificum eſſe commenta, qui eas ſimpliciori-bus pro doctrinis Apoſtolicis vendiderunt.

Pſalm. 75.

Matth. 9.

Quem-

Digitized by Google

Quemadmodum aũt in his tribus ſeſe XII.
habent articulis, ita in omnibus ſuis ſcriptis faciunt. Neq; id ſolũ noſtris cómune eſt Lutheranis, verũ etiã cunctis antecedentium temporũ hæreticis, qui nouitiã aliquam excogitarunt doctrinã, petitis hinc inde à ſcripturis ſententijs nonnullis, quibus errores cõſtabilirent ſuos. Nulla enim tam falſa, tamque abſurda poteſt eſſe opinio, quæ non aliquo ſcripturæ prætextu queat palliari. Sic olim Manichæi dicentes Chriſtum eſſe Solem quotidie nos illuminantem, è diuinarum literarum codice proferebant Saluatoris verba dicentis: *Ego ſum lux mundi*: Circumcelliones verò ſibi ipſis necem intentantes, affirmabant ſcriptum eſſe: *Si quis perdiderit animam ſuam*, id eſt, vitam, *propter me, in vitam æternam inueniet eam.* Noſtro autem ſeculo Argentorati quidam Chriſtum in cruce deſperaſſe populo perſuaſit, atque ideo damnatum aſſeruit, quippe qui ſpiritum emittens clamarit: *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me*. Et mihi quidem ipſi Gandaui in Flandria, cum fœmina negotium fuit, credente CHRISTVM ſolum DEI viui eſſe filium, eius interim paſſionẽ & incarnationem,

Ioan. 8.

Matth. 16.

Matt. 27.

non

Digitized by Google

non minus quam Sacramentorum omnium inſtitutionem inficiante. His etenim, vt aiebat, verbis, quemadmodũ Petrus Chriſtum placauit, eique fecit ſatis, ita & ego eundem placatura ſum.

Matth.16.

XIII. Ex harum ergo abſurditatum inconueniẽtia ſatis ſuperq; liquet, nudum ſcripturæ textum non poſſe eſſe normã aut iudicem controuerſiarũ fidei & religionis Chriſtianæ. Vnde cùm Chriſto Domino conſtaret, quàm diuerſa hæreſum portenta in orbem aliquando eſſent inuehenda, non ſatis Eccleſiæ proſpexiſſet ſuæ, ſi non melius eidem conſuluiſſet: atque ideo rectè admodum Patres iam olim monuerunt, vt quando cum hæreticis in arenam deſcendendum, deq; fidei negotijs confligendum eſt, nõ tam ſcripturarum textum in medium proferamus, quàm antiquę fidei ab Apoſtolis introductæ, atque ab auis proauiſque ſemper obſeruatæ, inuiolabilem conſtantiam. Hac enim ratione futurum, vt eorum commentitiæ doctrinæ, pro nouis, falſis, atq; adulterinis opinionibꝰ, hominumq; adinuentionibus, ad nihil aliud, quã ad Chriſtianę religionis, fideiq; Orthodoxæ extirpationem facientes, ab omnibus habeantur. Et quanquam hunc diſce-

diſceptandi modum magnoperè hæretici omnes exoſum habeant, quippè qui ſe à conſtanti antiquę atque vniuerſalis Eccleſiæ obſeruatione grauiter premi conſpiciunt, atque ideo reluctari conantur, dum Scripturarũ lacinias hinc inde malè conſutas, auxilio ſibi futuras confidunt, inſtanter tamen vrgendi ſunt, vt quando & à quo Apoſtolicæ doctrinæ ſinceritas primum ſit immutata, demõſtrent; tamquam bellè illorum doctrina cum Apoſtolorum Sanctorumque omnium Patrum ſcriptis conueniat, ediſſerant, ne tanquam noua exibilari debeat.

Et quidem ante annos octo id ipſum octo quam breuiſſimis Propoſitionibus præſtiti, conuenientibus nimirum omnium temporis noſtri ſectarum inauditas nouitates. Quibus anonymus quidã aliquot indoctas ineptaſque antitheſes oppoſuit, quæ huius mihi ſcriptionis anſam præbuêre, non tam vt inſulſo huic homini (cuius ſtupidæ plumbeæq; obiectiones, riſum potius quàm reſponſum merentur) ſcribẽdo ſatisfacerem, quàm vt noſtræ religionis aſſeclas, in Catholicæ fidei ſoliditate erudirem, vacillantes autem conſolidarem; quippè qui ad oculum hîc cõſpicient, & quaſi manibus cõtrecta- XV.

trectabunt, quam pulchrè quamque ac-curatè nobis Catholicis in fide conueniat, non ſolum cum Chriſtianis omnibus, qui ante quingentos, ſexcentos aut ſeptingentos vixêre annos, verùm etiam cum S. Eccleſiæ doctoribus, qui ſtatim ab ipſa Apoſtolorum ætate ſcriptis celebres, inde conſequenter vitam per ſex aut ſeptem ſecula diuerſis temporibus traduxêre. Hoc etenim opuſculo præcipuæ fidei noſtræ quæſtiones à Lutheranis in controuerſiam vocatæ, tam per ſacræ Scripturæ ſoliditatem, quam per antiquorum Patrum Sanctorumq; Epiſcoporum, qui primis ſeptingentis annis vixêre Traditiones, ab ancipiti vocantur, confirmanturque.

XV. Et quia noſter antagoniſta impudenter aſſerere non veretur, neminem priſcæ ætatis extitiſſe, qui fidem noſtram pro Catholica habuerit agnoueritque, eam ob rem operæ precium arbitratus ſum ſubiungere pluſquam ducentorum Patrũ antiquorum, qui ante noſtra vixerunt ſecula, Catalogũ, nec non & Sacrorum quadraginta & pluriũ Conciliorũ, diuerſis in mundi partibus à centenis aliquot Sanctiſſimis Epiſcopis ijſdem ſeculis celebratorum, idque ad Catholicæ fi-

Digitized by Google

tæ fidei noſtræ dogmata ſtabiliendum conſeruandumque. Ex his enim tum Patribus, tum Concilijs, præter ſcripturarum ſententias à nobis allegatas, potiſſimum ea collecta excerptaque ſunt, quæ in hoc libello reperiuntur.

Inſuper & veraces aliquot hiſtorias inſerui, quas partim oculis conſpexi meis, partim ex fide dignorum relatu hauſi, de vita ac moribus reformatorum Euangelicorum prædicantium. Quæ quidem non ea intentione hic à me commemorantur, quod nos Catholici vitiorum næuo omninò careamus, ſed duabus potiſſimum de cauſſis. Primò quidem, vt demonſtrem non rectè, imò falsò noſtræ tempeſtatis hæreticos ſibi reformatorum adoptaſſe nomen, cùm ipſorum Patriarchæ, Rabbini, ac Superintendentes, cæterique Miniſtri, à quibus toti dependent, tam flagitioſam vitam duxerint, atque etiamnum ducant. Secundò, vt cuiuis conſtet tam abominabile ac nefandum vitæ genus, non ex humana prouenire imbecillitate, vti plerumq; apud malos Catholicos accidit, ſed ex prauæ religionis decretis, quæ paſſim & indifferẽter permittit vſuras; cũ duabus ſimul eodemq; XVI.

tem-

tempore ductis vxoribus diſpẽſat; famulæ thorum dum vxor recuſat, concedit; decalogi mandata obſeruatu eſſe impoſſibilia docet; ſimiliter & vitæ continentiam, aliaſq; blaſphemas tradit inſanias; ex quibus omne vitiorum germen, non apud plebeios tantum, verùm maximè apud ipſos Miniſtros exoritur.

XVII. Cùm igitur, benigne Lector, hic videris fidem noſtram Catholicam, multiplicibus diuinarum literarum teſtimonijs tam efficaciter comprobatam, tamque vniformiter toto terrarum orbe centenorum aliquot annorum ſpacio ab omnibus obſeruatam, conſidera quæſo, an non ſatius certiuſque ſit in ea verſari, ac mori religione, in qua omnes noui Teſtamenti Patres, Dei nimirum omnipotentis amici, quo cum iam in æternũ regnant, verſati ac ſaluati ſunt: quàm nouitiam, incertam, fallacem, nuperq; admodum ab vno periuro ac ſacrilego excucullatoq; monacho Luthero, aut Sodomitico ſtigmaticoque Caluino, excogitatam amplecti. Hi etenim ſine vllo diuinæ miſſionis ſuæ ſigno veterem immutant fidem, ſynceram euertunt religionem, auos ac proauos ſuos ad perpetuæ gehennæ cruciatus relegant, noſque

ipſos

Digitized by Google

ipſos illuc quoque præcipitare(neque enim vllo certo probare poſſunt indicio, quempiam repertum, qui in Lutherana aut Caluiniana quam profitētur fide, ſalutem ſit adeptus)omni ſtudio conātur.

Itaque veteris viæ ſemitis conſtanter inſiſte,antiquæ religioni ac fidei viriliter adhæreſce: quam nimirum primi initiatores ex vrbe Roma in Belgium inuexerunt, cùm gentilitio depoſito errore ibidem Chriſtiani eſſe cœperunt, eamq; amplecti fidem,quam non Caluinus aut Lutherus nunc docēt, ſed quam nos Catholici inuiolabiliter etiamnum conſeruamus. Neq; enim infrà hos mille quingentos annos Deo vnquam curæ fuit, vt per hæreticorum prædicationem gentilium aut paganorum quempiam ad ſynceræ fidei lumen reuocaret, ſed per Catholicos duntaxat, vt ſcilicet per hoc Chriſtiani omnes attentius conſiderent, ea quæ Ioannes docet, dum ait: *Vos quod audiſtis ab initio,in vobis permaneat: Si in vobis permanſerit quod audiſtis ab initio, & vos in Filio & Patre manebitis*.tum vt nouarum rerum cupidi Pauli pertimeſcant minas, execrantis omnes illos quicunque aliud euangelizant,præterquam ipſe euangelizauit nobis. Non etenim hæreticorum XVIII. *1.Ioan. 2.* *Gal.1.v.8.*

munus triticum in agro Dominico ſerere; ſed zizania ſuperſeminare. Primo quippè Deus ſuam ædificat Eccleſiam, cui poſtmodum diabolus ſuum adijcit ſacellum.

Matth.13.

XIX. Toto autem cęlo errant illi, qui opinantur tempore Valentis Ariani Imperatoris Gothos ab impio gentilitatis ritu ad Chriſtianæ veritatis lumen Arianorum ſtudio traductos. Longè enim ante id factum, Theodoreto teſte, conſtat. Nam Theophilus, Catholicus Gothorum Epiſcopus, primæ Nicenæ Synodo, vnà cũ Vlphila, qui in Epiſcopatu illi ſucceſſit, vt refert Metaphraſtes, multis antè annis, interfuit. Qui tamen Vlphilas Arriana labe poſtmodum eſt infectus.

Lib.4.c.32.

v. Subſcript. Synod. Nican. & Metaphr. tom. 5. Surij. 15. Sept.

XX. Lippis quoq; ac tonſoribus notum eſt, quiſnã fuerit noui Euangelij ſub Villegagnone, Caſparis Collignij Frãciæ Admiralij, in mari Britannico legato, ſucceſſus. Qui cùm à Ioãne Caluino, Theodoro Beza, ac magiſtratu Geneuenſi aliquot accepiſſet iſti⁹ factionis miniſtros, quorum princeps erat Petrus Richerus apoſtata monachus, qui in Americis regionib⁹ barbaras nationes ad fidẽ Chriſti cõuerterent, pro vno Euãgelio, multa eaque

ta eaque hoſtiliter diſſidentia ceperunt ſpargere, adeoq́; omnem verecundiam ac naturalem pudorem excutere, *vt ipſi infideles & barbari eos horrerent.* Alij, qui vxores ſuas Geneuę vel in Frãcia reliquerant, puellas quaſdam in claſſe aduectas, vt neceſſariam Gallicę coloniæ illic propagandæ operam nauarent, vxores ſibi iunxerunt. Nonnulli cum Americanis fœminis infidelibus carnale commerciũ, ſub matrimonij prætextu habebant. Quid adulteria & inceſtus eorum commemorem? cùm eſſent, *qui turpiſſimo contra naturam peccato ſeſe polluerent*: immò ex hoc nouorum Euangeliſtarum numero vnus per vim nepoti, proprio ſcilicet ſororis ſuæ filio ſtuprũ intulit, qui tamẽ cum reliquis Richero excuſante, & infirmitatis humanæ rationem habẽdam eſſe dicente, mortis euaſit ſuppliciũ. Sed nihil his obſtantibus, barbari eorum flagitioſam vitam deteſtantes, illos profligantes, non inuiti noſtræ Societatis Patres, qui eos Catholicæ fidei ſinceritate imbuerent, Chriſtianæq́; religionis ſementem iſtic quaqua verſum ſpargerent, admiſerunt. Quæ cùm ita ſe habeant, oro te, benigne ac beneuole Lector, vt nouitatibus omnibus relictis antiquæ

ſidei veritati adhæreſcas, patrumque tuorum, qui non omnes deliri, pueri, ac mente capti fuêre, veſtigijs viriliter inſiſtas. Quin & patrem miſericordiarũ ac Deum totius conſolationis deprecor, vt ſeductorum omnium oculos adaperiat, mentes illuſtret, corda emolliat. Amen.

SVO ANTAGONISTAE.

XXI. *QVisquis ſis, quicquid vel vbi agas, quam ex omnibus hæreſum portentis tibi potiſſimum delegeris, in quorum hæreticorum grege inueniri debeas, quis hæreſiarcharum tuus ſit magiſter, etſi me penitus lateat. Deum tamen oro vt te norit, atque ad veritatis ſemitam perducat. Interim verò hac paſchali ſolemnitate Roma redeunti mihi, aliquot tuæ ſunt oblatæ antitheſes, octo Catholicis meis propoſitionibus oppoſitæ: quas vbi vel obiter ſaltem perluſtrare cœpi, mox vehementer admiratus ſum, mortalium quenquam repertum, qui tam craſſa atque horrenda conflare auderet mendacia. Scribis enim nuſquam primis ſeptingentis annis toto orbe extitiſſe, qui per omnia ita ſenſerit ac docuerit, vti nos Catholici modò ſentimus. Ais proinde Pontificem Romanum nunquam pro ſupremo Eccleſiæ capite habitum, nemini imaginum cultum, Sanctorumque inuocationem cognitam. Idem omninò de Sacroſancto miſſæ officio nugaris, nec non & de Tranſubſtantiatione, Purgatorio,*

ſorio, Oratione pro defunctis, Confeſſione auriculari, Indulgentijs, Peregrinationibus, Septem Sacramentis, de Delectu item ciborum, Cœlibatu ſacerdotum, Varijs Eccleſiaſticis miniſterijs, templorumquе ornatu, alijſquе mille, (hoc enim præfinito vteris numero) conſimilibus.

Verùm dic amabo, mi amice, ſerióne hæc putas vt ſcribis? Nam ſi vel minimæ eruditionis es, ac ſaltem perparum in antiquorum Patrum, aliorumq; hiſtoricorum monumentis verſatus, haud dubium, quin aliter tua tibi dictet conſcientia, quàm calamus profert; niſi fortè cum Patriarcha tuo Luthero, qui ſtimulis conſcientiæ acriter ſemper reluctatus, diabolicam eam tentationem (vti Ioannes Aurifaber, in conuiualibus ſermonibus de eo commemorat) nominabat, omnem à te ſynteresin profligaueris. In omnibus enim veterum Patrum ſcriptis, adeò dilucidè ac manifeſtè Catholicæ fidei dogmata comprobata, veſtraſquе hæreticæ prauitatis portentoſas opiniones reiectas, exploſaſquе videmus, vt nemo ferè tam inueniatur rudis, qui non vel manibus id ipſum queat contrectare. XXII.

Titulo de dæmonibus.

Sin autem tam es hoſpes & peregrinus in antiquorum lucubrationibus, neq; quicquam præter Rabbinorum veſtrorum nænias legiſti, mirari profectò licet, te tanta cum impudentia earum tibi rerum ſcientiam vendicare, quarum cognitionem nullam habes. Nam cum hac tua inſcitia atque impudentia plurimorum animas, XXIII.

precioſo Chriſti ſanguine, pœniſque acerbiſſimis, nec non & morte crudeliſſima, in libertatē aſſertas, diris interim cruciatibus reddis obnoxias. Age ergo & noſtrum hoc præſens opuſculum, in quo antiquæ fidei Catholicæ vetuſtiſſima documenta reperies, conſule.

XXIV. *Cui ſi quid obijcere, ſiue priuatis literis, ſiue editis in lucem ſcriptis, placet, mox vbi id intellexero, diuina opitulante gratia lubens reſpondebo. Verùm dato operam, vt ſicuti ego hic in meis, ita & tu in tuis, diſtinctè debitoque modo id facias, allatis nimirum validis efficacibuſque argumentorum probationibus. Sic enim fiet vt ad veritatis agnitionem facilius peruenias: quæ quidem adeò ad inſtar luc idiſſimi Solis in S. noſtra Eccleſia refulget, vt à quouis oculos aperire, ac rationes adhibere volente, clariſſimè valeat conſpici.*

FINIS.

CATA-

Digitized by Google

CATALOGVS PLVSQVAM DVCENTORVM ANTIQVORVM PATRVM, HOC LIbello citatorum, qui primis ſeptem ſæculis fidem noſtram Catholicam Romanam, profeſſi ſunt, & confirmarunt.

A.

	Anno Dom.	Vixit in
Acatius Patriarcha Conſtantinopol.	478	*Gracia*
Agapetus Papa	535	*Italia*
Agatho Papa	680	*Italia*
Alexander Papa & martyr	121	*Italia*
Alexander Epiſcopus Cappadocia	200	*Gracia*
Alipius Epiſcopus Tagaſtenſis	400	*Africa*
Alcimus Auitus Epiſcopus Viennenſis	516	*Gallia*
Ambroſius Epiſcopus Mediolanenſis	380	*Italia*
Amphilochius Iconij Epiſcopus	390	*Gracia*
Anacletus Papa & martyr	103	*Italia*
Anaſtaſius I. Papa	403	*Italia*
Anaſtaſius II. Papa	498	*Italia*
Anaſtaſius Sinaita Patriarcha Antiochenus	590	*Syria*
Andreas Apoſtolus		
Andreas Epiri Epiſcopus	519	*Gracia*
Andreas Epiſcopus Hieroſolymitanus	50	*Syria*
Anicetus Papa & martyr	167	*Italia*
Antiochus abbas S. Saba	560	*Syria*
Antoninus Epiſcopus Conſtantinienſis	437	*Africa*
Apollinaris Epiſcopus Hieropolitanus	172	*Syria*
Aponius Monachus	680	*Gallia*
Arnobius Rhetor	300	*Africa*
Athanaſius Epiſcopus Alexandrinus	370	*Ægypto*

	An.D.	Vixit in
Athenagoras Athenienſis	179	Græcia
Auguſtinus Epiſcopus Hipponenſis	400	Africa
Aurelius Archiepiſcopus Carthaginenſis	400	Africa
B.		
Baſilius Epiſcopus Cæſareenſis	380	Græcia
Benedictus Abbas	530	Italia
Bonitus Epiſcopus Aruernia	690	Gallia
C.		
Cæſarius Epiſcopus Arelatenſis	506	Gallia
Calixtus Papa & martyr	221	Italia
Caſſiodorus Senator Romanus	534	Italia
Cyprianus Epiſcopus Carthaginenſis	240	Africa
Cyrillus Epiſcopus Alexandrinus	432	Ægypto
Cyrillus Hieroſolymitanus Epiſcopus	350	Syria
Cyrillus Monachus	480	Syria
Clemens I. Papa & Martyr	100	Italia
Conſtantinus I. Imperator	320	-
Conſtantius Presbyter	490	Gallia
Cornelius Papa & Martyr.	255	Italia
D.		
Damaſus Papa	369	Italia
Dionyſius Papa & martyr	261	Italia
Dionyſius Areopagita Pariſienſis Epiſcopus	100	Gallia
Dionyſius Epiſcopus Alexandrinus.	259	Ægypto.
E.		
Ephraem Diaconus Monachus	380	Syria
Eligius Epiſcopus Nouiomenſ.	665	Gallia
Eleutherius Papa & martyr	180	Italia
Epiphanius Salaminæ Cypri Epiſcopus	390	Cypro
Epiphanius Patriarcha Conſtantinopolitanus cum 20. Epiſcopis	520	Græcia
Euagrius Epiphanienſis	591	Græcia
Euariſtus Papa & martyr	112	Italia
Eucharius Epiſcopus Lugdunenſis	440	Gallia

Enno-

Digitized by Google

SS. Patrvm.	An. D.	Vixit in
Ennodius Epiſcopus Ticinenſis	515	*Italia*
Euodius Vzali epiſcopus	400	*Africa*
Euſebius Papa & martyr	307	*Italia*
Euſebius Epiſcopus Cæſareenſis	320	*Græcia*
Euſebius Epiſcopus Emiſſenus	350	*Syria*
Euſebius Epiſcopus Mediolanenſis	442	*Italia*
Euſebius Epiſcopus Syracuſanus	501	*Sicilia*
Euſebius Epiſcopus Vercellenſis martyr	356	*Italia*
Euſtathius Epiſcopus Antiochenus	340	*Syria*
Euſtathius presbyter Conſtantinopolitanus	586	*Græcia*
Euthymius Abbas	470	*Syria*
Eutychius Patriarcha Conſtantinopolitanus.	586	*Græcia*
F.		
Fabianus Papa & martyr	238	*Italia*
Fauſtus diſcipulus S. Benedicti	580	*Italia*
Felix. 1. papa & martyr	272	*Italia*
Fortunatus Pictauienſis epiſcopus	570	*Gallia*
Fulgentius epiſcopus Ruſpenſis	500	*Africa*
G.		
Gaudentius Brixienſis Epiſcopus	350	*Italia*
Gelaſius Papa	492	*Italia*
Georgius presbyter, diſcipulus S. Theodori	620	*Græcia*
Germanus Epiſcopus Auxerenſis	463	*Gallia*
Gilda Sapiens, presbyter	520	*Anglia*
Gratianus Imperator	380	
Gregorius 1. Pontifex	590	*Italia*
Gregorius epiſcopus Nazianzenus	380	*Græcia*
Gregorius Epiſcopus Nyſſenus	380	*Græcia*
Gregorius epiſcopus Turonenſis	600	*Gallia*
Gregorius Thaumaturgus epiſc. Neocæſarienſ.	233	*Græcia*
H.		
Helladius epiſcopus Cæſariæ Cappadociæ	395	*Græcia*
Hieronymus Stridonenſis Dalmata Presbyter.	380	*Syria*
Higinius Papa & martyr	154	*Italia*
Hilarius Arelatenſis Epiſcopus	440	*Gallia*

	An.D.	Vixit in
Hilarius Pictauienſis Epiſcopus	330	Gallia
Hildephonſus Epiſcopus Toletanus	662	Hiſpania
Hippolytus Arabiæ Epiſcopus, poſtea Portuẽſis	220	Arabia
Honorius Imperator	411	
Hormiſda Pontifex	515	Italia
I.		
Iacobus minor Apoſtolus		
Ignatius epiſcopus Antiochenus	100	Syria
Innocentius 1. Pontifex	406	Italia
Ioannes 1. Pontifex	525	Italia
Ioannes 2. Pontifex	533	Italia
Ioannes epiſcopus Neapolitanus Epiri	516	Græcia
Ioannes Caſſianus Monachus	430	Gallia
Ioannes Chryſoſtomus epiſcopus Conſtantinopolitanus	400	Græcia
Ioannes Climacus in monte Sinai	560	Syria
Ioannes Eleemoſynarius Epiſcopus Alexandrinus	611	Ægypto
Ioannes Moſcus Euiratus, Monachus	612	Syria
Ioannes Saracenus, diſcipulus S. Epiphanij	350	Cypro
Irenæus martyr, epiſcopus Lugdunenſis	170	Gallia
Iſidorus epiſcopus Hiſpalenſis	600.	Hiſpania
Iſidorus Peluſiota	430	Ægypto
Iulianus Pomerius, Epiſcopus Toletanus	680	Hiſpania
Iulius 1. Papa	340	Italia
Iuſtinianus Imperator	529.	
Iuſtinus Imperator	519	
Iuſtinus martyr	150	Græcia
Iuſtus Epiſcopus Vrgelitanus	530	Hiſpania
Iuuenalis patriarcha Hieroſolymitanus	430.	Syria
L.		
Lactantius Firmianus	320	Italia
Laurentius Epiſcopus Nouarienſis	507	Italia
Laurentius martyr	261	Italia
Leander Epiſcopus Hiſpalenſis	590	Hiſpania

SS. PATRVM.	An.D	Vixit in
Leo 1. Pontifex	442	*Italia*
Leontius Epiſcopus Neapolitanus	611	*Cypro*
Lucius papa & martyr	256	*Italia*
M.		
Macarius ſenior, monachus, Ægyptius dictus	370	*Ægypto*
Manſuetus Epiſcopus Mediolanenſis	681	*Italia*
Marcellinus Comes	530	*Græcia*
Marcellus Papa & martyr	304	*Italia*
Marcianus Imperator	450	
Marcus Euangeliſta		*Ægypto*
Marcus pontifex	338	*Italia*
Martialis unus ex 72. diſcipulis, Lemouicenſis Epiſcopus	74	*Gallia*
Martinus Epiſcopus Braccarenſis	573	*Hiſpania*
Maurus Abbas	550	*Italia*
Maximus patriarcha Antiochenus	453	*Syria*
Melchiades Papa & martyr	311.	*Italia*
Minutius Felix, Aduocatus Romanus	211	*Italia*
Monachi ſecundæ Syriæ	517	*Syria*
N.		
Nicolaus Epiſcopus Algrenſis	320	*Græcia*
Nicon Abbas	548	*Syria*
O.		
Optatus Epiſcopus Mileuitanus	370	*Africa*
Origines Alexandrinus	250	*Ægypto*
Oroſius presbyter	420	*Hiſpania*
P.		
Palladius Epiſcopus Hellenopolitanus	412	*Græcia*
Palladius Epiſcopus Cappadociæ	400	*Græcia*
Paſchaſius Epiſcopus Lilibetanus	442	*Græcia*
Patianus Epiſcopus Barcelonæ	350	*Hiſpania*
Paulinus presbyter Mediolanenſis	400	*Italia*
Paulinus Campaniæ Nolanus epiſcopus.	400	*Italia*
Pelagius 1. Pontifex	556	*Italia*

Pela-

Digitized by Google

	An.D.	Vixit in
Pelagius 2. Pontifex	579	*Italia*
Petrus Epiſcopus Alexandrinus	300	*Ægypto*
Petrus Chryſologus Rauennas Epiſcopus	430	*Italia*
Philaſtrius Brixienſis Epiſcopus	380	*Italia*
Philippus Imperator	240	*Italia*
Philippus Presbyter Cardinalis	430	*Italia*
Philo Epiſcopus Carpathenſis	400	*Gracia*
Pius 1. Pontifex	158	*Italia*
Polybius diſcipulus Epiphanij, Epiſcopus Rhinocoruca	400	*Ægypto*
Polycarpus epiſcopus Smyrnenſis	100	*Gracia*
Polycrates epiſcopus Epheſius	198	*Gracia*
Poſſeſſor Epiſcopus Africanus	520	*Africa*
Poſſidius Calamenſis Epiſcopus	430	*Africa*
Presbyteri & Diaconi Achaia	100	*Gracia*
Presbyteri & monachi Conſtantinopolitani	475	*Gracia*
Primaſius Vticenſis Epiſcopus	440	*Africa*
Proſper Aquitanicus Regienſis Epiſcopus	460	*Italia*
Proterius patriarcha Alexandrinus	453	*Ægypto*
Prudentius Poëta	380	*Hiſpania*
R.		
Rauennius cum 42. Epiſcopis	442	*Gallia*
Ruffinus hiſtoricus	400	*Italia*
S.		
Sabbas Abbas	531	*Syria*
Saluianus Epiſcopus Maſſilienſis	480	*Gallia*
Sebadius Epiſcopus Agenna	370	*Gallia*
Serapion Epiſcopus Antiochenus	212	*Syria*
Seuerus Sulpitius, Hiſtoricus	412	*Gallia*
Silueſter Pontifex	327	*Italia*
Simeon Salus	548	*Syria*
Siricius Papa	388	*Italia*
Sixtus 1 Pontifex & martyr	132	*Italia*
Sixtus 2. Pontifex & martyr	260	*Italia*
Sixtus 3. Pontifex	434	*Italia*

Socra-

Digitized by Google

Vixit in
Italia
Ægypto
Italia
Italia
Italia
Italia
Græcia
Italia
Ægypto
Græcia
Græcia
Africa
Africa
Græcia
Græcia
Africa
Italia
Ægypto
Hiſpania
Gallia
Italia
Syria
Gallia
Gallia
Syria
Gallia
Italia
Syria
Italia
Italia
Italia
Italia

SS. PATRVM.	An.D.	Vixit in
Socrates hiſtoricus	430	Græcia
Sophronius Hieroſolymitanus, ſenior	400	Syria
Sophronius Patriarcha Hieroſolymorũ, iunior	612	Syria
Soter Papa, iuxta ac Martyr	175	Italia
Sozomenus hiſtoricus	430	Græcia
Stephanus I. Papa & martyr	250	Italia
T.		
Teleſphorus Papa & martyr	142	Italia
Theodoretus, Cyri Epiſcopus	430	Græcia
Theodorus Abbas	430	Ægypto
Theodorus, Cantuarienſis Archiepiſcopus	690	Anglia
Theodorus Lector.	520	Græcia
Theodoſius Imperator, ſenior	370	
Theodoſius Imperator, iunior	427	
Theophilus, Patriarcha Antiochenus	170	Syria
Tiberius II. Imperator	580	
Timotheus, Patriarcha Alexandrinus	478	Ægypto
Titus, Boſtrenſis in Phœnicia Epiſcopus	360	Syria
Troilus, Scampinæ Epiri Epiſcopus	519	Græcia
V.		
Valentinus Imperator	376	
Victor Papa, ac Martyr	149	Italia
Victor, Presbyter Antiochenus	360	Syria
Victor Vticenſis Epiſcopus	540	Africa
Vigilius Papa	537	Italia
Vincentius Lirinenſis, Monachus	430	Gallia
Vrbanus Papa, Martyr.	227	Italia
Z.		
Zepherinus Papa, ac Martyr.	203	Italia

CATA-

CATALOGVS QVADRAGINTA SEPTEM CONCILIORVM,

QVAE HOC LIBRO CITANTVR, PRIMIS ſeptem ſæculis celebratorum ad ſtabiliendam fidem Catholicam ROMANAM.

GENERALIA CONCILIA, in Græcia celebrata.	Ab Epiſc.	Anno Domini.
1. *Nicenum. I.*	318	327.
2. *Conſtantinopolitanum I.*	150	383.
3. *Epheſinum.*	200	434.
4. *Chalcedonenſe.*	630	454.
6. *Conſtantinopolitanum II.*	165	553.
Conſtantinopolitanum III.	283	681.

PROVINCIALIA CONCILIA celebrata.	Anno Dom.	Vixit in
Ægyptiacum ſub Athanaſio.	370	*Ægypto.*
Africana tria ſub Stephano ad Damaſum.	369	*Aphrica.*
Agatenſe.	506	*Francia.*
Ancyranum.	316	*Gracia.*
Antiſiodorenſe.	614	*Gallia.*
Arauſicanum.	441	*Gallia.*
Arelatenſe.	326	*Gallia.*
Aruernenſe.	535	*Gallia.*
Aurelianenſe II.	536	*Gallia.*
Aurelianenſe III.	537	*Gallia.*
Aurelianenſe IV.	547	*Gallia.*
Braccarenſe I.	572	*Hiſpania.*
Carpentoratenſe	463	*Gallia.*
Carthaginenſe II.	396	*Africa.*

Cartha-

SS. PATRVM.

	An. D.	Vixit in
Carthaginenſe III.	397	*Aphrica.*
Carthaginenſe IV.	398	*Aphrica.*
Carthaginenſe V.	398	*Aphrica.*
Elibertinum.	313	*Hiſpania.*
Epaunenſe.	517	*Burgũdia.*
Gangrenſe.	324	*Græcia.*
Gerundenſe.	517	*Hiſpania.*
Ilerdenſe.	524	*Hiſpania.*
Laodicanum.	364	*Græcia.*
Lugdunenſe.	586	*Gallia.*
Matiſconenſe I.	576	*Gallia.*
Matiſconenſe II.	588	*Gallia.*
Mediolanenſe.	681	*Italia.*
Mileuitanum.	413	*Aphrica.*
Neocæſareenſe.	316	*Græcia.*
Romanum.	324	*Italia.*
Romanum, ſub Symmacho.	501	*Italia.*
Sardicenſe.	343	
Turonenſe I.	461	*Gallia.*
Turonenſe II.	570	*Gallia.*
Toletanum I.	405	*Hiſpania*
Toletanum III.	589	*Hiſpania*
Valentinum.	525	*Hiſpania*
Vaſenſe.	442	*Gallia.*
Veneticum.	460	*Italia.*

GALAT

GALAT. 1. verſ. 9.

Si quis vobis euangelizauerit, prꝑter id quod accepiſtis, anathema ſit.

VINCENTIVS LIRINENSIS cap. 14. commonitorij.

Adnunciare aliquid CATHOLICIS præter id quod acceperunt, nunquam licuit, nuſquam licet, nunquam licebit: & anathemare eos qui adnuncient aliquid, præterquam quod ſemel acceptum eſt. Quæ cùm ita ſint, eſtne aliquis vel tantæ audaciæ, qui prꝑter id quod apud Eccleſiam adnuntiatum eſt, adnuntiet: vel tantꝑ leuitatis, qui præter id quod ab ECCLESIA accepit, accipiat?

HONORIVS ET THEODOSIVS Imperatores in lib. 2. Cod. Theodoſ. eod. titul.

Ea quæ circa CATHOLICAM fidem vel ordinauit ANTIQVITAS, vel Parentum noſtrorum AVCTORITAS religioſa conſtituit, nouella ſuperſtitione remota, INTEGRA & INVIOLATA cuſtodiri præcipimus.

CHRYSOSTOMVS HOMIL. 4. in epiſt. 2. ad Theſſalon.

Eccleſiæ quoque TRADITIONEM cenſeamus eſſe fide dignam. EST TRADITIO, NIHIL QVAERAS AMPLIVS.

COM-

COMPENDIOSA VETVSTISSIMAE ORTHODOXAE FIDEI DEMONSTRATIO, CVM ANTIthesium quarundam refutationibus.

ANNVS iam fermè voluitur octauus, cùm Antuerpiæ, nondum elapſo quadriennio, quod Euangelicis pro ſua conuerſione conceſſum erat, pro hæreticorum inſtructione, ipſorumque Catholicorum conſolatione, Auguſtanam Confeſſionem, eo quo decuit modo, explicaui: oſtendens nouā ipſorum doctrinam ac frequentem immutationem, nec non & fraudes mendaciaque; quibus inſigniter ſcatet. Dum autem huic negotio aliquot inſiſterem menſibus, ecce quidam ex illorum numero, me, vt typis iſta mandarem, interpellauit. Quem quidem remiſi ad Enchiridion Controuerſiarum, olim à nobis latinè editum, poſtmodum verò belgico idiomate ſub titulo *Scuti Catholicorum aduerſus hæreſes*, donatum. Nihilominus tamen, vt ad Orthodoxam fidem erroneos reducerem, octo Propoſitiones eidem tradidi, quibus contradici non poſſet; cupiens, vt Concionatoribus ſiue Miniſtris in CAP. I.

 Hollan-

Hollandiam eas tranſmitteret, ſi quid his fortè vellent obijcere.

ATQVE in hunc finē, in varias mox ſunt translatæ linguas, atque ad varia deſtinatæ loca. Quibus cùm annis multis nemo obluctaretur (luce etenim meridiana clariores ſunt, & rationes habent oppugnatu difficiles) repertus eſt tandem anonymus quidam, qui ſuperioribus diebus apud Ioannem VVacsbergium Rotterodami octo Antitheſes edidit, quaſi pro reſponſo ad meas; oſtendens ſe omnino non elinguem, & contra veritatem ipſam effutire etiā quædam poſſe, ne alias propter ſilentium eſſet incognitus. Qui vt ſannis irrideret, quod rationibus refellere ob inſcitiam non poterat, adiecit verſiculum illum Prouerbiorum capit. 26. *Reſponde ſtulto ſecundum ſtultitiam ſuam, ne ſit ſapiens in oculis ſuis*. In locum autem verarum Propoſitionum, vbi olim poſitum erat, *Propoſitiones Catholicæ aduerſus nouos tēporis huius ſectarios*, ſubſtituit. *Pontificiæ Propoſitiones Eccleſiæ Romanæ*: Suis autē hūc præfixit titulum: *Antitheſes Catholicæ, ac Euāgelicæ ac reformatæ Eccleſiæ*. Ex quibus ridiculis verbis tria licet potiſſimū colligere.

Tria colligenda ex titulo noſtri Antagoniſtæ.

Primò, quod hic inſulſus *Quidam* totum mundum ſtultitiæ arguat: quippe cū hæ Propoſitiones non tam meæ ſint, quam Romanæ (vti & ipſe libens fatetur) Pōtificiæ Eccleſię, hoc eſt totius Orbis, qui Chriſtum iam ad annos plus mille quingentos in hac eadem

Eccle-

Eccleſia agnouit,& confeſſa eſt.

SEcundò, adſcribi hîc Eccleſiæ duos inſig-nes, quos libenter agnoſcimus, titulos: nimirũ quod ſit PONTIFICIA, & ROMANA. Nam per Pontificiã Eccleſiã non alia intelligitur, quam vniuerſalis ouium Chriſti congregatio, quæ Ioannis cap. 21. B. Petro eſt concredita, cui dictum; *Paſce oues meas; paſce agnos meos*. Quod & Petrus & omnes eius prædeceſſores ſedulò præſtiterunt: Vnde & ſancta Eccleſia, APOSTOLICA quoq; nominatur, nõ ſolũ quod ab Apoſtolis plãtata ſit, ſed quod ſupremus illius Paſtor & Vicarius Chriſti, ſuã in hac fide ſucceſſionẽ ad Apoſtolorũ Principẽ PETRVM poſſit deducere, cui Chriſtus ipſe dixit: *Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua*: prout pulchrè exponit B. *a* Marcus primus huius nominis Põtifex an. 338. nec nõ & *b* Agatho an. 681. Vnde & Matthæi ca. 16. Petro dicitur: *Tu es Petrus, & ſuper hãc petrã ædificabo Eccleſiã meã*, hoc eſt, ſuper te, vti exponũt *c* Hieronymus, *d* Chryſoſtomus, *e* Cyrillus Alexãdrinus aliique peruetuſti Patres; Non quidẽ tanquã ſuper fragilẽ ac moriturũ hominẽ, ſed propter fidẽ tuã, quã in te ſic cõfirmabo, vt nunquam errores pro vera fide docere: vel in hæreſes incidere poſſis: neq; id in honorẽ tuũ, ſed ad Eccleſiæ meæ profectum: cui quãdo diuerſæ ſeſe opponent hæreſes, exponentes pro ſuo arbitratu Scripturas, eaſq; falſis interpretationibus corrumpentes, tu rectum veritatis

CAP. II.

Pontificia Eccleſiæ quid denotet.

Appellatur quoq; Apoſtolica & ſancta.

Luc. 22.

a *Epiſt ad Athanaſ. et Epiſcopos Aegypti.*
b *Epiſt 6 ad Synod. Conſtant.*
c *Lib 1. contra Pelag.*
d *Homil 55. in Matth.*
e *Lib. 2. in Ioan.*

tramitem tenebis, ſanam nimirum docens doctrinam ab ipſis Apoſtolis ad te delatam, quam & ego corroborabo. Ita poſt Victorē Antiochenum alij quoque Patres antiquiſſimi ſentiunt; dicentes, quod Chriſtus dum ſuam vellet ædificare Eccleſiam in firmā ſolidaq́ue Petri fide, eum Petrum, ſeu petram vocauerit. Atque hoc inter nos ipſoſq́ue hæreticos eſt diſcrimen, quod non vſurpemus nobis hominis alicuius nomen, vocitando nos Gregorianos, Sixtinos, Clementinos, aut ab alijs Pontificibus vocabula ſortientes, ſed ab officio quod CHRISTVS inſtituit. Hæretici verò non ita: quippe qui vel ab Arrio Arriani, vel à Donato Donatiſtæ, à Luthero Lutherani, à Caluino Caluiniani, vel à Mennone Mennoniſtæ, & ſimilibus nuncupati ſunt. Vide hac de re Irenæum lib. 1. cap. 20. Iuſtinum Dialogo cum Triphone. Lactant. lib. 4. ca. 30. Pacianum ad Sympronianum, Athanaſium Serm. 2. in Arrianos, Hieronymum contra Luciferianos.

ALTER titulus eſt, *Romana Eccleſia*. Hūc item agnoſcimus non inuiti, præſertim cùm & Arrij & aliorum temporibus hæreticorum Eccleſia noſtra Catholica eodem nomine gauiſa ſit, ad differentiam hæreſum ab hac Eccleſia excommunicatarum. Sic olim nos appellabant Arriani teſtante *a* Victore Vticenſe, ac *b* Gregorio Turonenſe. Quin & Catholici idem ſibi vſurpant nomen, vti videre licet apud *c* Ambroſium, *d* Epiphaniū, & Theo-

a *Lib. 2. perſecut. Wandalica.*
b *De Gloria Mart. cap. 30. 78. 79.*
c *De obitu Satyri.*
d *Hæreſ 69.*

& Theodoſium Iuniorem in epiſtola ad Acatium ſecundo Concilio Epheſino citata.

CAP. III.

TERTIO tres ſunt notandi tituli, quos iſte *Quidam* ſuæ adſcribit Synagogæ, *Catholica, Euangelica, reformata.* appellãdo *Catholicam*, ſequitur priſcæ ætatis hæreticos; de quibus B. Auguſtinus refert, quod ſtudioſè hoc nomen affectarint vt Catholici dicerentur, quærenti tamen peregrino alicui vbi ad Catholicam conuenirent, non fuiſſe auſos vel Baſilicam vel domum ſuam oſtendere. Atque ideo nomen ſine re habentes, relegabant interrogantes ad veram Catholicorum Eccleſiam, quibus hoc nomen ab Apoſtolis traditum, & ad illa vſque tempora inuiolabiliter conſeruatum erat. Quî etenim hæreticorũ fides poſſet eſſe Catholica, id eſt vniuerſalis, quæ ante pauculos tantum annos orta, mundo fuit incognita? Eſt quidem, vt Auguſtinus fatetur, verum, hæreſim poſſe eſſe vbique, ſicut & Eccleſia, verùm in hoc differt, quod per totum terrarum orbem ſit vna atque eadem, hæreſis autem varia ac diuerſa. Hæc namque hæreſis in Germania regnat, vt Lutherana; alia in Francia dominatur, vt Caluiniſtica; tertia apud Anglos ſæuit, vt Puritana, & ſic de cæteris. Atque ideo prudentius ſeſe gerunt Francofurtẽſes nundinarum tempore, dum in librorum recenter editorũ Catalogis, Doctores quidẽ ſuos, *Proteſtãtes* vocãt *Theologos*: noſtros verò *Catholicos*, ſeu *Pontificios*, veritati nolẽtes relu-

Contra Epiſt. Fundã. cap. 4.

Libr. de Paſtor. cap. 8.

Digitized by Google

ctari, ſed debitum Catholicis titulum tribuentes.

CAP. IV.

APPELLANDO EVANGELICAM, indicat ſe præter ſcripturas nouum agnoſcere Euangelium. Quatuor enim Euangeliſtas iuxta ac Scripturam vniuerſam tam Hebraicè, Græcè ac Latinè editam, nos Catholici ſuſcipimus obſeruamuſque, tanquã veræ fidei articulos & purum DEI verbum; reijcientes interim omnes qui contrarium docent. Quod & aui proauique noſtri ante annos centum, ducentos, trecentos vſque ad Apoſtolorum tempora fecerunt. Nam quatuor Euangelia ſimul ac reliquam totã Scripturam ſacram non ab alijs quam ab ipſis noſtris prædeceſſoribus accepimus. Vnde nulla ſubeſt ratio, quare hæretici potius ſint vocandi *Euangelici*, quã nos Catholici: Apud quos S. Scripturam primò inuenerunt. Habẽt igitur aliud quid, vnde ſe *Euangelicos* nominent. Et hoc quidem non eſt vera Scriptura, ſed noua ac praua opinio, quam verbo Dei conueſtiunt, dum malè ſcripturas exponunt, ac verum Euangelium adulterant, cui interim prauæ opinioni pertinaciter inhærent. Eſt enim omnibus proprium hæreticis, pro libitu Scripturas interpretari. Error autem, vt rectè B. inquit Hilarius, non in Scriptura, ſed in noua ipſarum expoſitione conſiſtit. Et hæc multiplicium hæreſum eſt cauſa & origo: dum nimirum quilibet pro ſuo captu ſacras interpretatur litteras. Hinc enim

Lib. 2. de Trinit.

nim tot ſunt Euangelici, quot ſunt Lutherani, Caluiniani, Mennoniani &c. qui ſe mutuo cane peius & angue oderunt, execrãturque: quorum nemo non, prauam animi ſententiam pro vero habet, ac defendit Euangelio. Nos autẽ Catholici nobis ipſis Scripturarum ſenſum non arrogantes, ad eos recurrimus, à quibus eas accepimus, nimirum ad proauos, ſanctæque Eccleſiæ peruetuſtos Patres. Vnde ſequitur nos errare non poſſe, dum Scripturas eo modo intelligimus, quo à centenis aliquot annis explicatæ ſunt. Spiritus etenim Sanctus mediante Eccleſia, non ſimplicem tantùm litteram, ſed cum littera etiam verum nobis intellectum tradidit.

TERTIVS titulus eſt, REFORMATA ECCLESIA, denotans in primis nouos hoſce Doctores fidem Chriſtianorũ ab annis mille quingẽtis erroribus plenũ inueniſſe. Vnde ſequitur, toto iſto tẽpore nõ fuiſſe veram in Eccleſia Chriſtiana fidem: fides enim non niſi vna tantum eſt, cui ſi quis vel addat vel demat quid, corrumpit. Fatentur id libenter Lutherani; è quorum numero Ioannes Agricola, apertè ſcribit ante Lutheri aduentum Germaniam nec de Chriſto nec de Euangelio quicquam ſciuiſſe. *Immò*, inquit Eraſmus Alberus, *pro comperto habeo, quod qui in Doctoris Martini ſchola edocti non ſunt, nihil quicquam de Deo ſciant, quamuis multa prædicent*: vnde ſubiungit, CAP. V.

Naſus centur. 2 verſ. 6. & 65. Ibidem verſu 15.

ſe neutiquam dubitare Diuum AVGVSTI-NVM *ſi viueret, Doctoris Martini diſcipulum ſine vllo pudore ſe profeſſurum.* O impudentem inſcitiam. Secundò, ſi fides noſtra erronea eſt, & reformatione opus habet, neceſſariò ſequitur neminem ex omni antiquitate ſaluari potuiſſe, quippe qui vnum idemque crediderunt, quòd nos modò credimus. *Qui enim non crediderit, iam iudicatus eſt,* & æternis gehennæ ſupplicijs addictus. *Sine fide namque impoßibile eſt placere* DEO. Nulla autem ſimplicitas infidelitatem excuſat. Vnde rectè Tertullianus; *Ignorantes*, inquit, *Dominum nulla exceptio à culpa tuetur.* TERTIO, ſanctam Eccleſiam ab inferorum portis ſuperatam, adeoq; CHRISTVM ipſum mendacem eſſe, qui omninò nobis contrarium eſt pollicitus. Sed conſiderandus eſt huius reformationis modus, non ab aliquo Generali (vt par erat) Concilio aut legitimis Eccleſiæ Prælatis, ſed à quodam excucullato Monacho Martino Luthero anno 1517. introductus: qui de ſe ipſo teſtimoniũ fert, quod ſæpius cum cacodæmone collocutus ac cõuerſatus ſit. Huic primò indulgentiæ diſplicuêre, deinde communio vnius ſpeciei, poſtmodum Miſſæ ſacrificium, ſicque conſequẽter modò hæc, modo illa. Cuius audacem reformandi modum conſpicati alij, cœperunt & illi eandem ſibi vſurpare authoritatem, ne ſuo viderentur Magiſtro eſſe inferiores. Sic Andreas Carolſtadius verũ Chriſti cor-

Ioan. 3.
Marc. 16.
Heb. 11.
Lib. de Pœnit. cap. 5.
Lege Aurifabrũ Tit. 24. de dæmonibus.

pus

pus negauit in S, Euchariſtia. Quē ſecuti Bucerus, *Zvvinglius* & Caluinus, alia quoq; in fide reformarunt. Anabaptiſtæ verò adhuc multò plura, nec non & noui Arriani. Eoque tandem res progreſſa, vt ſecundum hos reformatores, nullus degat in cœlo Sanctus, infernum nihil eſſe præter imaginationem iræ diuinæ, Chriſtum gehennæ pœnas ſuſtinuiſſe, ipſam Sacroſanctam Trinitatem Cerberum eſſe tricipitem, ſeu canem illum infernalem. Conſeruet nos DEVS ab hac reformata Eccleſia, quæ haud procul à Turcica abeſt ſuperſtitione, ac Mahomatica perfidia; ſicuti ante annos aliquot inſignis ille Hugonotha Dominus *Gulielmus de gran Rij*, ſiue *de gran Ciampo* Regis Franciæ Ambaſſator apud ſupremum Baſſam Byzantij veraciter eſt proteſtatus. Interim verò qui ſe ipſos reformatos nominant, oportet vitam quoque non deformatam agā̄t. Sed eheu maiori flagitiorum cumulo hi noui reformatores ſunt oppreſſi, quàm vlli vnquam Catholici: vti præſens hoc opuſculum conſequenter edocebit.

Vide Epiſt. Aloiſij Cuchij, quæ extat lib. 7. Collat. Bredenbachij. cap. 19.

Digitized by Google

PRIMA CATHOLICORVM PROPOSITIO.

Iam inde ab APOSTOLORVM temporibus, vſque ad annum 17. ſupra milleſimum quingenteſimum, quo Martinus Lutherus nouam ſuã doctrinã in Orbem inuexit, nemo in toto Orbe extitit, qui per omnia cum Martiniſtarum, Caluiniſtarũ, Anabaptiſtarum, aut aliorum eiuſmodi Sectariorum opinione conſenſerit.

NEQVE vllus vnquam hæreticorũ probabit APOSTOLOS aut EVANGELISTAS, Martiniſtarũ, Caluiniſtarum, vel alterius nouæ ſectæ fuiſſe. Ex quo ſequitur, Martiniſtas, Anabaptiſtas, Caluiniſtas, nullam prorſus habere fidem; ſed recens duntaxat excogitatum fidei figmentum, quod fidei nomine, exornant, ac venerantur; eoſque eſſe illos ipſos, de quibus varÿs in locis Scriptura ſacra affirmat, Nouiſſimis temporibus venturos eſſe Pſeudoprophetas, &c.

AD

Digitized by Google

AD HANC euertendam Propoſitionem debuiſſet Antagoniſta vnum ſaltē produxiſſe in medium, qui ante Lutheri tempora ſic in omnibus credidiſſet, vt ipſi iam credunt; ſic enim eius ſcriptis melius reſpondiſſem, ac contrarium facilius demonſtraſſem. Verum id omiſit, quippe quod præſtitu ſciebat impoſſibile. Fatemur quidem multas hoc tempore paſſim hęreſes à Lutheranis & Caluinianis ventilari, olim in diuerſis hæreticis ab Eccleſia damnatas: noſtri enim ſectarij ingentem harum cumulum ab Orco reuocarunt. Sic Simon Magus ſolam fidem hominem iuſtificare adſtruebat. Euſtatius, Eunomius, Vigilantius, reliquiarū exſibilabant cultum: quorum poſterior etiā Sanctorum inuocationem irridebat. Aerius, Armeni, Albanenſes purgatorium reijciebant. Xenaias, Mahometus, & Copronymus ſuis cum aſſeclis imagines oppugnabant. Petrobruiſani ætate D. Bernardi, nec non & Claudius Taurinenſis ſacrorum locorum peregrinationes ſubſannabant. Nouatiani Confirmationis ac Pœnitentiæ Sacramenta reſpuebant, vti Tandemus ſacrorum Ordinationes, Encratitæ Matrimonium, Albigēſes Extremam Vnctionē, VViclefus & VValdenſes indulgentias nihili faciebant. Bertramus & Berengarius circa Euchariſtiæ Sacramentum delirabant, Miſſæque ſacrificium. Verùm & hæ omnes, & longè plures iam olim à Catholicis damnatæ ac proſli-

CAP. I.

profligatæ hæreſes, rurſus ab his nouis reformatoribus, Luthero ſcilicet, *Z*vvinglio, Caluino alijſque reſuſcitatæ ſunt; quemadmodum & ipſe Arrianiſmus, quem Lutherus amplexus eſt, dum ſcribit ad Iacobum Latomum: *Anima mea odit hoc verbum* ὁμόσιον; negans ſcilicet Chriſtum filium Dei Patri eſſe conſubſtantialem. Cuius veſtigijs inſiſtens Caluinus, ſcribens contra Valentinum Gentilem, adſerit Chriſtum non eſſe creatorem mundi veluti Pater, ſed *impropriè* tantum. Qui & libro ſecundo Inſtitutionum ſuarum, capite quartodecimo effutire audet, CHRISTVM ſecundum Deitatem Patri debere eſſe ſubiectum: ex quo concluditur non eſſe eundem Deum cum Patre, ſed alium, & minorem. Hunc ſecutus Clemens Marotus, in pſalmum octauum ſcribens; dicit Deũ feciſſe hominem *preſque dieu*, id eſt quaſi Deum: Quod tamẽ Paulus ad Hebræos de Chriſto explicans, affirmat illum verum eſſe Deum. Quamuis igitur omnes priſcæ ætatis hæreſes toties olim exploſæ, iam denuò in lucem ab hiſce noſtris nouatoribus ſint reuocatæ, nulla tamen illarum omnium cum modernis per omnia conſentit. Habuerunt enim nonnulla quæ vel noſtri damnãt & reijciunt, vel noſtri noua quædam profitentur commenta, quæ ipſi exploſerunt. Lutherus enim & Caluinus nonnullos excogitarunt errores, toti mundo hactenus incognitos. Verum enimuerò de antiquis Catholicæ

Hebr. 2.

licæ Eccleſiæ Doctoribus alibi in opuſculo præſenti dabitur tractandi locus, audiamus nunc quid reſponſi noſter Antagoniſta ad Propoſitionem adferat.

PRIMAE PROPOSITIONIS ANTITHESIS.

Iam inde ab Apoſtolorum temporibus vſque ad annum circiter ſexcenteſimum vel ſeptingenteſimum, quando nimirum Romanorum Epiſcopi ſe primùm aliarum regionum prætulêre Epiſcopis, nemo in toto orbe repertus eſt, qui per omnia ita credidit, vti nunc credit Romana, Pontificia, atque Apoſtolica Eccleſia. Cuius propugnatores haud quaquam demonſtrare poſſunt, quod Apoſtoli, adeoquè Orthodoxi Patres cum ea vnum idemquè ſenſerint. Cùm è cõtrario probatum ſit, reformatæ Eccleſiæ doctrinam in Apoſtolicis Propheticiſquè ſcriptis ſolidatam eſſe, ſempérque plurimis in locis nonnullos extitiſſe, qui in præcipuis fidei arti-

Digitized by Google

articulis idem docuêre quod hodierno tempore docent reformati.

CAP. II.

Quinq; mẽdacia hac Antitheſis potiſſimum continet.

Primum mendaciũ.

HAEC Antitheſis quandoquidem multis ſcatet mendacijs, ne rem in longũ protrahamus, ex ijs quinq; tantùm hîc producã. *Primum* eſt, quod Romani Epiſcopi circa annum ſexcenteſimum aut ſeptingenteſimum aliarum regionũ ſeſe præferre cœperint Epiſcopis. Mirum profectò, Antagoniſtam hunc nullum certum adſignare annũ, quãdo hæc tanta orta ſit præſumptio, vt Romanus Epiſcopus cęterorum ſibi primatum arrogaret. Hæret enim in annis centum, cum non præcisè dicit circa *ſexcenteſimum*, ſed *circa ſexcenteſimum aut ſeptingenteſimum*; indicans ſe omninò ambigere in quoto centeſimo anno id acciderit. Vnde apparet, quod ſeculum vnum vel alterum non magnoperè curet. Mirum etiam, neminem eum nominare, qui præſumptuoſæ huius vſurpationis primus fuiſſet Author, vt ab omnibus tanquam hæreticus aut ambitioſus poſſet deuitari. Si tam perſpicuè initium & authorem iſtius cognouiſſet, vti nobis omnia de Luthero conſtant; haud quaquam tacuiſſet. Mirandum tamen vehementius, nullum iſta ætate vel Epiſcoporum, vel Doctorum extitiſſe, aut apud Græcos aut Latinos qui huic ſeſe præſumptioni tanquam hæreticæ adinuentioni oppoſuerit? quippe quibus nihil frequentius, quàm noua commenta mox in ſuo ſemine

enecca-

Digitized by Google

enecare, ac ſcriptis profligare. In omnibus alicuius momenti (vti hæc eſt) mutationibus, cùm nimirum vnus reliquis omnibus ſeſe anteponit, atque in cæteros dominatum ſibi vendicat ſolet certum adſignari tẽpus, author, modus. Vnde videor mihi animaduertere hunc *Quidam* vnum ex hæreticorum eſſe Miniſtris, qui eos ſolummodo perluſtrauit libros, qui ſuæ ſunt ſectæ, ignarus interim quid Sancti Patres alijq́; Eccleſiaſticarũ rerũ ſcriptores, de his & alijs nonnullis paulo poſt à nobis commemorandis, tradiderint. Qui vt de rei huius veritate melius à nobis queat edoceri, recenſebo hic Romanorum aliquot Epiſcoporum qui ante ſexcenteſimum vixêre annum, de propoſita materia ſententias.

CAP. III.

S. ANACLETVS Papa anno Domini 103. epiſtola tertia ita ſcribit: *Sacroſancta Romana & Apoſtolica Eccleſia non ab Apoſtolis, ſed ab ipſo Domino Saluatore noſtro Primatum obtinuit, & eminentiam poteſtatis ſuper vniuerſas Eccleſias, ac totum Chriſtiani populi gregem aſſecuta eſt.* Euariſtus quoque eius ſucceſſor Epiſcopos hortatur *a* anno Domini 112. vt in rebus dubijs ad Chriſtianam religionẽ pertinentibus, Romanum Pontificem tanquam ſupremum Eccleſiæ caput, conſulant. Poſt quem B. Alexander *b* primus anno 121. ſcribit ſibi à Chriſto demandatum officium, vt omnium gerat curam, tanquam ſummus Chriſtiani ouilis Paſtor. Quin & eius in Pon-

a *Epiſt.* 1.

b *Epiſt.* 1.

c *Epiſt.2.* in Pontificatu ſucceſſor S. c Sixtus anno 132. ſcribens ad omnes Epiſcopos, ſe *vniuerſalem Eccleſiæ Apoſtolicæ Epiſcopum* nominat, monetque vt *ſi quis pulſatus fuerit aduerſitate aliqua, ſanctā & Apoſtolicam appellet Sedem, & ad eā quaſi ad caput refugium habeat*. Poſt hunc B. Teleſphorus anno 142. encyclicam ad omnes Chriſtianos dedit epiſtolam, in qua tanquā vniuerſalis Eccleſiæ Præſul præcipit, *vt Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi ſeptem hebdomadas plenas ante ſanctum Paſcha à carne & delicijs ieiunent: nocte verò ſanctæ Natiuitatis Domini Saluatoris Miſſas celebrent, quoniam & eâdem nocte ab Angelis Paſtoribus nunciatus eſt*. Deinde S. Higinus epiſtola prima ad omnes Chriſti fideles ſcribens, *iubet vt ſaluo in omnibus Romanæ Eccleſiæ priuilegio, nullus Metropolitanus aliquorum audiat cauſas, abſque cæterorum omnium comprouincialium Epiſcoporum inſtantia*. Poſt quem B. Pius anno 158. epiſtola prima ad omnes Chriſti fideles, ſcribit *Romanam Eccleſiam à Chriſto omnium Eccleſiarum caput eſſe conſtitutam*. Eius quoque ſucceſſor D. Anicetus anno 167. ad Galliarum ſcribens Epiſcopos, mandat, *vt clerici comam non nutriant, ſed caput in modum ſphæræ radant*. Quod & B. Apoſtolus Petrus, iam olim (teſte Gregorio Turonenſe) præceperat. Inſuper & Sotherius Papa anno 175. voluit vt Chriſtiani omnes in cœna Domini ſacram percipiant Euchariſtiam, prout in iure Canonico à Gratiano citatur. Cuius ſucceſ-

Cap. 28. de glor. mart.

De conſecrat. diſt.2. c. in Cœna.

ucceſſor Eleutherius anno 180. ſcribens ad omnes Galliarum Prouincias, vult *vt omnes Clericorum actiones poſt finitiua Epiſcoporum iudicia, authoritate Sanctæ Sedis Apoſtolicæ finiantur.* Poſt quem B. Victor anno 194. epiſtola prima ad Theophilum Alexandrinum Epiſcopum *celebritatem ſancti Paſchæ die Dominico agi debere mandat:* quem etiam increpat, *quod Epiſcoporum cauſas iudicauerit, quas citra Pontificis authoritatem definire non licet.* Huius Pontificis mandato varia ſunt in Aſia, Palæſtina, Francia aliiſque regionibus ratione celebrandi Paſchatis, habita Concilia: qui cum omnes Dominico die illud ſeruare conſtituiſſent, præter Aſiaticos qui Iudaizantes decima luna Paſcha peragebant, excommunicationem hiſce minatus eſt, niſi actutum vniuerſalis Eccleſiæ cõſuetudini ac præcepto acquieſcerẽt. Itaq; omnia hæc iã à nobis cõmemorata de Romanis põtificibus, qui primis ducẽtis annis extitêre; certò certius oſtendunt, non poſt ſexcenteſimum aut ſeptingenteſimũ annũ Romanã Eccleſiã primatum ſibi vſurpaſſe in cæteros omnes Epiſcopos; à quibus non diſſentiunt etiam alij deinde ſubſequentes Romani Pontifices, nẽpè Zepherinus anno 203. Calixtus anno 201. Fabianus anno 238. Lucius anno 256. Stephanus anno 258. Sixtus anno 260. Dionyſius anno 261. Fœlix anno 272. Marcellus anno 304. Euſebius anno 307. Melchiades anno 311. qui omnes ſanguinis ſui effuſione Chriſtianam

ſe neutiquam dubitare Diuum AVGVSTINVM *ſi viueret, Doctoris Martini diſcipulum ſine vllo pudore ſe profeſſurum*. O impudentem inſcitiam. Secundò, ſi fides noſtra erronea eſt, & reformatione opus habet, neceſſariò ſequitur neminem ex omni antiquitate ſaluari potuiſſe, quippe qui vnum idemque crediderunt, quòd nos modò credimus. *Qui* enim *non crediderit, iam iudicatus eſt*, & æternis gehennæ ſupplicijs addictus. *Sine fide* namque *impoſſibile eſt placere* DEO. Nulla autem ſimplicitas infidelitatem excuſat. Vnde rectè Tertullianus; *Ignorantes*, inquit, *Dominum nulla exceptio à culpa tuetur*. TERTIO, ſanctam Eccleſiam ab inferorum portis ſuperatam, adeoq; CHRISTVM ipſum mendacem eſſe, qui omninò nobis contrarium eſt pollicitus. Sed conſiderandus eſt huius reformationis modus, non ab aliquo Generali (vt par erat) Concilio aut legitimis Eccleſiæ Prælatis, ſed à quodam excucullato Monacho Martino Luthero anno 1517. introductus: qui de ſe ipſo teſtimoniũ fert, quod ſæpius cum cacodæmone collocutus ac cõuerſatus ſit. Huic primò indulgentiæ diſplicuêre, deinde communio vnius ſpeciei, poſtmodum Miſſæ ſacrificium, ſicque conſequẽter modò hæc, modo illa. Cuius audacem reformandi modum conſpicati alij, cœperunt & illi eandem ſibi vſurpare authoritatem, ne ſuo viderentur Magiſtro eſſe inferiores. Sic Andreas Carolſtadius verũ Chriſti corpus

Ioan. 3.
Marc. 16.
Heb. 11.
Lib. de Pœnit. cap. 5.
Lege Aurifabrũ Tit. 24. de dæmonibus.

Digitized by Google

pus negauit in S. Euchariſtia. Quē ſecuti Bucerus, Zvvinglius & Caluinus, alia quoq; in fide reformarunt. Anabaptiſtæ verò adhuc multò plura, nec non & noui Arriani. Eoque tandem res progreſſa, vt ſecundum hos reformatores, nullus degat in cœlo Sanctus, infernum nihil eſſe præter imaginationem iræ diuinæ, Chriſtum gehennæ pœnas ſuſtinuiſſe, ipſam Sacroſanctam Trinitatem Cerberum eſſe tricipitem, ſeu canem illum infernalem. Conſeruet nos DEVS ab hac reformata Eccleſia, quæ haud procul à Turcica abeſt ſuperſtitione, ac Mahomatica perfidia; ſicuti ante annos aliquot inſignis ille Hugonotha Dominus *Gulielmus de gran Rÿ*, ſiue *de gran Ciampo* Regis Franciæ Ambaſſator apud ſupremum Baſſam Byzantij veraciter eſt proteſtatus. Interim verò qui ſe ipſos reformatos nominant, oportet vitam quoque non deformatam agāt. Sed eheu maiori flagitiorum cumulo hi noui reformatores ſunt oppreſſi, quàm vlli vnquam Catholici: vti præſens hoc opuſculum conſequenter edocebit.

Vide Epiſt. Aloisÿ Cuchÿ, qua extat lib. 7. Collat. Bredenbachÿ. cap. 19.

PRIMA CATHOLICORVM PROPOSITIO.

Iam inde ab APOSTOLORVM temporibus, vſque ad annum 17. ſupra milleſimum quingenteſimum, quo Martinus Lutherus nouam ſuā doctrinā in Orbem inuexit, nemo in toto Orbe extitit, qui per omnia cum Martiniſtarum, Caluiniſtarū, Anabaptiſtarum, aut aliorum eiuſmodi Sectariorum opinione conſenſerit.

NEQVE vllus vnquam hæreticorū probabit APOSTOLOS aut EVANGELISTAS, Martiniſtarū, Caluiniſtarum, vel alterius nouæ ſectæ fuiſſe. Ex quo ſequitur, Martiniſtas, Anabaptiſtas, Caluiniſtas, nullam prorſus habere fidem; ſed recens duntaxat excogitatum fidei figmentum, quod fidei nomine, exornant, ac venerantur; eoſque eſſe illos ipſos, de quibus varijs in locis Scriptura ſacra affirmat, Nouiſsimis temporibus venturos eſſe Pſeudoprophetas, &c.

AD

CAP. I.

AD HANC euertendam Propoſitionem debuiſſet Antagoniſta vnum ſaltẽ produxiſſe in medium, qui ante Lutheri tempora ſic in omnibus crediđiſſet, vt ipſi iam credunt; ſic enim eius ſcriptis melius reſpondiſſem, ac contrarium facilius demonſtraſſem. Verum id omiſit, quippe quod præſtitu ſciebat impoſſibile. Fatemur quidem multas hoc tempore paſſim hęreſes à Lutheranis & Caluinianis ventilari, olim in diuerſis hæreticis ab Eccleſia damnatas: noſtri enim ſectarij ingentem harum cumulum ab Orco reuocarunt. Sic Simon Magus ſolam fidem hominem iuſtificare adſtruebat. Euſtatius, Eunomius, Vigilantius, reliquiarũ exſibilabant cultum: quorum poſterior etiã Sanctorum inuocationem irridebat. Aerius, Armeni, Albanenſes purgatorium reijciebant. Xenaias, Mahometus, & Copronymus ſuis cum aſſeclis imagines oppugnabant. Petrobruiſani ætate D. Bernardi, nec non & Claudius Taurinenſis ſacrorum locorum peregrinationes ſubſannabant. Nouatiani Confirmationis ac Pœnitentiæ Sacramenta reſpuebant, vti Tandemus ſacrorum Ordinationes, Encratitæ Matrimonium, Albigẽſes Extremam Vnctionẽ, VViclefus & VValdenſes indulgentias nihili faciebant. Bertramus & Berengarius circa Euchariſtiæ Sacramentum delirabant, Miſſæque ſacrificium. Verùm & hæ omnes, & longè plures iam olim à Catholicis damnatæ ac profli-

profligatæ hæreſes, rurſus ab his nouis reformatoribus, Luthero ſcilicet, Zvvinglio, Caluino alijſque reſuſcitatæ ſunt; quemadmodum & ipſe Arrianiſmus, quem Lutherus amplexus eſt, dum ſcribit ad Iacobum Latomum: *Anima mea odit hoc verbum* ὁμόσιον; negans ſcilicet Chriſtum filium Dei Patri eſſe conſubſtantialem. Cuius veſtigijs inſiſtens Caluinus, ſcribens contra Valentinum Gentilem, adſerit Chriſtum non eſſe creatorem mundi veluti Pater, ſed *impropriè* tantum. Qui & libro ſecundo Inſtitutionum ſuarum, capite quartodecimo effutire audet, CHRISTVM ſecundum Deitatem Patri debere eſſe ſubiectum: ex quo concluditur non eſſe eundem Deum cum Patre, ſed alium, & minorem. Hunc ſecutus Clemens Marotus, in pſalmum octauum ſcribens; dicit Deũ feciſſe hominem *preſque dieu*, id eſt quaſi Deum: Quod tamẽ Paulus ad Hebræos de Chriſto explicans, affirmat illum verum eſſe Deum. Quamuis igitur omnes priſcæ ætatis hæreſes toties olim exploſæ, iam denuò in lucem ab hiſce noſtris nouatoribus ſint reuocatæ, nulla tamen illarum omnium cum modernis per omnia conſentit. Habuerunt enim nonnulla quæ vel noſtri damnãt & reijciunt, vel noſtri noua quædam profitentur commenta, quæ ipſi exploſerunt. Lutherus enim & Caluinus nonnullos excogitarunt errores, toti mundo hactenus incognitos. Verum enimuerò de antiquis Catho-

Hebr.2.

licæ

licæ Eccleſiæ Doctoribus alibi in opuſculo præſenti dabitur tractandi locus, audiamus nunc quid reſponſi noſter Antagoniſta ad Propoſitionem adferat.

PRIMAE PROPOSITIONIS ANTITHESIS.

Iam inde ab Apoſtolorum temporibus vſque ad annum circiter ſexcenteſimum vel ſeptingenteſimum, quando nimirum Romanorum Epiſcopi ſe primùm aliarum regionum prætulêre Epiſcopis, nemo in toto orbe repertus eſt, qui per omnia ita credidit, vti nunc credit Romana, Pontificia, atque Apoſtolica Eccleſia. Cuius propugnatores haud quaquam demonſtrare poſſunt, quod Apoſtoli, adeoqúe Orthodoxi Patres cum ea vnum idemqúe ſenſerint. Cùm è cõtrario probatum ſit, reformatæ Eccleſiæ doctrinam in Apoſtolicis Propheticiſqúe ſcriptis ſolidatam eſſe, ſempérque plurimis in locis nonnullos extitiſſe, qui in præcipuis fidei arti-

articulis idem docuêre quod hodierno tempore docent reformati.

CAP. II. *Quinq; mẽdacia hac Antith:ſis potiſſimum continet. Primum mendaciũ.*

HAEC Antithesis quandoquidem multis ſcatet mendacijs, ne rem in longũ protrahamus, ex ijs quinq; tantùm hîc producã. *Primum* eſt, quod Romani Epiſcopi circa annum ſexcenteſimum aut ſeptingenteſimum aliarum regionũ ſeſe præferre cœperint Epiſcopis. Mirum profecto, Antagoniſtam hunc nullum certum adſignare annũ, quãdo hæc tanta orta ſit præſumptio, vt Romanus Epiſcopus cęterorum ſibi primatum arrogaret. Hæret enim in annis centum, cum non præcisè dicit circa *ſexcenteſimum*, ſed *circa ſexcenteſimum aut ſeptingenteſimum*; indicans ſe omninò ambigere in quoto centeſimo anno id acciderit. Vnde apparet, quod ſeculum vnum vel alterum non magnoperè curet. Mirum etiam, neminem eum nominare, qui præſumptuoſæ huius vſurpationis primus fuiſſet Author, vt ab omnibus tanquam hæreticus aut ambitioſus poſſet deuitari. Si tam perſpicuè initium & authorem iſtius cognouiſſet, vti nobis omnia de Luthero conſtant; haud quaquam tacuiſſet. Mirandum tamen vehementius, nullum iſta ætate vel Epiſcoporum, vel Doctorum extitiſſe, aut apud Græcos aut Latinos qui huic ſeſe præſumptioni tanquam hæreticæ adinuentioni oppoſuerit? quippe quibus nihil frequentius, quàm noua commenta mox in ſuo ſemine

eneca-

Digitized by Google

enecare, ac ſcriptis profligare. In omnibus alicuius momenti (vti hæc eſt) mutationibus, cùm nimirum vnus reliquis omnibus ſeſe anteponit, atque in cæteros dominatum ſibi vendicat ſolet certum adſignari tẽpus, author, modus. Vnde videor mihi animaduertere hunc *Quidam* vnum ex hæreticorum eſſe Miniſtris, qui eos ſolummodo perluſtrauit libros, qui ſuæ ſunt ſectæ, ignarus interim quid Sancti Patres alijq́; Eccleſiaſticarũ rerũ ſcriptores, de his & alijs nonnullis paulo poſt à nobis commemorandis, tradiderint. Qui vt de rei huius veritate melius à nobis queat edoceri, recenſebo hic Romanorum aliquot Epiſcoporum qui ante ſexcenteſimum vixêre annum, de propoſita materia ſententias.

CAP. III.

SANACLETVS Papa anno Domini 103. epiſtola tertia ita ſcribit: *Sacroſancta Romana & Apoſtolica Eccleſia non ab Apoſtolis, ſed ab ipſo Domino Saluatore noſtro Primatum obtinuit, & eminentiam poteſtatis ſuper vniuerſas Eccleſias, ac totum Chriſtiani populi gregem aſſecuta eſt.* Euariſtus quoque eius ſucceſſor Epiſcopos hortatur *a* anno Domini 112. vt in rebus dubijs ad Chriſtianam religionẽ pertinentibus, Romanum Pontificem tanquam ſupremum Eccleſiæ caput, conſulant. Poſt quem B. Alexander *b* primus anno 121. ſcribit ſibi à Chriſto demandatum officium, vt omnium gerat curam, tanquam ſummus Chriſtiani ouilis Paſtor. Quin & eius in Pon-

a *Epiſt.* 1.
b *Epiſt.* 1.

Digitized by Google

ſucceſſor Eleutherius anno 180. ſcribens ad omnes Galliarum Prouincias, vult *vt omnes Clericorum actiones poſt finitiua Epiſcoporum iudicia, authoritate Sanctæ Sedis Apoſtolicæ finiantur.* Poſt quem B. Victor anno 194. epiſtola prima ad Theophilum Alexandrinum Epiſcopum *celebritatem ſancti Paſchæ die Dominico agi debere mandat:* quem etiam increpat, *quod Epiſcoporum cauſas iudicauerit, quas citra Pontificis authoritatem definire non licet.* Huius Pontificis mandato varia ſunt in Aſia, Palæſtina, Francia alijſque regionibus ratione celebrandi Paſchatis, habita Concilia: qui cum omnes Dominico die illud ſeruare conſtituiſſent, præter Aſiaticos qui Iudaizantes decima luna Paſcha peragebant, excommunicationem hiſce minatus eſt, niſi actutum vniuerſalis Eccleſiæ cõſuetudini ac præcepto acquieſcerẽt. Itaq; omnia hæc iã à nobis cõmemorata de Romanis põtificibus, qui primis ducẽtis annis extitêre; certò certius oſtendunt, non poſt ſexcenteſimum aut ſeptingenteſimũ annũ Romanã Eccleſiã primatum ſibi vſurpaſſe in cæteros omnes Epiſcopos; à quibus non diſſentiunt etiam alij deinde ſubſequentes Romani Pontifices, nẽpè Zepherinus anno 203. Calixtus anno 201. Fabianus anno 238. Lucius anno 256. Stephanus anno 258. Sixtus anno 260. Dionyſius anno 261. Fœlix anno 272. Marcellus anno 304. Euſebius anno 307. Melchiades anno 311. qui omnes ſanguinis ſui effuſione Chriſtianam

corroborarunt fidem . Quin & poſt illos nonnulli alij ſanctitatis opinione celebres Romanæ Eccleſiæ Pontifices, idem conteſtati ſunt ; è quorum numero ſunt in primis Marcus anno 338. Iulius 341. Damaſus 369. Siricius 388. Anaſtaſius anno 403. Innocentius anno 406. Sixtus III. anno 434. Leo I. anno 442. Gelaſius anno 492. Ioannes I. anno 525. Ioannes II. anno 533. Pelagius I. anno 556. Pelagius II. anno 579. illiuſque ſucceſſor Gregorius, re ac nomine Magnus, anno nimirum 590. Vnde vt rem in pauca conferam, paucos omnino inter primos ſexcentos aut ſeptingentos annos Romanorum Pontificum reperies qui non idem & ſcriptis declararunt ſuis, & actu ipſo oſtenderunt.

CAP. IV. *Secundum mendaciũ.*

SECVNDVM mendacium eſt, *ab Apoſtolorum temporibus vſque ad annum circiter ſexcenteſimum aut ſeptingenteſimum neminem in toto orbe repertum, qui per omnia ita credidit, vti nunc credit Romana, Pontificia, & Apoſtatica Eccleſia.* In hoc amice mi, toto erras cœlo, vnde tria in primis tibi proponenda ſunt.

Primò, Romanam Catholicam Eccleſiam vſque ad annum 1594. quo hæc ſcribimus, nullum in fide feciſſe naufragium. Premitur quidam ac perſecutionibus infeſtatur, ſed non opprimitur, nec vnquam vel in minimo fidei articulo detrimentum patietur: nam humanis non nititur opinionibus, vt vos nugamini, ſed ſolidæ fidei firmitati inhęret.

ret. Lutheri atque aliorum ſectariorum Synagogæ quia ſæpè ſuarum variant figmenta opinionum, facilè in nihilum redigentur: quippe cùm pauci hoc tempore reperiantur, qui primæ Confeſſioni Auguſtanæ adhæreant: quæ vt paulatim incipit euaneſcere, ſic & cætera hæreſum portenta aliquãdo exterminabuntur; nõ minus quàm olim priſcæ ætatis hæreſes, quarum vix iam memoria exſtat.

Secundò, Romanam Eccleſiam ſecundum noſtri Antagoniſtæ ſententiam duraſſe, ab anno ſexcenteſimo aut ſeptingenteſimo, hoc eſt annis octingentis, quæ temporis longinquitas præſcriptionem omninò inducit. Hinc Diuus Hieronymus ſui æui hæreticos exſibilat, quod poſt annos tantùm quadringentos nouitiam conarentur inducere religionem. Verum multo id conuenientius in noſtros quadrat hæreticos, qui nos ex veteri poſſeſſione, quam ad integros octingẽtos annos quietè ac pacificè, nemine omninò contradicente occupauimus, exturbare nituntur.

Epiſt. 65. ca. 3. ad Pammach. & Oceanum.

Tertiò, reſpondeo intra primos ſeptingẽtos annos fuiſſe in Eccleſia eandem illam fidem, quam nos Catholici etiamnum profitemur. Quam & omnes præfati tenuêre Põtifices, quin & ſex prima Oecumenica interea tẽporis celebrata Cõcilia; oẽs SS. Eccleſię Doctores, maximè Ambroſius, Auguſtinus, Hieronymus, vti ex eorũ cõſtat CONFESSIO-

NIBVS; immò & Græci quoque Patres, vt Chryſoſtomus, Baſilius, Nazianzenus, Athanaſius: qui quidem omnes familiariter vſi ſunt ſui temporis Romanis Pontificibus. Athanaſius etenim ad Iulium confugit Pontificem, Chryſoſtomus ad Innocentium; cui & D. Auguſtinus ſe ſubmiſit. Hinc eſt quod B. Hieronymus ad Damaſum ſcribens, *Ego nullum*, inquit, *primum, niſi CHRISTVM ſequens, beatitudini tuæ, id eſt, Cathedræ PETRI, communione conſocior: ſuper illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicunq; extra hanc domum agnum comederit, profanus eſt.* Et paulo poſt: *Quicunque tecum non colligit, ſpargit: hoc eſt, qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt.* Nemo autem in hoc Hieronymo cõtradixit: quippe cùm omnes idem ſenſerint Catholici, adeóque ipſa ſex prima œcumenica Concilia cum omnibus deinde ſequentibus à Romanis Pontificibus approbata, eandem in omnibus fidem (vti latius à me aliquãto pòſt dicetur) tenentes.

Epiſt. 57. ad Damaſ.

CAP. V.

Tertium mendaciũ.

TERTIVM mendacium eſt, *non poſſe Romanæ Eccleſiæ propugnatores vllatenus demonſtrare, quod Apoſtoli, adeoq; Orthodoxi Patres cum ea vnum idemque ſenſerint.* At verò nos Catholicos, nihil aliud credere quàm crediderunt olim Apoſtoli, tribus patet rationibus.

Tres rationes quod Romana, Eccleſia cum Apoſtolis ſemper vnũ idemq; ſenſerit.

Prima.

Primò, quia omnia illorum ſcripta ſuſcipimus, agnoſcimus, intelligimus; eo planè ſenſu, qui nobis ab Apoſtolorum ſucceſſoribus traditus eſt.

Secun-

Digitized by Google

Secundò, quia eam amplectimur fidem, quam multi doctrina & vitæ ſanctimonia præſtantes Epiſcopi ipſis Apoſtolis adhuc in vita exiſtentibus, non ſolum viua voce publicè docuerunt, ſed & literarum monumentis poſteritati reliquerunt. B. Dionyſius namque Areopagita, viuente adhuc Ioanne Euangeliſta, Athenienſem annis quadraginta rexit Eccleſiam: Sanctus verò Ignatius, Antiochenæ annis admodum triginta præfuit, ſuperſtite eodem Euangeliſta Præceptore ſuo: ad quem, Diuo Bernardo teſte, aliquot dedit Epiſtolas. Horum vterque noſtram ſuis ſcriptis aduerſus omnes hæreticorum phalangas acriter (prout Romæ edocti erant) propugnauit fidem: Eandem nimirũ, quam Petrus & Paulus ibidem plantauerãt. Quæ & iſtic inuiolabiliter vſque ad ætatem B. *a* Auguſtini & *b* Optati Mileuitani, qui anno Domini 400. in viuis fuëre, omneſque Romanos Pontifices qui Petri cathedram ſucceſſiuè tenuerunt, recenſent, eſt conſeruata. Inde verò conſequenter vſque ad B. Agathonis Romani Pontificis tempora, hoc eſt ad annum vſque 680. vti ipſemet in ſua teſtatur Epiſtola, Romæ ab 130. Epiſcopis ſubſignata; ac deinde cum omni reuerentia anno 681. à Generali Conſtantinopolitana Synodo, cui 351. interfuëre Epiſcopi ſuſcepta, & approbata. Poſtmodum verò anno 1116. Paſchalis Papa II. in publico Lateranenſi Cõcilio proteſtatus eſt, ab Apoſtolorum tempori-

Secunda.

Serm. 6. in Pſa. 90, Qui habitat.

a *Epiſt. 165.*
b *Lib. 2. cõtra Donatiſt.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

poribus vſque ad ætatem ſuam, nullam in rebus fidei Romæ immutationem factam: cui nemo penitus eſt reluctatus, quanquam magnæ tunc in Eccleſia animorum diſſenſiones fuerint, ob rebellionem nimirum Henrici Quinti Imperatoris, in eodem Concilio à Paſchali Pontifice excommunicati.

Tertia.

Tertiò, quia in omnibus mundi regionibus, in queis Apoſtoli atque eorum diſcipuli Chriſtianam prædicarunt fidem, eandem prorſus prædicarunt, quam nos nunc tenemus, idque ſine vlla mutatione. Vbi vero aliqua facta eſt variatio, veluti apud Græcos & Armenos, id ſtatim quiuit agnoſci; non minus quam nobis hoc tempore de Luthero & Caluino conſtat, qui in Germaniam & Franciam, magnam ſuis temporibus fidei mutationem inuexerunt. Tuam ergo iam nunc, amice lector, conſcientiam ingredere, & hæc tria accuratius conſidera.

Tria accuratè conſideranda.

Primò, Apoſtolos per vniuerſum terrarũ Orbem Euangelium propagaſſe.

Secundò, Romanam fidem etiamnum hoc tempore iis in locis conſeruari, vbi ab Apoſtolis prædicata ac plantata eſt.

Tertiò, neminem omninò nominari poſſe, qui aliquam in fide generalem immutationem inſtituerit, nec tempus quando inſtituta ſit: vnde concluditur Romanam Eccleſiam eam profiteri fidem, quam olim

vbique

Digitized by Google

vbique prædicarunt Apoſtoli. Qui ſi Lutheranæ aut Caluinianæ fidei dogmata docuiſſent, mirum profectò in toto terrarum orbe nullum repertum iri locum, in quo ita olim Euangelium fuerit prædicatum, exceptis iſtis tenebricoſis angulis, in quos Lutherus & Caluinus id ſua ætate ſparſerunt.

De Patribus verò atque Eccleſiæ Doctoribus ſuperius dixi, probauique illos in omnibus Romanæ adhæſiſſe Eccleſiæ, atque illam omninò habuiſſe fidem, quam nos Catholici etiamnum habemus; à nullo prorſus Romanorum Pontifice immutatam.

QVARTVM mendacium eſt, *probatum eſſe reformatæ Eccleſiæ doctrinam in Apoſtolicis Propheticiſque ſcriptis ſolidatam eſſe.* Huic nihil reſpondeo aliud, quam me huiuſmodi probationem necdum vidiſſe: quæ vbi in lucem prolata fuerit, à nobis diſcutietur. Mirum tamen ex omnibus tot Sanctiſſimis Catholicæ Eccleſiæ Patribus neminem repertum, qui reformatam hanc veſtram doctrinam in ipſis ſacris literis inuenire potuerit. *Quartum mendaciū.*

CAP. VI.

QVINTVM. *Semper plurimis in locis nonnullos extitiſſe, qui in præcipuis fidei articulis idem docuere, quod hodierno tempore docent reformati.* *Quintum mendaciū.*

Verum dico *in primis*, mirabile hoc eſſe ad meam Propoſitionem reſponſum. Scripſeram enim, ne vnum quidem

 fuiſſe

fuiſſe qui in omnibus ita ſenſiſſet, vti nunc Lutherani, Caluiniani, Mennoniſtæ, & alij id genus ſectarij. Ad quod tibi reſpondendum erat, fuiſſe; ſi non plures, ſaltem vnum qui ante Lutheri, Caluini, ac Mennonis tempora talem habuiſſet fidem, qualem ipſi poſtea orbi obtruſerunt. Verum hoc prætermiſſo, dicit ſatis probatum eſſe, diuerſis in locis multos extitiſſe, qui in præcipuis fidei articulis idem docuerint, quod ipſi nũc docent. Hoc ſi ita eſt, profer vel vnum. Ego enim nec in Patribus, nec in Eccleſiaſticis annalibus non dico centum, nec quinquaginta, vel viginti, ſed ne vnum quidem hactenus reperire potui: quin immo legi apud Ioannem Aurifabrum in ſermonibus conuiualibus, Lutherum fateri ſe ſuæ ſectæ primũ inuentorem extitiſſe.

Tit. 24. & 25.

Secundò, quod dum nominat *reformatam* Eccleſiam, nihil certi exprimit, an hoc nomine intelligat vel Lutheranam, vel Caluinianam, aut etiam Anabaptiſticam: horum enim *quilibet ſuã Synagogã hac nominũclatura dignatur, quòd ſcilicet ſint Euãgelici, quod in omnibus Apoſtolicã ſequãtur doctrinã, quod fidẽ habeant fundatam in Apoſtolicis ac Propheticis Scripturis. quod inſignes aliquot Doctores, qui in præcipuis fidei articulis ſecũ ſenſerint, ſemper habuerint, &c.* cũ interim ſeſe mutuis proſcindant conuitijs, ac tanquam hæreticos excõmunicent: non valentes demonſtrare, quænam doctrina magis ſit Euangelica, Lutherané,

nanè,

Digitized by Google

nanè, an Caluiniana? Anabaptiſtica, an præcedentium aliqua. Quod ſi Lutheranam hoc nomine intelligit, ſcire percupio, quæ nam potiſſimum hæc ſit. Nam & inter hos diuerſæ diuerſorum graſſantur opiniones, quibus à ſe mutuo non minus, quàm à Caluinianis diſſentiunt: ſunt enim Adiaphoriſtæ, ſunt Illyriciani, ſunt Oſiandrini, ſunt deniq; Vbiquetarij, alijque. Si verò Caluinianam vult intelligi, exprimat neceſſe eſt, quæ nam illa ſit ex quatuor, quæ hoc tempore in ſolo tantum Angliæ regno dominatur; in quo ſunt in primis vulgares Caluiniſtæ, nec non & Puritani, qui Caluini medullam ſe ſuxiſſe gloriantur; item Brunoniſtæ, Brunonis cuiuſdam veſtigijs inſiſtentes; tum quoq; Proteſtantes, vti vocantur, Statenſes, qui ad Reginæ placitum ſuam accommodant fidem: qui tamen omnes cane peius & angue ſibimet contrariantur. Mennoniſtæ verò, in ſectas innumerabiles ſecti ſunt ac diuiſi: Sunt enim qui Mennonis ſequuntur doctrinam, ſunt qui Dauidis Georgij; quin & Libertini inter eos reperiuntur, ac Munzeriani à Thoma Munzero nomen mutuantes &c. Hi omnes Euangelicam ſibi vendicare conantes Eccleſiam, de *reformationis* titulo gloriantur: cùm horum neutrum vel his vel illis conueniat. Operæ pretium ergo fuerit, vt explices qui nam inter hos *Reformati* ſint; & quare iſti potius, quàm alij; cum in vniuerſum omnes pari ſtudio purum putum DEI ver-

De Anabaptiſtarum varijs ſectis, videat lector libellū qui belgicè anno 1603. Coloniæ prodijt, cui titulus, Succeſſio Anabaptiſtica.

verbum,(vti gloriantur)doceant, ad quod ſuam ſe reformare dicunt Eccleſiam.

CAP.VII. Tertiò, notandum, quod dum mihi vnum ſaltem nominari cupio, qui per omnia Lutheri, Caluini, vel Mennonis dogma ſit ſecutus, reſpondeat iſte Quidam, *plurimos extitiſſe* (neminem tamen nominando) *qui in præcipuis fidei articulis ita ſenſerit, vt ipſi.* Non quidem in omnibus, ſed in plurimis. Quæritur ergo hîc, qui nam ſint iſti pręcipui fidei articuli? Exiſtimo autem alterum te reſponſurum, quod nimirũ vel duodecim primarios Symboli articulos intelligas; vel illos, contra quos quicunq; crediderit, ſaluus eſſe non poſſit. Si primum, ergo cõcedo plurimos extitiſſe qui Symbolo Apoſtolorum, duodecim comprehẽſo articulis, prout verba ſonãt, crediderint; nõ modò Catholicos, ſed & hæreticos, qui tamen ideo pro hæreticis habiti vel excommunicati non ſunt, ſed ideo quod præter hæc, alia nonnulla reiecerint: veluti Aërius, dãnans preces pro defunctis; Vigilãtius, reliquiarũ veneratione exſibilãs; adſerens Sanctos in cælis haud quaquã pro nobis orare, cœlibatũ interim Eccleſiaſticorũ vituperãs: itẽ Pelagius, originali peccato alijſq; nonnullis contradicẽs. Itaq; non ideo vos hęreticos eſſe negare poteſtis, quod cum Sãctis Patribus fidẽ Apoſtolico Symbolo habeatis; hoc enim & hæreticorũ nõnulli factitarũt. Quanquã horum nullus eo modo hos duodecim Chriſtianæ fidei articulos, vt

decet,

decet intellexerit. Nam vt omittam, neminem hæreticorum habere fidem, ſed potius prauam quam ſibi ipſi delegit opinionē, vnde & nomen ab electione hæreticus traxit; certò certius conſtat, omnes nono fidei articulo, quo proteſtamur nos credere *Sanctam Eccleſiam Catholicam*, repugnare. Hîc enim non iubemur in genere credere, ſanctam aliquam Eccleſiam in mundo extare, ſed quod illa non alia ſit, quam Romana, cui ſemper CATHOLICAE adhæſit nomen. Quemadmodum ſatis non eſt, credere Meſſiam ſeu Chriſtum aliquem mundo cœlitus eſſe donatum, niſi credamus illum eundem eſſe, quem ſanctiſſima Virgo Maria nobis peperit; nempe Chriſtum IESVM Saluatorem noſtrum. Quid enim tibi ad ſalutem prodeſſe poterit, ſi tantùm ſcias vnam eſſe in mundo Eccleſiam, niſi & noris vbi ea inueniri debeat, & quæ nam illa ſit, vt eius beneficio perfruaris?

Tertull. de præſcript. cap. 6.

CAP. VIII.

SI INTELLIGIT per præcipuos fidei articulos, omnia illa quæ ad fidem pertinēt, hoc eſt contra quæ ſi credatur, ſalus obtineri non poſſit (hoc enim mihi videre videor ob vltimam eius concluſionem, in qua præter Apoſtolorum Symbolum alios adhuc quatuordecim fidei articulos nominat, inferens *cum tali fide neminem æternæ damnationis euadere poſſe ſententiam*) certum eſt, quod ne vnū quidem producturus ſit, ab Apoſtolum æuo vſque ad Lutheri, qui in huiuſcemodi

fidei

fidei articulis cum vllo noſtræ ętatis hæretico,ſit qualiſcunque etiam velit,conſenſerit. Si enim PATRES reſpicias, nullum omninò inuenies qui non in præcipuis Chriſtianę fidei articulis,quibus Romanam oppugnant Eccleſiam,contrarium ſenſerit. Ex horum enim numero nonnulli tales articulos veluti hæreticos ſuis ſcriptis olim damnarunt profligaruntque: veluti Auguſtinus,Philaſtrius, Ambroſius,Epiphanius,Hieronymus,Theodoretus &c. Alij verò contrarium docuerunt;vt Cyprianus, Baſilius, Chryſoſtomus &c. Quod in refutatione vltimæ Concluſionis,aduerſus has Antitheſes Deo largiente plenius ſum demonſtraturus; oſtendendo nimirum,quatuordecim hos articulos quos hic *Quidam* pro erroneis habet, ab antiquis Eccleſiæ Patribus tanquam verè Catholicos fuiſſe agnitos.Quod & Caluinum haudquaquam latet,qui in libris Inſtitutionum ſuarum,varijs in locis audacter pronunciat, veteres quidem ita ſenſiſſe, verum omnes in errorem fuiſſe abreptos,Idem & Magdeburgenſes Centuriatores fatentur, qui ſtomachabundi in omnibus ſuis centurijs conqueruntur,tam Patres quam Epiſcopos alios, cũ Catholicis contra ſe ſtetiſſe & ſcripſiſſe. De plebeis certum eſt,quod nulla hæreſeos imbuti labe,ſuorum Epiſcoporum vocem ſint ſecuti,inſtar ouium, paſtorum veſtigijs inſiſtentium. Mirum ergo, qui nam fuerint illi viri doctrina ac pietate præſtantes, qui Lutheri

Lib.2.ca.2. 3.16. & lib. 3.ca.3.4.& lib.4. ca. 4. 12.15.& 18.

theri ac Caluini placitis ſemper adhæſerint. Ad quod ſubinde mihi à nonnullis reſponſum eſt; fuiſſe quidem, ſed incognitos, atque in abditis deliteſcentes: quibus ego reſpondeo tria hæc.

IN PRIMIS, ex qua hiſtoria id cognouerint: ſi enim ſine teſtibus hoc proferunt de ſecta ſua, licebit & mihi pari ratione nouam aliquam excogitare, de qua idem pronunciem, aſſerendo pleroſque huius meæ ſectæ cultores fuiſſe incognitos. CAP. IX.

Secundò, hi incogniti Lutherani, quam vitæ regulam ante Lutherum conſectati ſunt? publicum ne aliquod religionis ſuæ exercitium habuêre, aut templum concioneſvè publicas? Dic quæſo vbi? in qua orbis regione? qua vrbe? qui fit quod nemo hac de re litterarum monumentis quidquam ad poſteritatis memoriam conſignauerit, aut vlla indicia reliquerit? Si populum imitati, ob inquiſitionis metum delituerunt, ſequuntur hæc duo grauiſſima incommoda.

Primò, iſta ætate nuſquam in mundo veram fuiſſe Chriſti Eccleſiam: ſignum namq; veræ Eccleſiæ (vti noſtri fatentur aduerſarij) confeſſio eſt fidei: vbi ergo fidem nemo confitetur, ſed fidei contrarium agit (quale apud vos reputatur, Miſſæ intereſſe officio, ac proceſſionem cum venerabili Sacramento obire, inque ea accenſas deferre faces, communicare item ſub altera ſpecie, atque alia huiuſmodi quæ hæretici execrantur pietatis offi-

officia præſtare) ibi vera eſſe Ecclesia non poteſt. *Corde enim*, vt ait Paulus, *creditur ad iuſtitiam, ore autem fit confeſſio ad ſalutem.* Rom. 10.

Secundò, Chriſti Eccleſiam his octingentis annis in deteriori fuiſſe ſtatu, quàm vlla hæreticorum ſecta, aut ipſi miſerrimi Iudæi vnquam fuerunt. Omnes enim hi ſua & exercitia & templa habuerunt. Quemadmodũ de Iudæis conſtat, qui etiamnum ſuis in quibus conueniunt non carent Synagogis, vbi & Scripturas audiunt, ſuiſque vtuntur cæremonijs. Sola tantùm Sacroſancta Eccleſia in tenebris ſine Epiſcopis delituit, ſine tẽplis, ſine pijs vllis exercitijs; non quidem per annos duntaxat centum, ſed octingentos, vel (vt Caluinus nugatur) propemodum mille: aut ſecundum Centuriatorum Magdeburgẽſium querimoniam, vltra annos mille quadringentos. Quod ſi ita eſt, dic amabo, vbi promiſſiones Dei, Eccleſiæ ſuæ per Prophetas factæ, maximè de inſigni gloria ac ſplendore, qua illuſtranda foret; non vno, duobus, aut ſex ſeculis, ſed in ſecula ſeculorum, quã diu hic ſtabit orbis.

Tertiò, neminem ante Lutheri vel Caluini ætatem huius extitiſſe opinionis, inde manifeſtè conſtat; quod omnes vel ab his, vel ab ipſorum diſcipulis, eam ſint cõſecuti & edocti: Nam ſi qui alij fuiſſent, illi haud dubio his ſeſe adiunxiſſent, non quidem vt Præceptoribus ſuis, ſed vt conſodalibus, ac eiuſdem ſecum opinionis. Sed quis talis reperi-

perietur? profectò nullus. anno 1517. Lutherus multos ſibi habuit adhærentes, non tamen vt ſocios, ſed vt ſectæ ſuæ aſſeclas: ſibi enim ſoli Magiſterij nomen & gloriam aſſeruans cæteros anteire voluit, atque vt eandem ſecum cantilenam canerent, præſcribere. Atque hinc Andreas Carolſtadius cum ſciolus haberi vellet, vnumque aut alterum articulũ ad Lutheri dogma adieciſſet, VVittenbergo exulare debuit, ac miſeram traducere vitam, licet primariæ ædis eſſet Archidiaconus, & ætate dignitateque Monacho Luthero (quem Doctorem creauit) ſuperior. Quod autem de Luthero oſtendi, idem & de Caluino facilè probauero, vt notum ſit omnibus, neminem ante ipſorum ætatem ſic per omnia ſenſiſſe ac credidiſſe.

CONCLVSIO.

Sequitur ergo, non Reformatos, ſed Pontificios falſam habere fidem; qui nouis tantùm figmentis adhæreſcunt, nec Scripturis nec primitiuæ Eccleſiæ cognitis; quin & ipſorum Doctores eſſe illos de quibus Paulus 1. ad Timotheum cap. quarto loquitur, nempe ſpiritus erroris, prohibentes nubere, & abſtinere à cibis quos Deus creauit.

Digitized by Google

CAP. X. EX falſis propoſitionibus falſa ſequitur concluſio, vnde nos rectius ſic ratiocinabimur. Papiſtæ vnam tantum habent fidem in Scripturis fundatam (non quidem in Lutheri Euangelio, hoc eſt ſenſu reformato) ac veteri primitiuæ Eccleſiæ probè cognitam, quæ de Lutheri dogmate nihil vnquam ſciuit: Ergo ipſi ſoli habent veram, vnicam & ſynceram fidem. Quid autem hic *Quidam* hiſce verbis *(prohibentes nubere, & abſtinere à cibis quos Deus creauit)* intendat, fateor me ignorare. Fortè nos Manichæos faciet, aut Saturnini vetuſtiſſimi hæretici ſectatores, vel certè Gnoſticos: de his.n. (teſte Epiphanio in Panario) B. Paulo ſermo eſt: quippe qui à certis abſtinere cibis, nec non & matrimonio, præcipiebãt; idque ætate Apoſtolorum, quam ideo nouiſſima vocat tempora, non minus quàm Ioannes ipſe Euangeliſta; dicens, *Filioli, nouiſſima hora eſt.* Quin & multos imitatores haberunt, vt Manichæos, & Euſtathianos, in Concilio Gangrenſi damnatos. Nos autẽ Catholici omne cibi genus permittimus, atque à nullo abſtinere iubemus: niſi quod Sancta Mater Eccleſia certis quibuſdam diebus ieiunium nobis indicit, à Chriſto nimirum ſic edocta. Et quia ab omni cibo tunc abſtinere foret difficile, ſaltem à nonnullis carnem nimis nutrientibus, cohibendum præcipit, nempe ab eſu carnium, & quæ ex ijs conſtant. Huiuſcemodi autem abſtinentiam ad corporis conciliandam ſanitatem

Hæreſ. 16.

1. Ioan 2.

Matt. 9.

Digitized by Google

tatem filijs parentes, & ægris medici poſſunt præſcribere; & cur non pro ſalute animæ Eccleſia? Haud facilè tamen conſtat, quantum ſanitatis corpori adferat ſobrietas, niſi expertis. Teſtes ſunt *a* Dionyſius Alexandrinus, & *b* Epiphanius, ſuo tempore Chriſtianos non ſolum à carnibus, ſed & ab alijs abſtinere cibis, maximè hebdomada Sancta, quæ Paſchalem præcedit Solemnitatem, ſolitos. Nulla quoque ratione quenquā à Matrimonio arcemus, ſed liberum cuique eſt, quod nam velit vitæ genus ſibi deligere; idq; exemplo *c* Chriſti, atque ipſius *d* Pauli. Itaque quam quiſque ſemel eſt amplexatus, in ea vt permaneat, æquum eſt. Vnde quemadmodū qui vxorem ſibi deſpondit, eam deſerere nō poteſt, aut aliam adſciſcere; ita qui ſe Deo ſemel per caſtitatem deuouit, & pudicitiæ vinculo ſe conſtrinxit, fidem violare ſine graui ſacrilegio non poteſt. Deus enim hominibus haud eſt inferior, quibus fidem datam præſtare tenemur. Hinc eſt quod Paulus dicit, *viduas* quæ poſt caſtitatis votum nubere volunt *damnationem habere, quia primam fidem irritam fecerunt*. Quæ quidem Apoſtoli verba, *a* Lutherum, nec non & Pomeranum qui ſacrilego auſu fœminas ſibi poſt votum Deo factum iunxêre, in magnas redegerunt anguſtias. Et hic eſt verus ſacrarum Scripturarum ſenſus, primis ſex ſeculis (quibus vt *Quidam* quoque teſtatur, doctrina fidei pura & inuiolata fuit) ab antiquis

a *Epiſtola ad Baſilidē Epiſcopum.*
b *In compēdiaria doctrina fidei.*
c *Matt. 19.*
d *1. Cor. 7.*
Matt. 19.
1. Tim. 5. verſ. 12.
a *Aurifaber tit. 24.*

b *Hæreſ.48. & 61.in compend.* c *Lib.de S. Virginit. cap 33.* d *In cõmẽtar.ſuper hunc locũ. Pauli.* e *In commentarijs. 1 ad Tim. 4. verſ.1. & 2.*

Eccleſiæ Doctoribus traditus. De quo lege b Epiphanium c Auguſtinum, d Ambroſium, e Chryſoſtomum, & quemcũque velis alium. Vides ergo, humaniſſime lector, quod ſuprà in nomine *Euangelici* admonui, illos ſe non appellare Euangelicos, quia verum Euangelium habent, ſed quia nouum cudunt Euangelium, commentitium ſcilicet. Atque hinc eſt quod Paulus ait: *Spiritus manifeſtè dicit, quia in nouiſſimis temporibus diſcedent quidam à fide, attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, prohibentium nubere, & abſtinere à cibis quos Deus creauit, ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & ijs qui cognouerunt veritatem.* Verum ergo illud eſt Euangelium, quod nos Catholici, non quod hæretici habent; quippe qui ſua commenta loco habent Euangelij, dicentes, quoſuis cibos quouis tempore licitos, item matrimonium cuiuis conceſſum, etiam his qui caſtitatem ex profeſſo vouerunt. Hoc autem Scripturæ textus non habet, nec antiquorum Patrum expoſitio: qui vnanimi conſenſu adſerunt, hæc Pauli verba contra priſcæ ætatis hæreticos ſcripta, qui carnium vinique vſum vti nõ à Deo, ſed à dæmone creatum reſpuebant; atque adeo ipſum Matrimonij Sacramentum. Conſule quid Epiphanius & Auguſtinus de Manichæis; Hieronymus de Marcionitis ſcripſerint, & inuenies ita ſe rem habere.

Lib. 1. cõtra Iouin.

SECVN-

SECVNDA CATHOLICORVM PROPOSITIO.

Demonſtrari non poteſt, quod Religio & fides Sanctæ Catholicæ Romanæ Eccleſiæ, ab vllo Pontifice, Concilio, aut Epiſcopo Catholico, vel in minimo articulo (qui quidem fidem concernit) immutata ſit: Neq; quiſquam eorum adferri poterit, qui ipſam immutarit vel à quo immutata ſit. Quinpotius probatur, eandem prorſus fidem ab ipſis Apoſtolorum temporibus ad hanc vſque diem integrã inuiolatamq; quaſi per ſucceſſorum manus ad nos deueniſſe. Vnde manifeſtè colligitur, hanc ipſam eſſe, quã Apoſtoli docuerunt, quamq; à Magiſtro CHRISTO *in eius ſchola didicerunt.*

ANTAGONISTA noſter his dum reſpondet, debuit nominaſſe vel Pontificem, vel Concilium, aut Epiſcopum aliquẽ Catholicum, qui huius mutationis primus fuiſſet author. Sed hoc factu omnino impoſſibile: quemcunque enim nomina- CAP. I.

uerit poſt ſextum aut ſeptimum ſeculum (quo tempore inuiolatam fuiſſe fidem concedit) in quocunque articulo, in promptu tamen mihi erit reſpondere, ac ſingula quæque probare, integra ſemper fuiſſe, ac nullatenus mutata. Rogo ergo te, amice mi, vt vel vnum in medium proferas. Scio quod non ſis præſtiturus: Neque enim id potuerunt laborioſi iſti tui Centuriatores, quibus id in ſingulis centurijs magnoperè cordi fuit; vbi ſæpènumero deplorant fidei noſtræ vetuſtatem, ſuæ autem nouitatem. Itaque cùm id quod ad rem facit, & ego præcipuè vrgeo, præſtare non poſſis; reſpondes hiſce ſequentibus verbis.

SECVNDAE PROPOSITIONIS ANTITHESIS.

Ab hinc multis retrò annis apertè probatum eſt, puram Euangelij doctrinam paulatim mutatam, tandem in Romana Pſeudocatholica Eccleſia funditus perijſſe; præcipuè in articulis fidei, concernentibus vnicum ſalutis noſtræ mediatorem IESVM Chriſtum. Ad quod maximè varij Pontifices & Concilia adlaborarũt,

vti

vti ex Papiſtarum proprÿs hiſtorÿs ſufficienter demonſtratum eſt. E contra, nulli Romanæ Eccleſiæ doctores vſque huc probare potuerunt, ſe fidem & doctrinam Apoſtolorum immutatam penes ſe conſeruaſſe.

AVDISTI iam, benigne lector, inſignia aliquot mendacia, aures nunc ad veritatem arrige, In hac etenim Antitheſi quinque rurſus obſeruanda occurrunt. CAP. II.

Primò; *ab hinc multis retro annis apertè probatum eſt, puram Euangelÿ doctrinam paulatim mutatam eſſe.* Prudenter agis, amice mi, lectorem ad alios remittens; ſic enim labori, qui tuum ſuperat ingenium, doctrinam, vires, parcis. Cùm autem eruditio tibi deſit qua hæc probes, profer ſaltem alium quempiam qui id faciat, & rationes quibus. Ego enim qui annos propemodum quadraginta in Lutheranorum ac Caluiniſtarum peruolutandis libris inſumpſi, adhuc neminem inueni; qui quæ nos Catholici credimus, probarit aut Euangelio aut ſcripturis vel in minimo repugnare. Quin immò ſæpè cũ tuis differens, ſpopondi me veſtræ futurum religionis, ſi id mihi in vllo articulo monſtrarent, quod hactenus veſtrum nemo adhuc præſtitit. Fateor equidem multa à nobis credi ac factitari, quæ Lutheri ac Caluini repugnent Euangelio, hoc eſt commenti-

tijs veſtris atque adulterinis expoſitionibus: quorum tamen nullum Chriſti contrariatur Euangelio, aut vero Dei verbo. At inquis, *paulatim fidem immutatam*. Planè hoc tibi Lutheranorum perſuaſêre Rabbini, vnde rogo te, vt Patrum accuratius peruolutes ſcripta. nempe Auguſtini, Hieronymi, Ambroſij, Leonis, Gregorij, vel ſaltem breues ipſorum quæ paſſim extant CONFESSIONES, & multo aliter ſenties, ſi modo ſano vteris ingenio, & ſincera conſcientia. Sic multi tuæ ſectæ, immò & ipſi Prædicãtes, quam diu nullos alios quàm ſuæ ſectæ legunt authores, nihil norunt aliud, quã quod Orthodoxi Patres ita tradiderint: verum vbi hos in manus ſumunt, contrarium prorſus reperiunt; mirãturque fraudes & nequitiã Rabbinorum ſuorum, à quibus in errorem propulſi ſunt. Atque hinc plurimi è veſtris ad ſaniorem redeuntes mentem, Catholicã noſtram amplexati ſunt fidem; eiurantes ac publicè deteſtantes, veſtram tam inſignem perfidiam. Vti liquet ex *a* Palinodijs aliquot publicè in lucem ab ijſdem editis.

a Sebaſtiani Flaſchij. Ioan. Harẽnij, Piſtorij, Launai de falſis ſuppoſition.

SECVNDVM PVNCTVM.

APertè, inquit. *probatum eſt, puram Euãgelij doctrinã in Romana Pſeudocatholica Eccleſia funditus tandem perijſſe*. Amice mi, aliquãtò rudius & indoctius loqueris, appellando nimirum Eccleſiam noſtram, *Pſeudocatholicam*. Ab annis mille quingentis antequã Lutherus cum ſuis in mundum veniſſet, vocata

Digitized by Google

eſt *Catholica*, & quomodo falsò id nominis ſibi vſurpaſſet? Quod quid falſo ſibi tribuit, id alterius eſt. Dic itaque quæ nam Eccleſia ante annum Chriſti 1517. pro verè Catholica ſit habita, quando in rerum natura nemo extitit, qui ita ſicuti vos nūc creditis, credidit? Quomodo in hanc veniſti impudentiam & aucaciam, vt Eccleſiam noſtrā quæ mille & quingentis annis nemine penitus contradicente *Catholicæ* nomen obtinuit, Pſeudocatholicam nuncupes? Quaſi verò Lutheranorum Synagoga nuper prius exorta, & paulatim progreſſa, & mox in ſectas innumerabiles diſſecta, ſola pro vera Catholica Eccleſia ſit habenda. Eheu bone vir, nimis eſt recens, nimis eſt anguſta, quàm vt *Catholicæ* ſeu vniuerſalis nomen ei conueniat.

CAP. IV.

ADDIS præterea *apud nos purā Euangelij doctrinā funditus perijſſe.* ad quod duo reſpondeo.

Primò: inſignē hāc eſſe in Deū & homines blaſphemiam. In Deum, quia illū mendacem efficis. Chriſtus enim nobis falsò promiſiſſet, quod portæ inferi, hoc eſt omnis dæmonū poteſtas & calliditas aduerſus hāc Eccleſiā nō eſſet prævalitura. Si ergo pura Euāgelij doctrina penitus in ea perijt, ſequitur eā ſeparatā eſſe, & dæmones præualuiſſe; Chriſtū aūt, qui aliter nobis fore per ſe perq; Prophetas promiſerat, ſuccubuiſſe, ac dæmonib. inferiorē fuiſſe. In hoēs quoq; blaſphem⁹ es: fatearis. n. neceſſe eſt, maiores tuos ad vnū oēs

in toto terrarum Orbe cuiuſcunque ſtatus fuerint, ſiue Doctores Eccleſiæ, ſiuæ ſanctiſſimi Martyres aut Confeſſores, qui crediderunt quod nos credimus, & docuerunt quod nos docemus, æternis cruciatibus perpetuò adiudicatos eſſe. *Sine fide enim impoßibile eſt placere Deo; &, qui non crediderit, condemnabitur.* Horum ergo numerum conſidera. Nam ante centum annos eadem reperies quæ nūc fidei documenta apud Patres; qui nulla præter hæc nouerant, ab annis trecentis, quadringentis, &c. vſque ad primos ſeptingentos annos. Hi omnes ſacram Euchariſtiam vel fruſtulum panis (vt nugatur Caluinus) vel vt Menno in libro ſuo fundamentali blaſphemat, vitulum Bethel, vel magnum Baal, quemadmodum reliqui Anabaptiſtæ contumelioſè appellant, adorarunt; quin & imagines, priſca (ſecundum rabidam Lutheri phrenesin) Ethnicorum idola, venerati ſunt. Eam ob rem ſi nulla ignorantia aut ſimplicitas ethnicos idolorum cultores opitulari queat, multo minus Maiores noſtros hæc excuſare poterunt.

Hebr. 11. *Marc. 16.*

Primò quidem, quod illi viliora coluerint & adorauerint idola, nempè fruſtulum panis; cùm interim Ethnici Deos aureos & argenteos in pretio habuerint, itē Solem, Lunam, ſtellas aliaque viua animalia venerati ſint.

Secundò, quia maiorem Dei cognitionem habentes, diligentius ab iſtis cauere ſibi debuerint.

Tertiò,

Tertiò, quia pertinacius hiſce rebus adhæſerunt, publicis nimirum Generalibus Concilijs excommunicantes eos qui aliter docerent: vti iconoclaſtas in ſecunda Oecumenica Nicæna Synodo anno 781. & Berengarium de Venerabili Sacramento Caluinum ſapientem; idque varijs Cõcilijs, nempe Romano anno 1050. Vercellenſi, anno 1052. Turonenſi, an. 1055. Si ergo Gentiles haud quaquam excuſari queunt, quomodo hos , vt ſimplices & idiotas ab æternæ damnationis ſupplicio eximere quis poterit, quos Chriſti cognitio magis obnoxios facit? Nam qui ignorantes peccant , minus culpabiles ſunt, quàm qui ſcientes. Obijcies forſitan , te id nullatenus aſſerere, ne plebem erga te commoueas; verum etiam te tacente neceſſario id ex fide & Euangelio veſtro conſequitur. Expreſsè enim Scriptura pronunciat , eſſe impoſſibile ſine fide placere Deo , & quod qui non crediderit, iam condemnatus ſit. Aſtruis autem maiores noſtros in fide noſtra defunctos, vera caruiſſe fide, vnde abſolute ſequitur eos Deo placere non potuiſſe , ſed omnes damnatos eſſe. Quemadmodum qui furti quempiam alligat, is tacitè adfirmat eum patibulo dignum. Hinc liquet , quàm immites ac crudeles ſint hi noui Euangeliſtæ. Lutherum haud quaquam puduit, Auguſtinum, Hieronymum , cæteroſque Patres pro damnatis habere, modo ita vt ſcripſerunt, ſenſerint: quaſi verò ad perpetuam eui-

Heb. 11. *Ioan. 3.* *Marc. 16.*

In colloquijs cõuiualibus cap. de Patribus Eccleſiæ.

tandam damnationem debuerint ſe hypocritas ac mendaces fingere.

CAP. V. SECVNDO, haſce horrendas blaſphemias tam neotericis, quàm vetuſtis hæreticis vſitatas fuiſſe. Ita enim olim Arrius ac Macedonius ante annos mille ducentos: quilibet enim ſe purgare, atque in alios crimen deriuare pro viribus nititur. Vnde quiſquis nouum excogitare dogma ſtudet, vetus calumniari ſolet. neque hoc ſolùm ſacroſanctæ Eccleſiæ contingit, verum & nouarum hæreſum commentatores, priores omnes exſibilant, adeo vt diſcipuli Magiſtros ſuos, erroris condemnent; vti Bucerus, Lutherum, Caluinus Bucerum &c. quilibet veriorem Euangelij ſenſum ſibi vendicat. Aduerſus hos blaſphemos homines nos Catholici ex Scripturis probamus, Eccleſiam nunquã vllam contraxiſſe fidei labem, aut defectum, ne in minimo quidem articulo; idque non annis octingentis, vt à Lutherani mentiuntur, ſed ne vno quidem anno, menſe, aut die. Qui enim vno die victus eſt, is ſe victum fateri debet; quod de Eccleſiæ conſtantia dici non poteſt, ſine inſigni Chriſti iniuria, & enormi blaſphemia: quippe qui ſuo ore promiſit, ipſas inferorum portas nullo vnquam tempore præualituras.

TERTIVM PVNCTVM.

CAP. VI. *PVram Euangelij doctrinam interijſſe in articulis fidei, vnicum ſalutis noſtræ mediatorem IESVM Chriſtum concernentibus.* Quid hiſce

hiſce velis, fateor me ignorare : quicquid enim ad Chriſti munus & officium pertinet, probè credimus; ſicuti Scriptura ſacra, & primitiua Eccleſia primis ſexcentis aut ſeptingentis annis credendum docuit. *Primo* enim agnoſcimus, Chriſtum ſolũ pro peccatis noſtris feciſſe ſatis. *Secundò*, neminẽ ſine Chriſti meritis, peccatorum veniã poſſe adipiſci. *Tertiò*, Chriſtum ſolum eſſe inter Deũ & homines Mediatorem: non tantùm ob id quod Deus & homo exiſtit, habẽs duas in vna perſona naturas; diuinã ſcilicet cũ Deo, humanã cum homine, ſed quia vtranque reconciliauit ſibi placans Patrẽ ſuũ cœleſtem, peccatis noſtris offenſum. Ille enim propriè eſt duarum diſcordantium partiũ mediator, qui non blãditijs eas ſtuduit vnire, aut precibus, ſed de ſuo plenè perfecteq; offensã partẽ placauit, quæ alias noxam remittere debitoribus qui ſoluendo nõ erant, noluit. Læſus & offenſus DEVS Pater peccatis hominum infinitã poſtulabat ſatisfactionẽ, cui præſtãdæ mortaliũ nemo ſufficiebat, nullius opera aut preces ſat roboris habebant. Vnde Chriſtus DEI filius humanam aſſumens naturam, ſanguinem effudit ſuum, pro nobis ſcilicet paſſus & ſepultus: qui cum eſſet vnus cum Patre Deus, atque vnius planè eſſentiæ, & potentiæ, infinitam Dei maieſtatem, cum qua & ipſe finitus eſt, pretioſo ſanguinis ſui effuſione nobis reconciliauit. Ob quam quidem reconciliationem (hanc

Vide Bern. Serm. 1. de Annunciat. B. Virg.

(hanc autem præſtare præter ipſum nemo poterat) ipſe ſolus atque vnicus noſter mediator eſt. An non hoc apertis verbis declarat Paulus, cùm inquit: *Vnus Deus, vnus & mediator Dei & hominum homo Chriſtus IESVS: qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus*, quaſi ἀντίλυτρον. quando ſcilicet vnus pro alio captiuum ac vinctum ſeſe voluntariè tradit? Omnes quidem quotquot ſunt beatorum ſpiritus cum Chriſto iam in cœlis regnantes, vel pij homines adhuc in terris degentes, pro ſe aut pro alijs orant (conſtat hoc exemplo *a* Angeli, nec non & *b* Hieremiæ, pro populo Iſraelitico apud Deum intercedentis; quin & Iudæ *c* Machabæorum pro defunctis preces & ſacrificia procurantis; imò & ipſius *d* Pauli in ſuis epiſtolis frequenter Chriſtianorum orationes expetentis) verum non ſunt tamen huiuſcemodi mediatores: quippe, qui pro nobis non ſatisfecerunt, quorum preces & interceſſiones, Chriſti ſolius meritis innituntur. Vnde poſſunt quidem aduocati & interceſſores nominari, hoc enim nuſquam in Scripturis prohibitum legitur, quæ determinatè non pronunciat Chriſtum ſolum eſſe mediatorẽ ſeu interceſſorem; quippe cum & Moyſes à B. Paulo mediator nominetur, & Deipara Virgo à D. Bernardo alijſque ſancti: licet alio atque alio modo; quatenus ſcilicet inter Chriſtum & nos homines ſuis precibus intercedentes, nobis patrocinantur. Hæc eſt præſen-

1. Tim. 2. verſ. 5.

a *Zach. 1.*
b *2. Mach. 15. verſ. 14.*
c *2. Mach. 12. verſ. 43.*
d *Coloſ. 4. verſ. 3.*

Galat. 2.
Serm. de B. Virg.

præſentis Catholicæ Eccleſiæ, atque etiam illius quæ primis ſexcentis aut ſeptingentis annis pura atque incorrupta permanſit, ſententia. Fatentur enim omnes quotquot huius ſunt Eccleſiæ Doctores, ſanctos pro nobis in cœlis intercedere, quos & hac de cauſſa ſuis precibus non ſolùm inuocarunt, ſed vt & poſteri idem facerent, ſcriptis commendarunt. Conſtat hoc ex B. *a* Irenæo, qui vixit circa annum Domini 170 *b* Origine, qui floruit anno 250. *c* Euſebio Cæſarienſe, anno 300. item Athanaſio *d* eius ſynchrono: nec nõ & *e* Baſilio, qui circa annum Domini 380. ſcriptis claruit: quibus adde *f* Gregoriũ Nazianzenũ *g* Niſſenũ *h* Epiphaniũ, *i* Ambroſiũ *k* Chryſoſtomum *l* Hieronymũ, qui eodẽ vixêre ſeculo, *m* Auguſtinum quoque, qui claruit circa annum Domini 400. atque alios ſexcentos: horum etenim nullum reperies, qui non diuorum implorauerit auxilium, vti Centuriarum conſarcinatores Magdenburgenſes, multis in locis deplorant. Oſtenſo igitur, quod nos Catholici firmiter credamus veræ Chriſtianæ, Euangelicæ doctrinæ, veteriſque Eccleſiæ; certe non video, cui nam Euangelio repugnemus, niſi fortè Lutheri (quem cùm nominatim exprimo, intelligo etiam ipſum Caluinum, nec non & Anabaptiſtas, cum alijs omnibus aſſeclis, qui ex Schola illius profluxerunt) quod Chriſti ex diametro contrariatur. Lutheri namque Euangelium vetat Miſſæ ſacrificium, inuocatio-

a *Lib. 5.*
b *Lib. 2. in Iob.*
c *Lib. 13. Præparat. Euangel.*
d *Serm. de B. Virg.*
e *Orat. in 40 Martyr.*
f *Orat in B. Cypr.*
g *Orat. in S. Theodor.*
h *Libr. de vit. Propb.*
i *Lib. de viduis.*
k *Hom. 66. ad pop.*
l *In Epitaph. Paula*
m *Tractat. 84. in Ioan.*

Digitized by Google

cationem Sanctorum, ſubſannat, bonorum operum merita flocci facit, quaſi hęc omnia, ſalutis noſtræ Mediatoris Chriſti dignitatẽ euacuent. Sed vera Chriſtiana Euangelica doctrina, ſingula quæq; admittit, queẽadmodum & primitiuæ Eccleſiæ Doctores, ad maiorem ſcilicet Chriſti gloriam & laudem.

QVARTVM PVNCTVM.

Ad hoc maximè varij Pontifices & Concilia adlaborarunt (vt ſcilicet veram de ſalutis noſtræ mediatore fidem interuerterent) vti ex proprijs Papiſtarum hiſtorijs ſufficienter eſt demõſtratum.

VIDERIS mihi in Patrum Concilijs parum exercitatus, rogo itaque vt ea diligentius peruolutes, neque facilè ſubdolis Doctorum tuorum citationibus fidem habeas. Quod ſi feceris, ſat ſcio, aliam ibidè inuenies doctrinã & inſtructionem, quam in Lutheri tuis libris. Vt verò attentius perlegas varia varijs in locis celebrata Concilia, conſidera accuratè, tempora quando acta ſint, Epiſcopos & Prælatos à quibus, conſenſum vnanimem, & ſingularem ipſorum eruditionem; Percurre etiam omnia Concilia, vt aduertas quod in omnibus fidei Articulis ſingula ſingulis reſpondeant. Quod vt cum fructu præſtes, obijciam hic tuis oculis, Concilia nonnulla poſt primos ſeptingentos annos habita. Horum primum ſit, Septimum Generale; quod & Nicœnum ſecundum

dum vocatur, in Bithynia an. Domini 781. ab 350. Epiſcopis celebratum; cui interfuëre legati Hadriani Romani Pontificis, Tharaſius nimirum Patriarcha Conſtantinopolitanus, vna cum Ioanne & Thoma Presbyteris, legatis Alexandrinis, Antiochenis, & Hieroſolymitanis: qui lõga habita deliberatione, determinarũt, ſacrarum imaginum cultum haud quaquã diuinis vel repugnare literis, vel priſcæ Eccleſiæ conſuetudini: ſed potius laudabilẽ eſſe traditionẽ, ab Apoſtolis ad ſe deriuatã. Quis autẽ ambigat, quin hi patres qui primis octingẽtis ſeculis multo viciniores fuerunt, quàm vos, etiam melius norint, quid ætate iſta in vſu fuerit, quam vos? Atque ideo iconoclaſtas omnes in iſto ſuo Concilio dãnarunt. Quod & in Francofurtenſi factum eſt, anno ſcilicet 700. cui Germaniæ Epiſcopi, nec non & Franciæ Italiæque iuſſu Hadriani I. Pontificis, cuius legati Theophylacius & Stephanus præſederunt, interfuêre. Quin & Aquiſgranenſe anno 820. idem determinauit. Similiter & anno 870. rurſus Bizantij conuenêre 383. Epiſcopi cum multis alijs prælatis, qui ſacrarum imaginum impugnatores vnanimi conſenſu anathematizarunt, cõfirmantes omnia ac ſingula quæ hac de re in præcedentibus Concilijs definita ac concluſa erant. Anno verò 1123. Romam ad Generalem Synodum nongenti conueuerunt Epiſcopi; ſtatuentes Hieroſolymitanam Vrbem Turcis eripiendam

piendam, & Romanam Catholicam fidem ibidem reſtituendam. Anno quoque 1139. ex diuerſis orbis partibus mille confluxêre Romani Epiſcopi ac variarum Eccleſiarũ Prælati, decernentes Eccleſiaſticis ſuum oportere ius manere integrum; vt ſcilicet nullis eſſent ſubiecti ſecularibus Principibus, ſed ſolummodo Eccleſiaſtico Magiſtratui. Quo quidem priuilegio à primo Chriſtianorum Imperatore Conſtantino Magno ſibi donato, centenis aliquot annis liberè hactenus vſi erant. Quin & anno 1143. in Concilio Senonenſi ab Eccleſia proſcriptus eſt Petrus Abailardus, qui negabat Sanctos in cœlis beatifica frui viſione, adeo vt precibus ſuis nobis opitulari non poſſint; quemadmodum & Lutherus ipſe longè poſt docuit Commentarijs ſuis in Geneſin, & Caluinus lib. tertio Inſtitutionum ſuarum. Anno 1180. rurſus Romæ trecenti ſunt congregati Epiſcopi in vndecima Generali Synodo, qui multos inſignes canones condiderunt, veteris Eccleſiæ conſuetudines confirmantes. Inter cætera quoque ſtatuerunt ſupplicia Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis vxores ſibi adſciſcentibus, item ſacrilegos, qui res ſacras ex templis (quod Lutherani ac Caluiniſtæ quotidie faciunt) eripiunt, excommunicarunt; nec non & VValdenſes ſeu pauperes de Lugduno, Lutheri prodromos, varias hæreſes, quas & Lutherani poſtea renouarunt, comminiſcentes: quòd creaturæ ſcilicet nõ ſint

bene-

Digitized by Google

benedicendæ, vt aqua luſtralis, ſal, oleum, & id genus alia. licere in Quadrageſima quolibet veſci cibo, non eſſe Purgatorium; Pœnitentiam, Confirmationem, Extremam vnctionem non pro Sacramento habenda, &c. Anno 1215. ibidem ad duodecimum Generale Concilium ex omnibus mundi partibus confluxerunt 1285. Prælati; cui interfuit ac præfuit Innocentius III. Pontifex; item Patriarcha Conſtantinopolitanus & Hieroſolymitanus, adiunctis ſeptuaginta Archiepiſcopis, & Epiſcopis quadringentis. Præter quos, Romanorum quoque ac Græcorum Imperatorum legati adfuerunt; nec non & Franciæ, Hiſpaniæ, Angliæ, Hieroſolymorũ, ac Cypri Regum, alijque plurimi. In hac autem Generali longe celeberrima Synodo declaratum eſt contra Berengarianos, quod *Cap. 8.* in Sacroſancto Miſſæ ſacrificio poſt conſecrationis verba à Sacerdote prolata, panis ac vinum realiter in verum Chriſti corpus ac ſanguinem tranſubſtantientur, ita vt nil pręter ſola accidentia ibidem remaneat. quod quidem vti ab Apoſtolorum temporibus traditum creditumque fuit, ita in hoc Concilio contra obſtrepentes hæreticos, qui id negabant (ſicuti & Lutherani ac Caluiniſtæ et ãnum faciunt) renouari ac confirmari debuit. Sancitum quoque ibidem eſt, vt in cunctis *Cap. 20.* Eccleſijs Chriſma & ſacra Euchariſtia ſub fideli cuſtodia, clauibus adhibitis conſeruetur: & vt omnis vtriuſque ſexus fidelis, cùm *Cap. 21.*

ad diſcretionis annos peruenerit ſemel in anno peccata ſua Sacerdoti confiteatur, iniunctamque ſibi pœnitentiam pro viribus adimplere ſtudeat, ſuſcipiens reuerenter ad minus in Paſchatæ ſacram communionem Anno 1311. Viennæ Galliarum cōgregati trecenti Epiſcopi, Templarios extirparunt, qui diuerſas fouentes hæreſes, etiam crucis Chriſti imaginem, quod noſtri temporis hæretici floccifaciunt, conſpuebant. Anno 1439. nominatiſſima illa Florentina Synodus in Hetruria habita eſt, ab Epiſcopis 141. partim Latinis, partim Græcis. Huic Eugenius IV. interfuit, & Ioſephus Patriarcha Conſtantinopolitanus, vna cum Ioanne Palæologo Græcorum Imperatore, atque Armeniorum legatis; vbi Græci & Armeni cum Latina Eccleſia reconciliati, vnanimi conſenſu determinarunt, Sanctam Apoſtolicam Sedem, & Romanum Pōtificem Petri Apoſtoli legitimum ſucceſſorem, ſupremum eſſe Eccleſiæ caput, ac Primatum tenere: item Purgatorium eſſe, nec non & ſeptem Sacramenta, aliaque, vt latius patet ex ſanctæ vnionis literis, quibus prælati omnes ſubſcripſerunt. De vltimo verò Generali Concilio Tridenti celebrato ab an. 1545. vſque ad annum 1563. ſemelque aut iterum à Lutheranis interrupto, nihil attinet dicere: maximè cum ad expugnandas tēporis huius hæreſes cōuocatum ſit, noſtriſq; hæreticis, quorū ibidē errores ex verbo Dei priſcæque

eæque Eccleſiæ inſtituto protriti ac damnati ſunt, ſummoperè diſpliceat. Habes ergo iam hîc ſummatim, quid in octo Generalibus Concilijs tam in Occidente quam in Oriente hoc eſt tam Latina quàm Græca Eccleſia celebratis, ſtatutum concluſumque ſit.

INGREDERE iam, amice mi, tuam ipſius conſcientiam, & cogita ſemel moriturum te, atque ad locum illum venturum, vbi Chriſto ſupremo Iudici de factis dictiſq;, immò & cogitationibus tuis omnibus, rigidam ſis redditurus rationem. Conſidera, an nõ ſit laudabilius ac ſaluti tuæ vtilius, ſentire cum tot celeberrimis Concilijs quàm cum nuper exortis pauciſſimis Lutheranis. Ego ſanè adduci non poſſum vt credã omnes hoſce Patres, qui tanquã capita ſuorũ ſubditorum vniuerſalem repræſentabãt Eccleſiam (quilibet enim Magiſtratus ſiue ille Eccleſiaſticus, ſiue ſecularis ſit à Deo poteſtatem accipit vt ſuis præſit ſubditis) tam fuiſſe ſtupidos, plumbeos, ac ſimplices, vt ne vnus quidem inter ipſos repertus ſit, qui debito modo Scripturam intellerit, aut ex animi malitia deprauare eam voluerit. Videmus omnes vnum idemque ſapuiſſe. Itane ergo omnes in errorem abrepti fuêre? nemo inter illos prudens aut intelligens doctuſvè inuentus eſt? ſiccine omnes malitioſè ſuos in deprauanda ſcriptura ſecuti ſunt affectus? Nullumne habuerunt horrorem mortis, iudicij, CAP. VIII.

inferni? Sed omninò (inquis) contra Scripturam egerunt. Ad quod ego: egiſſe quidem ipſos contra Lutheri adulterinam Scripturarum expoſitionem, ſed non aliter. Et cur quæſo non potius ita ratiocinaris? Omnes præfati Patres qui primis octingentis annis Generalibus interfuêre Concilijs, prudenti ac maturà deliberatione concluſerunt nec inuocationem Sãctorum, nec ſacrarum imaginum cultum, aut preces pro defunctis, aliosve conſimiles etiamnum in Romana Eccleſia vſitatos articulos Scripturæ repugnare, ſed potius eſſe doctrinam ab Apoſtolis per manus traditam. Ergo Lutherani Scripturas adulterant, eaſque malè exponunt. Non enim totum falſum eſt, quicquid veſtræ tantùm repugnat opinioni. Atque ideo rectè ſic argumentaris; *Primo* quidem, quod Patres Apoſtolorum temporibus viciniores fuerint, adeo vt melius hæc ſcire potuerint, quã vos. *Secundò*, quia numero plures fuerunt, & per totum Chriſtianum Orbem diſperſi: vos pauci eſtis, & in anguſto mundi angulo deliteſcitis: *Tertiò*, quia omnes vno ore idem cõcluſerunt, approbantes omnia prædeceſſorum ſuorum Concilia. Vobis inter vos ipſos non tantum non conuenit, ſed in decem, viginti, quin & in centum ſectas à prima Lutheranorum origine diſſecti eſtis. *Quarto*, quia in explicatione Scripturarum dubiarumque quæſtionum, non ſuam ſecuti ſunt opinionem, ſed ſtudioſe conſiderarunt

CAP. IX.

primi-

primitiuæ Eccleſiæ doctrinam ; nihil aliud ſtatuere aut determinare intendentes, quàm quod ab Apoſtolis quaſi per manus ſibi traditum eſſet. Vos autem ſine vllo Eccleſiæ reſpectu, ſine vlla SS. Patrum authoritate aut expoſitione, Scripturas pro veſtro arbitratu interpretamini, ac in ſenſum prauum detorquetis; adeo vt ſecũdum id quod vultis, Scriptura loqui debeat : quod antiquis Patribus ingratum inuſitatumque fuit. Interim verò, dicis, Patres quamuis antiquos, quamuis vitæ ſanctimonia præſtantes, falli tamen & errare vt homines potuiſſe. Quaſi verò vos homines non ſitis, qui hoc dicitis, aut ipſi opiniones non ſequamini veſtras, aut ſoli ex omnibus errare nequeatis, aut vos non idipſum latere potuerit, in quo alios falſos fuiſſe putatis: cum interim illi qui alterius ſunt ſectæ, craſſiſſimorum vos errorum reos agant. Atque hinc prouenit, vt quotquot Scripturas ad ſuum interpretantur ſenſum, illi in varias hæreſum tempeſtates incidant. CAP. X.

HAE itaque rationes ac conſiderationes, meritò ſollicitum te haberẽt: quippè qui à DEO de his iudicaberis, citius fortaſſis hinc ad ſeuerum illud tribunal euocandus, quàm tu putas: in quo de his rationẽ reddere oportebit. Noſti enim quàm repente hinc multi ſubitaneâ morte eripiantur; nec te latet improuiſus ac planè miſerabilis Fratris Thomæ Thieldij exitus, qui aliquamdiu adminiſtrator exiſtens (abbas enim, vti

mihi qui hominem ante annos quinquaginta noui conſtat, nunquam fuit) Monaſterij S.Bernardi vno lapide ab Antuerpia diſtantis, excuſſo cucullo Lugduno Batauorum Delfos conceſſerat, vbi cùm litteras Antuerpia venientes à nautico quodam famulo conſequeretur, nolens ei pro delatione numerare pretium, verbis contumelioſis exceptus eſt: vocauit enim eum apoſtatã, ac fugitiuum monachum, nec non & animarum peremptorem: quibus improperijs ita commotus fuit, vt in apoplexiam mox incidens, rationis iudicio orbatus, à feria ſecunda vſque ab Sabbathum lecto decubuerit: quo die circa meridiem, canis inſtar latrans, hæreticam atque Apoſtaticam animam horrendum in modum efflauit. Arbitror quod circa vitæ finem, correxiſſet errores ſuos, ac palinodiam cecinisſet; verum vltio diuina hominem præueniens, indignum hâc gratiâ cenſuit. Ratio meæ opinionis eſt, quod concupiſcentia carnis in errorem ſit prolapſus: vt enim liberè ſua poſſet Lirana potiri concubina, hinc monaſtico proiecto habitu, in hæreſin eſt prolapſus; ſemper interim ſuæ reluctans conſcientiæ: quod manifeſtè liquet ex conſilio ſorori ſuæ dato; cui vt in Catholica perſeueraret fide, auctor & ſuaſor exſtitit. Quod ipſum & Philippus Melanchton dilectiſſimæ ſuæ nepti eiuſque marito conſuluit: qui id in præſentia tam

mea

mea quàm aliorum, dum Spiræ ſimul in menſa Decani ſummæ ædis pranderemus, ingenuè eſt faſſus. Hæc aliquanto copioſius recenſeo, miſertus nimirum tui, ne ſimile quid tibi eueniat: parum enim (quod facile ex hac tam inepta tua antitheſi apparet, in qua nos ad alios, qui ſufficienter Papiſtarum errores confutaſſent, remittis) in litteris verſatus videris; multo verò minus in Scripturis Sacris, Patrumq́ue antiquorum libris, alijſque Eccleſiaſticarum hiſtoriarum ſcriptoribus. Facias ergo id, oro, pro animæ tuæ ſalute ſtudioſius; quippe quã graui exponis periculo, dum Summo Pontifici maledicis, teq́ue ipſum vna cum tuis tot ſanctiſſimis Epiſcopis, tot celeberrimorum Conciliorum decretis anteponis.

QVINTVM PVNCTVM.

SIC è contra, nullus adhuc Romanorum Doctorum demonſtrare potuit, Apoſtolicam doctrinam puram putamq; apud ſe manſiſſe. CAP. XI.

Quamuis hoc tum à Sacroſancta Tridentina Synodo, tum alijs Oecumenicis Cõcilijs, Catholicęq; Eccleſię Doctoribus (quorũ ſcripta tu ne vidiſſe quidem, amice mi, multo minus legiſſe videris) ſatis ſuperq́ue probatum demonſtratumq́ue ſit; attamen vt tibi quoq; ſatisfaciã, oſtendam, Deo iuuante, fidem Apoſtolicam hunc vſque diẽ immutatã

puramq́ue apud nos manſiſſe. Fateris in prima ſuperiori tua Antitheſi puram Chriſti doctrinam circa ſextum vel ſeptimum ſeculum mutatam eſſe. Si ergo demonſtrauero, ab hinc vſque ad prænominatum tempus nihil in fide mutationis accidiſſe, abundè tibi ſatisfecero. Hoc autem quinque potiſſimum rationibus apertè demonſtrabo.

Probatur quinq; rationibus ab annis primis ſexcẽtis vel ſeptingentis vſq; ad præſens tempus nullam apud Catholicos in fide immutationẽ factam.

Prima ratio.

PRIMO, Catholici in omnibus regionibus ac prouincijs quibus hoc tempore per totum mundum degunt, vnam eandemq́ue tenent fidem, ita vt vnus non plus minuſve credat, quàm alius, prout ipſa teſtatur experientia. Et ſimili modo crediderunt quoque parentes ac proaui noſtri, inde vſq; ad annos centum & ducentos; imo vſque ad Apoſtolorum tempora, à quibus in fide ſincerè edocti & inſtructi ſunt. Quod ſi id inficias iueris, ex authenticis rerum Eccleſiaſticarum ſcriptoribus probare tibi incumbet, in qua Orbis parte, & à quo hæc mutatio primum inſtituta ſit, & in alias regiones circumquaque diſperſa. Peruolutes quicquid hiſtoriarum velis, & ne verbulum quidem vnum de tali immutatione reperies. Ex quo concludo, puram Chriſti doctrinam, intemeratam ad nos vſque perueniſſe: non qualis fuit primis ſex vel ſeptem ſeculis, ſed qualis fuit, quando Apoſtoli verbum Dei primò prædicarunt. Vnde quod veſtri dicunt, fidem ipſorum antiquam eſſe, Apoſtolicam eſſe, & à Papiſtis paulatim eſſe peruerſam, funditusq;

euer-

euerſam, fucus tantum eſt fumuſque : imo pallium quo ſuam contegere nouitatem conantur. Vt enim id de veſtra fide dicitis, nullis vobis ad hoc ſuffragantibus hiſtorijs, nullis adſtipulantibus Doctoribus teſtibuſvè, ita & aliarum hæreſum ſectatores faciunt, immò & qui vos in perfidia præceſſerunt, quique ſubſecuti ſunt, aut futuris temporibus ſubſequentur. Eſt enim omnibus commune hæreticis, vt dicant ſuam fidem verè eſſe Catholicam, quę à Papiſtis paulatim immutata eſt.

CAP. XII. *Secunda ratio.*

SECVNDO, deſcendendo à temporibus Apoſtolorum vſque ad noſtra hæc tempora, inuenimus ſucceſſores omnes ſuorum prædeceſſorum approbaſſe ac tenuiſſe doctrinā. Nullus enim exiſtit Romanus Pontifex, vti manifeſtum eſt, qui non idem crediderit ac docuerit, quod ſuus anteceſſor, quod in ſupra dictis apertè probaui: ipſique etiam id fatentur, dum in Apoſtolicis ſuis literis publicè adſeuerant, nullo fuiſſe vnquam Romanam Sedem errore contaminatam. Poteſt id quoque conſtare ex omnibus, quotquot vnquam à B. Petro vſque ad Clemẽtem VIII. qui iam locum eius obtinet, fuêre Pontificibus, vnum idemque ſemper inuiolabiliter tenentibus. Similiter & Oecumenica Concilia ſemper id confirmarunt, quod in præcedentibus Concilijs ſancitum eſſe nouerant: & præcipuè ſex illæ primariæ Synodus primis ſexcentis aut ſeptingentis annis habitæ.

Digitized by Google

bitæ. Quarum prima eſt Nicæna, cui anno Domini 327. trecenti & octodecim interfuêre Epiſcopi. Secunda, Conſtantinopolitana, à centum & quinquaginta Epiſcopis anno 383. celebrata. Tertia, Epheſina anno 434 à ducētis Epiſcopis habita. Quarta, Chalcedonēſis, è ſexcentis triginta Epiſcopis an. 454. Quinta, Conſtantinopolitana 2. è centū ſexaginta quinq;, anno 553. Sexta, Conſtantinopolitana 3. à ducentis octoginta nouem, anno 681. In quibus quidem Synodis, ſemper Patres idem definiuerunt, quod à ſuis prædeceſſoribus & Apoſtolorum temporibus ſancitum nouerant. *Tertio*, quia Eccleſiæ Doctores ſuam doctrinam nunquam non probare ac confirmare ſolent ex ſcriptis illorum Patrum, qui primis ſeptem ſeculis vixerunt, nempe Auguſtini, Hieronymi, Ambroſij, Baſilij, & aliorum; demonſtrantes ſe nihil aliud docere aut credere, quàm quod ipſis ab Orthodoxis Eccleſiæ Apoſtolicæ Doctoribus traditum erat. Quod & nos Catholici quotidiè facimus: licet hæretici non magnopere hac de re ſint ſolliciti, quippe qui optimè norunt, quàm longè à priſca illa Orthodoxorum Patrum Apoſtolica fide, quam in omnibus noſtris ſcriptis profitemur, deſciuerint.

CAP. XIII. Tertia ratio.

TERTIO, quia omnes illos fidei articulos quos hęretici dicūt nos adulteraſſe, inuenio eodem modo ab Antiquis Patribus creditos, primis ſex vel ſeptem ſeculis; vt eſt

Miſſæ

Miſſæ Sacrificium, ignis purgatorius, inuocatio Sanctorum cultus imaginum, aliaque id generis, vti ſub finem vltimæ Concluſionis enucleatius docebo, vbi noſter *Quidam* quatuordecim articulos proponit, ad quos te, ſtudioſe lector, remitto.

QVARTO, quia cōſtanter adfirmamus, plurimos primis ſexcentis aut ſeptingentis annis noſtræ religionis Patres, vti ſunt Baſilius, Nazianzenus, Chryſoſtomus, Auguſtinus, Hieronymus, Benedictus, Gregorius alijque innumeri, viros fuiſſe ſanctiſſimos, adeo vt iam cum Chriſto ſine dubio in æuum regnent; quod facere ſine vera fide, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, nullatenus poſſent. Neq; hoc tantum adfirmamus & credimus, ſed & ipſorū inſiſtere veſtigijs ex animo deſideramus. Scimus Sanctos hoſce, Baſiliū nimirū, Auguſtinum, & Benedictum Monaſticæ vitæ (hoc enim ex eorum liquet ſcriptis) regulas tradidiſſe: quarum equidem obſeruationi multi Catholicæ fidei profeſſores non ſolùm apud Latinos, verum etiam apud Græcos pro viribus incumbunt: haurientes inde non quid credere duntaxat debeant, ſed & quo pacto ad Chriſtianæ vitæ perfectionem queant pertingere, ſequentes illud præceptoris ſui conſiliū: *Si vis perfectus eſſe, vade, vende quæ habes, & veni ſequere me.* Ad harum regularum imitationem, etiam alij aliquot eximiæ ſanctitatis viri certa aliquot poſtmodū edidêre ſtatu-

Quarta ratio.

Hebr. 11.

Matt. 19.

Digitized by Google

ſtatuta, veluti Diuus BRVNO CARTHVSIANORVM PATRIARCHA an. 1084. & B. Guilhelmus, Guilhelmitis ſuis an. 1170. Franciſcus, Franciſcanis anno 1208. &c. Ex quo ſequitur nos Catholicos etiam poſt primos ſexcentos & ſeptingentos annos integram in omnibus Sanctorum Patrum fidem (ipſorum etenim viuẽdi normam ex profeſſo etiamnnm plurimi religioſorum inuiolabiliter obſeruant) retinuiſſe.

CAP. XIV. *Quinta Ratio.*

QVINTO, Diuerſæ nationes ab ipſis Apoſtolis fidem edoctæ quę à centenis aliquot annis à Romana Eccleſia deſciuerunt, vel ſaltem ei non adhæſerunt, ita vt nullo modo dici poſſint à Romano Pontifice ſeductæ ad ſuſcipiẽdam corruptam Chriſti doctrinam, quam Romanos habere hæretici ementiuntur, illæ inquam nationes etiamnum pro Orthodoxa fide agnoſcunt, quæ vos tanquam adulterina reſpuitis. Veluti Græci, Byzantij degentes, Syri, Antiochenam & Ieroſolymitanam vrbem incolentes; Chaldæi, in India commorãtes, à B. Thoma Apoſtolo ad fidem conuerſi. Hi omnes etſi plurimorum decurſu ſeculorum, Romanum Epiſcopũ pro ſuo agnouerint ſuperiore, tamen ab Apoſtolis & non à Romanis fidei myſterijs ſunt imbuti. Si igitur Chriſti & Apoſtolorum doctrina paulatim corrupta eſt, quia nimirum Romana Eccleſia nonnullos abuſus in eandem introduxerit; qui fit, quod prædictæ nationes à nullo Pontifice inſtructæ, & à Romana Ec-

clesia

Digitized by Google

cleſia multis annis ſequeſtratæ, eoſdem corruptos fidei articulos etiam nunc credant, & obſeruent? Manifeſtum enim eſt, & negari non poteſt, illos in omnibus iſtis articulis, quos vos tanquam ſpurios reijcitis, nobiſcum omnino ſentire. Quod ideo faciũt, quia ita ab Apoſtolis edocti ſunt, non minus quã nos, qui hanc doctrinam inuiolatam obſeruantes nullo nęuo eam corrupimus. Nominatas autem gentes idem nobiſcum credere, manifeſtum in primis euadit ex Græcis Cõſtantinopolitanis. Ante annos etenim non admodum multos, Tubingenſes Lutherani in ditione VVittenbergenſi, Confeſſionem ſuam Auguſtanam ſumma cum reuerentia Ieremiæ Conſtantinopolitano Patriarchæ tranſmiſerunt, cupientes vt eandem ſua authoritate comprobaret. Verum is & ſacrarum litterarum teſtimonijs, & Sanctorum Patrum qui primis ſex ſeculis vixerunt allegationibus, grauiſſimorum errorum illos conuicit. Redeuntes verò, & eandem cantilenam rurſus occinentes, cum indignatione reiecit, vocans eos rebelles, ac hæreticos, ſerioque indicens, ne cum huiuſcemodi furijs denuo ſe Bizantium conferrent. Habent ergo Græci hæreſis loco omne id quod Lutherani contra Sanctorum inuocationem, contra Miſſæ Sacrificium, cultum imaginum, ieiunij obſeruationem, alioſque à nobis adſertos articulos, impudenter effutiunt: immo ante annos plus minus quinquaginta, cùm Luthe-

Vide hac de re Apolog. Iuſti Caluini Veterecaſtrenſis pag. 11. & ſeq. Moguntiæ anno 1602. editã.

Digitized by Google

Lutheraniſmus vires ſuas primò exerere inciperet, Græci Epiſcopi vna cum ſuo Patriarcha Conſtantinopoli habito Concilio, idque antequam Tridentina eſſet celebrata Synodus, omnes noſtræ ætatis hæreſes Anathematizarunt; in maximam ſcilicet Lutheri confuſionem, qui ſuis perſuaſerat Græcos ſecum in omnibus conuenire. Ad Syros verò interim quod attinet, ego ipſe dum Romæ anno 1581. agerem, Patriarchæ Antiocheno adfui, qui eo ſe receperat, vt ſe ſuaſque ditiones omnes Romanæ Sedi denuo adiungeret: in quorum gratiam Gregorius XIII. inſigne Seminarium, in quo aliquod eximiæ indolis Syri adoleſcentes gratis alerentur, Romæ erexit. Hic itaque Patriarcha proprio mihi ore faſſus eſt, quod in tota ſua ditione (quam ad Indiæ vſque fines ſeſe extendere aiebat) ijdem iſti articuli quos hæretici tanquam adulterinos condemnant, in ſummo habeantur pretio, honore, & obſeruatione, non minus quàm Romæ, & alijs paſſim Catholicis in locis: agnoſcimus enim, inquit, inuocationem Sanctorum, ſacris imaginibus cultum debitum exhibemus, pro defunctis in purgatorij pœnis conſtitutis precibus intercedimus, & cætera; quæ tamen noſter Antagoniſta in vltima ſua Cóclusione exibilare, vt ſpuria nõ erubeſcit.

Naſus Centur. 1. veritat. 5.

CAP. XV. DE Chaldæis & Indis idem facilè probauero. An non enim Chaldæorum Patriar-

triarcha Abdyſu anno Domini 1562. Tridentino interfuit Concilio, vbi cum alijs ducẽtis ſexaginta Epiſcopis ſingulis ſubſcribens decretis, Lutheranam, Caluinianam, Anabaptiſticam, aliaſque huius æui hæreſes damnauit, excommunicauitque? Anno quoque inſequenti, qui eſt 1563. Coloniam Vbiorum viſendarum regionum ſtudio venêre duo præfati Patriarchæ domeſtici, Andreas nimirum Diaconus, & Ioſephus hypodiaconus, qui cum nono Decembris more Eccleſię Catholicæ ſua mihi eſſent peccata ſacramentaliter confeſſi, & à me ſalutari ſynaxi, quam ſub altera tantum ſpecie eis ſub ſacro porrigebam, muniti (erant enim viri ſumma pietate ac morum grauitate inſignes) faſſi ſunt interroganti mihi, quod in Chaldæa ſua nimirum patria, præfati articuli eodem modò obſeruentur, quo etiamnum apud nos Catholicos. Inuocant enim Sanctos, venerantur imagines, ſacrum Miſſæ officium tam pro viuis quàm defundis litant, cælibem iſtic ac caſtam agunt vitam Presbyteri, Diaconi & Subdiaconi, omnem fœminarum congreſſum longè à ſe abdicantes &cæt. Quæ dum candidè mihi expoſuiſſent, ad domum deinde Lutherani cuiuſdam, in qua plures eiuſdem farinæ homines conuenerant, euocati ſunt, & de ſimilibus interrogati, ſi quid forte eſſet in quo ipſi à Romana Eccleſia cum Lutheranis diſſentirent.

Sed

Sed(Deo ſit laus)his examinatoribus eodem prorſus modo quo mihi, reſponderunt, & ſummoperè illos confuderunt. Horum Colonienſium examinatorum vnus aut alter etiamnum ſupereſt, quorum tamen nominibus verecundiæ cauſa, parco. Inſuper anno Chriſti 1581. Romæ exiſtens, conueni eiuſdem nationis Archiepiſcopum quendam, qui pro quorundam Chriſtianorum iſtis in partibus degentium expediendis negotijs, ad Gregorium XIII. accedens, idem mihi reſpondit quod Andreas & Ioſephus: quin immò adiecit, Indos nimirum Chriſtianos mirum in modum exhilaratos fuiſſe in aduentu Luſitanorum (longo etenim tempore neminem Chriſtianum Europæum conſpexerant) eiſdem ſcilicet ſecum cæremonijs vtẽtium, atque eoſdem fidei articulos (ſunt autem ijdem illi quos Lutherani vt ſpurios execrantur) credentium. Si ergo Apoſtolorum doctrina ab Eccleſia Romana in hiſce articulis paulatim eſt mutata ac deprauata, dic mihi quæſo, quis adulterinam hanc doctrinam in tam diuerſas, ac tam longè à nobis diſſitas regiones inuexit? An non iam clarè perſpicis amice mi, noſtram doctrinam quã vos deprauatam dicitis, puram ac ſynceram eſſe, veſtram verò falſam, atque Apoſtolicæ fidei prorſus cõtrariam? Lutherus enim primò ſuam exorſus eſt hęreſin an. 1517. & ferè ſingulis annis eam vſque ad obitum hoc eſt vſque ad annum 1546. mutauit: quam deinde eius

eius diſcipuli Bucerus, Caluinus, Anabaptiſtæ, Zuinckfeldiani, Henricus Nicolai Nauta, & primus inſtitutor domus Amoris, prorſus peruerterunt, ne dum euerterunt. Non eſt nobis longa hîc opus diſputatione, tuam ſolummodò conſcientiam ingredere; illa veritatem fatebitur, & aduerſus te in ſeueriſſimo illo Dei iudicio, teſtimonium feret.

CONCLVSIO ANTAGONISTAE.

Vnde certò colligitur, ipſorum fidem non eſſe illam quam Apoſtoli in Schola Chriſti acceperunt, tradiderüntq́;.

CVM omnes tuæ Antitheſes falſæ fuerint, fieri qui poteſt vt hæc tua Cóclufio vera ſit? Verte itaque folium, & ſic potius concIude: Apoſtolica doctrina à Romana Eccleſia nunquam eſt corrupta (hoc enim iam ſufficienter probauimus; vel ſi minus, tu nobis edicito, quando, & à quo id factum ſit) ſed anno 1517. & ſequentibus, à Martino Luthero (hoc namque clariſſimè demonſtrare poſſumus) eſt immutata ac variata; ergo Romana Eccleſia puram atque integram retinet Chriſti atque Apoſtolorum doctrinam, Lutherani verò falſam ac commentitiam. CAP. XVI.

TERTIA CATHOLICORVM PROPOSITIO.

Oſtendi etiam non poteſt, Cæremonias, Sacramenta, aut doctrinam vllam ſanctæ Catholicæ Romanæ Eccleſiæ, quidquam continere, quod ſacris repugnat literis: quin potius Doctores omnes clare docent atque demonſtrãt, prædicta omnia Scripturis eſſe cõformia, cuiuſmodi ſunt hæc Chriſti verba. Hoc eſt corpus meum, *& id generis alia. Ex quo ſequitur, Martiniſtas, Caluiniſtas, aliosq́ ſectarios ab hac Eccleſia Catholica ſeſe immerito ac ſine ratione ſeiunxiſſe: nullumquè eorum ſufficientem reddere cauſam poſſe, vt ſi quis Eccleſiam hanc miſſam facere velit, debeat ſe potius Martiniſtis adiungere, quàm vel Caluiniſtis, vel Anabaptiſtis, vel Puritanis, aut vllis alijs noſtri æui ſectarijs.*

EXIGIT autem hæc Propoſitio duo potiſſimum, quorum *Primum* eſt, vt vel tu, amice mi, vel tuorum quiſpiam, adferat in medium vllam Catholicæ Eccleſiæ cæremoniam, doctrinam, aut Sacramentum, quod ſacris repugnet literis, Chriſtique inſtituto. *Deinde*, etſi ignorem ad quam potiſſimum ſectam te contuleris, cauſam tamen aliquam & rationem ſufficientem dari mihi velim, cur à Catholicæ fidei conſtantia deſciſcens, huic erroneæ opinioni, in qua nunc es, te potius addixeris, quàm alicuius alterius hæretici: quippè cùm omnes pro Euangelicis, ac verè reformatis haberi velint? Ad hæc nihil reſpondes quod ad rem faciat, ſed diuerticula quærens, ſubiungis. *Duo requiruntur in hac Propoſitione. Primum. Secundum.*

ANTITHESIS AD TERTIAM CATHOLICORVM PROPOSITIONEM.

Manifeſtum eſt coram toto mundo, in varijs cæremonijs, nec non & in omnibus Pontificiæ Eccleſiæ Sacramentis, quin & in præcipuis fidei articulis, craſſos & horrendos inueniri errores, ſacræ ſcripturæ fundamento ex diametro repugnantes. Neque ipſorum Doctores

probarunt doctrinam ſuam Scripturæ eſſe conſentaneam; multo verò minus impiam illam Tranſubſtantiationem ex verbis Chriſti. Hoc eſt corpus meum, *confirmare potuerunt.*

CAP. II.

RVDIS & indocta, ne dicam inſulſa, eſt hæc tua reſponſio. Ego mihi oſtendi cupiebam vllam aut cæremoniam, aut doctrinam Eccleſiæ noſtræ, Scripturæ repugnantē; cùm tu interim reſpondes; *Manifeſtum eſt coram toto mundo, &c.* Quod ſi te furti arguerem; poſſemnè, putas, iudicibus facere ſatis, non probando, aut teſtes vllos adducendo, ſed dicendo tantum, manifeſtum eſt coram toto mundo furem te eſſe? Quid? an non id tibi probari poſtulares? Dices forſitan, te non voluiſſe directè ad meas reſpōdere Propoſitiones, ſed me tanquam ſtultum mundo ridendum exponere, reſpondendo nimirū ſtulto ſecundum ſtultitiam ſuam, & interim alia ad rem non facientia regerendo, ne viderer mihi ſapiens eſſe in oculis meis. Aptè quidem & aſtutè, amice mi, quippè qui in ridendo me, bellum agis hiſtrionem, faciens tuis partibus ſatis: verum ſi ſtulto ſecūdum ſuam reſpondere ſtultitiam intendis, debes neceſſariò oſtendere eſſe illa quæ propono fatua & inſipida. Non enim vel mihi (qui à te pro deliro, habeor) vel toti mūdo hæ meæ

Pro-

Digitized by Google

Propoſitiones ſtultæ aut fatuæ videntur: quin potius multo eſt ſtultius, has tam prægnantes rationes, quibus & tuæ & tuorum ſectariorum omnium commenta deteguntur, & cuiuis ante oculos ponuntur, tam procaciter ac petulanter irridere: hoc enim faciendo, oſtendis te has contra nihil poſſe obijcere, quemadmodum reuerà non potes, neque quiſquam tuorum, quantumcumque etiam tibi appareas ſapiens, noſque tibi ſtulti videamur. Itaque vt tuæ Antitheſi reſpondeam, miror ſupra modum, quod non erubeſcas effutire, *toti mundo conſtare multos & horrendos in noſtris cæremonijs ac Sacramentis errores inueniri.* Iterum dico, & ſic omninò ſentio, te parum admodum aut nihil penitus (quantumuis in oculis tuis doctus, & prudens) in literis eſſe verſatum: quippe qui lares maternos vix egreſſus, ignoras quid vel ſacri contineant codices, vel alibi rerum geratur. Audax profectò facinus, totum terrarum Orbem Lutheraniſmi accuſare (Lutherani enim ſoli cũ ſuis diſcipulis noſtros tam horrendos, vt dicis, errores, animaduertunt) O impudentem audaciam, ô horrẽdam blaſphemiam. Plurima regna ac Prouinciæ nihil vnquam de tuorum ſectariorũ commentitijs dogmatibus cognouerunt, vti in primis Italia, Hiſpania, Sicilia, India, Braſilia, Peru, Mexicum, Iaponia, aliæque integræ nationes, quæ vel nihil omninò de veſtris iſtis nouitatibus inaudierunt, vel vos vt

Digitized by Google

peſtiferos hæreticos execratæ ſunt : veluti Græci, Syri, Aegyptij, Armeni, qui nobiſcum conueniunt in iſtis præcipuè Articulis, quos tui horrendis ſcatere erroribus ementiuntur. In Belgio vero, Germania ſuperiore, Gallia, Polonia, Hungaria, Suecia, Anglia, Scotia, Hibernia, alijſque locis hæretica labe aliquatenus contaminatis, quàm ingens (bone Deus) adhuc Catholicorum cum Sancta Eccleſia Romana in omnibus ſentiẽtium, inuenitur numerus?

CAP. III. Hoc eodem anno Romæ cum agerem, miſit Poloniæ Rex eo legatum, qui ſuo nomine, cæterorum Catholicorum principum more, Romano Pontifici obedientiam præſtaret, promittens ſe Romanæ ceu Catholicæ Eccleſiæ decretis in omnibus morem geſturum. Idem & Cantones Heluetiorum eâdem ferè tempeſtate prçſtiterunt. Immò, quod omni admiratione dignum eſt, appulêre Romam anno Domini 1585. Regum Iaponiæ legati & conſanguinei, ex vltimis Orbis finibus, vltra Goã Indiæ Metropolim mille & quadringentis milliaribus conſtitutis, vt Pontifici Romano obedientiam deferrent. Horum Regum primus fuit Franciſcus, Bũgi nimirũ Rex, qui ſuo nomine D. Mãcium conſobrinum ſuum Romam huius rei gratia ablegauit. Secundus, Protaſius Arimanorum Rex, qui patrueli ſuo Michaeli Cingina hoc muneris impoſuit. Tertius Bartholomęus, Omuranorum Princeps, cuius vices idem

idem quoq; Michael Cingina eius ex fratre nepos ſuppleuit. Qui multis alijs comitati nobilibus, initio anni 1582. ſoluentes è Iaponia, primo ad Sinarũ portus ſunt delati, inde in Aureã Cherſonesũ, & tandẽ in Indiã peruenerunt. Ex India verò nauigantes, Africæque ſinuoſa littora legentes, ſub anni 1584. finem in Luſitaniam appulſi, atque ibidem à Rege & Principibus honeſtiſſimè excepti, tandẽ Romã ad Gregorium XIII. incolumes venerunt, literas ei ſuorũ Regum admodum reuerẽter ſcriptas, exhibẽtes, omnemq; obedientiã eidẽ tanquã ſupremo Chriſti in terris Vicario promittẽtes. Quos quidẽ tãti nominis atq; authoritatis legatos, diuina prouidẽtia ex tã remotis Mũdi partib. noſtra hac ætate Romã ideo deſtinauit, vt tu amice quiſquis es, ſcias non oẽs tã craſſos in nobis Catholicis errores adhuc deprehendiſſe, quàm vos naſutuli, qui lynceos habentes oculos, omnia in peius interpretamini; ſed potius vt videretis Romanę fidei ſinceritatem etiam à gentibus natione barbaris in pretio ac ſumma veneratione haberi.

OBijcies forſitan, oẽs quotquot Euãgelici dici volunt, cuiuſcunq; etiam ſectæ ſint, craſſos illos errores conſideraſſe, quorum tam multi ſunt, vt meritò mundus queant dici. Quod in iſto ſenſu facilè concedo: quippe qui lubens fateor, Lutheros omnes in varias diſſectos particulas, vbique paſſim locorũ Romanæ Eccleſiæ Sacramẽta, cære- CAP. IV.

monias, & doctrinam cane peius & angue execrari, ac pro erroribus nefandis habere. Quin immo idipſum etiam Iudæi, Turcæ ac Mahometani vbiq; faciunt: neque hoc magnoperè mirandum: cùm enim infideles ſint non minus quàm hæretici, ſiue illi recentes ſiue antiqui ſint, hinc ſummo ſtudio Chriſti doctrinam adulterant. Lege hac de re *a* Athanaſium & *b* Epiphanium. Verum enimuerò, hic mundus magni faciendus nō eſt, quippe de quo Chriſtus ad Patrem conquerens, aiebat: *Pater iuſte, mundus te non cognouit*. Quem quidem mundum, B. Ioannes Apoſtolus totum in maligno poſitum eſſe dicit. Si igitur hoc ſenſu, amice mi, totum intelligis mundum, ſcire debes, doctrinam veſtram non ſolùm à nobis Catholicis pro execranda atque abominabili hæreſi haberi, nefandiſque erroribus, verum etiam à Turcis, Iudæis ac Mahometanis; quin immò & hæreticis. Cuiuſcunque enim ſectæ fueris, ſiue Lutheranæ, ſiue Caluinianæ &c. debes neceſſario alicui adhærere humanæ factioni, vnde nomen ſortiaris. Sic enim Lutherani nominantur *Illyricani, Stancariani, Rigidi, Molles, Adiaphoriſtæ, Melāthoniſtæ: &c.* Caluiniani verò, Puritani, Brunoniſtæ &c. Simili modo loquendum de reliquis: Impoſſibile namque, duas nominare ſectas, quæ non à ſe mutuo hoſtiliter diſſideant. Cuicunque igitur parti adhæreſcas, non niſi pro exiguo poteris haberi cumulo, quem alij, hoc eſt totus

a *Orat. in Arianos. & lib. 3. de Trinit.*
b *Hæreſ. 29.*
Ioan. 17.
1. Ioan. 5.

Digitized by Google

eus mundus, vt diuerſis abominabilium errorum monſtris deformatum, exibilant execranturque.

CAP. V.

ADDIS præterea: *Neque ipſorum Doctores etiamnum probarunt, doctrinam ſuam Scripturæ eſſe conſentaneam.* Craſſum quidem hoc eſt mendacium; ſed tibi eò facilius ignoſcendum, quo minus in Doctorum Patrumq; ſcriptis es verſatus. B. *a* Auguſtinus probat ex ſecundo Machabæorum libro, quem pro Canonico habet, rectè in Eccleſia Catholica pro mortuis ſacrificium offerri. D. *b* Cyprianus Sacroſanctum Miſſæ officium ex ſacrificio Melchiſedechico demonſtrat. Et B. *c* Irenæus ex primo capite Malachiæ. Sic & S. *d* Gregorius ex ca. 12. Matthæi, probat eſſe purgatorij ignem: teſtante ibidem Chriſto, blaſphemiam in Spiritum ſanctum neque in hoc neque in futuro ſeculo remiſſum iri. Ne autem alios articulos diſcutiamus, quos olim probatiſſimi Eccleſiæ Doctores ſacrarum literarum teſtimonijs ſufficienter comprobarunt, ſcire debes omnes primitiuæ Eccleſiæ Pontifices, priſcæque ætatis Patres, ſummam Romano Pontifici decernere authoritatem ac Primatum, ex his Chriſti ad Petrum prolatis verbis: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, &c.* Item ex his: *Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua:* Et ex eo quod alibi ſoli Petro dixit; *Paſce oues meas, paſce agnos meos.* Hæc quidem illi. Ad noſtræ vero ætatis Doctores quod atti-

a *Cap. 1. de cura pro mortuis.*
b *Libr. 2. epiſt. 3.*
c *Lib. 4. cap. 32.*
d *Libr. 4. Dial. c. 39.*
Matt. 16.
Luc. 22.
Ioan. vlt.

net,ſcito eſſe innumerabiles,amice mi,viros & integritate vitæ,& eruditionis laude præſtantes,qui rationibus ſolidiſſimis oẽs fidei noſtræ articulos,quos veſtri cachinnant exploduntq;,non tantùm ex Veterum Patrum, qui primis ſexcentis aut ſeptingentis annis floruêre,ſcriptis;ſed ex ipſius Sacræ Scripturæ verbis efficaciter probarunt. In quorum litterarũ peruolutãdis monumẽtis,ne nimiũ graueris(moleſtum enim tibi foret Roffenſem,Latomũ,Ruardum, Tiletanũ, Lindanũ, Hoſium,Gregorium, de Valentia, Peltanum alioſque ſexcentos qui hac de re ex profeſſo tractarunt,euoluere)ſufficiat tibi vel vnus Robertus Bellarminus, qui abundè tibi, vt ſpero, ſatisfaciet. In illo enim tanquam in limpidiſſimo fonte videbis, quàm accuratè oẽs Catholicæ Eccleſiæ ritus,Sacramenta,ac documẽta cũ ſacris literis (prout à ſanctiſſimis Patribus ea iã dudum ſunt expoſitæ) cõueniẽt.Sed dices fortaſſis,veſtros aliter Scripturam exponere:ad quod ſuperius reſpõdi, veſtros hanc malè interpretari,& ad hæreticæ prauitatis excuſationem peruertere, alioque detorquere. Verum enim Scripturæ ſenſum haurire à Sancta Romana Eccleſia oportet,quæ iam inde ab Apoſtolorum temporibus eam nobis integram conſeruauit, & à Maioribus quaſi per manus acceptam poſteris tradidit: non nudum quidẽ verborũ textum,ſed cum verbis ſincerum eorundem ſenſum,medullam ſcilicet cum cortice,gladium

dium cum vagina, ſpiritum cum litera.

CAP. VI.

SEQVITVR deinde in tua Antitheſi: *Multo vero minus impiam illam Tranſubſtantiationem ex verbis Chriſti* , Hoc eſt corpus meum , *confirmare potuerunt* . Ah nimium blaſphemus es , vt ſolent hæretici omnes. Examinemus ſcripturæ verba, & verum Eccleſiæ ſenſum. Refert Matthæus Euangeliſta Chriſtum acceptum ſacris manibus panem benedixiſſe, ac diſcipulis dediſſe, dicendo: *Accipite & manducate, hoc eſt corpus meũ.* Rogo ergo, edicito mihi, quid ſibi vult pronomẽ *hoc*; panemnè ſignificat, an illud quod ibidẽ ſub pane eſt? Si panẽ ſignificat, cõcedas neceſſum eſt, quod panis quem piſtor ſuo in furno coxit, ſit corpus Chriſti, & quod in vna ipſius perſona nõ ſolũ natura humana cũ diuina ſit cõiuncta, verum etiã natura panis cum vtraque. Ex quo ſequitur, quod ſicuti in perſona Chriſti de Deo licet dicere , quicquid ſecũdum naturam humanã vel egit vel perpeſſus eſt; nimirum Deum eſſe natum , eſurijſſe, mortẽ ſuſtinuiſſe, ſepultum eſſe &c. & de homine quicquid illi ſecundum diuinitatem eſt proprium; vtpote quod Chriſtus homo ſapientia ſit Patris, qui ab æterno exiſtens, cęlum & terram ex nihilo in ortũ produxit &c. ſic etiã per hãc vnionem cum pane (quæ impanatio appellari poteſt, queadmodũ incarnatio) de Chriſto liceat dicere, quicquid naturæ panis tribuitur; nẽpe Chriſtum in piſtoris furno coctum, ex triticea molito-

Matt. 26.

ris farina confectum, aliaſque id generis horrendas blaſphemias. Si autem pronomen *hoc*, ſignificat illud quod ſub pane edēdum Apoſtolis offerebatur, verum eſſe non poteſt id quod ſubiūgitur, *Hoc eſt corpus meum*, ſed oportuiſſet dicere; Accipite & comedite, hic eſt corpus meum; vel in iſto pane eſt corpus meum. Quemadmodum qui tibi porrigit caſeum & panem, vel butyraceum, non dicit, hoc eſt caſeus, vel hoc eſt butyrum, ſed, hoc eſt panis & caſeus, ſiue panis butyro illitus. Chriſtum in vltimo ſuo teſtamento clarè ac apertè loqui decuit, & ſine vlla verborum ambiguitate voluntatē ſuam nos edocere, quid nam illud erat quod nobis tradebat: vtrum ſolummodò corpus ſuum ſine vlla alia ſubſtantia, an vero corpus vna cum pane, per quem extrinſecus nutriremur. Ioannes capite ſexto manifeſtè ſeſe explicat, omnemque nobis dubitationem eximit, cùm de hoc eodē ſacramēto in Chriſti perſona differēs, inter cętera dicit: *Hic eſt panis qui de cælo deſcendit: de cælo* inquit, non ex piſtoria officina aut fornace, quod reuera fit ſi natura panis manet. Ego enim qui ſecundum diuinitatem inde in terras deſcendi, verè ac realiter in hoc Sacramento ſum, integer ſcilicet Deus & homo. Deinde ſubiungit; *Caro mea verè eſt cibus*, quod eſſe non poteſt permanente pane: non enim tunc Chriſti corpus, ſed natura panis quæ manet, cibus eſt. Tertiò: *Panis quem ego dabo, caro mea*

Vide de huius pronominis explicatione Tom. 3 Bellar. li. 1. de Sacr. Euch. c. 10.

mea eſt. Quod omninò falſum, ſi ibidem permanet panis piſtorius, niſi panis vniatur iſti perſonæ, quæ ſit Deus, homo, & panis; & ſic tres erunt in vna perſona naturæ. Itaque nos Catholici cum priſcæ ætatis proauis noſtris firmiter credimus nullum hîc remanere panem, ſed ſolummodo verum Chriſti corpus ſpecie panis & vini contentum. Quod nobis aperte denotat pronomen *Hoc*: ſic enim dicitur: *Hoc eſt corpus meū: Hic eſt ſanguis meus*. CAP. VII.
Hanc fidem tenuerunt, atque alijs obſeruandam tradiderũt, ſanctiſſimi Eccleſiæ Doctores qui primis ſex vel ſeptem ſeculis in viuis fuêre, ſcriptiſque claruêre: cùm adhuc Chriſti doctrina (vti etiam vos non inuiti agnoſcitis) pura integráque eſſet. E quorum numero B. Cyrillum Hieroſolymitanum Epiſcopum, qui vixit anno Domini 350. in primis audiamus, ita loquentem: *Cùm Chriſtus ipſe ſic affirmet, atque dicat de pane*: Hoc eſt corpus meum; *quis deinceps audeat dubitare? ac eodem quoque confirmante ac dicente*: Hic eſt ſanguis meus; *quis, inquam, dubitet, & dicat non eſſe illius ſanguinem? Aquam olim mutauit in vinum, quod eſt ſanguini propinquum, in Cana Galileæ ſola voluntate; & non erit dignus cui credamus, quod vinum in ſanguinem tranſmutauit?* Euſebius verò Emiſſenus ita hac de re ſcribit, ſeu quicunque fuit auctor iſtius celeberrimi ſermonis de corpore Domini, qui incipit; *Magnitudo cœleſtium beneficiorum*; ſic enim ait: *Inuiſibilis Sacerdos viſibiles creaturas in*

Catecheſ. 4.

ras in ſubſtantiam corporis & ſanguinis verbo ſuo ſecreta poteſtate cōmutat. Ambroſius Mediolanenſium Archiepiſcopus florens anno Domini 380. ita loquitur: *Panis iſte, panis eſt ante verba conſecrationis, vbi acceſſerit conſecratio, de pane fit caro Chriſti.* Et alibi: *Sacramentū*, inquit, *quod accipis Chriſti ſermone cōficitur. Quod ſi tantū valuit ſermo Heliæ, vt ignē de cœlo deponeret, non valebit Chriſti ſermo, vt ſpecies mutet elementorum? De totius mundi operibus legiſti: quia ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mandauit, & creata ſunt. Sermo ergo Chriſti qui potuit ex nihilo facere, quod non erat; non poteſt ea quæ ſunt, in id mutare quod non erant? non enim minus eſt nouas rebus dare, quàm mutare naturas*. B. Gregorius Nyſſenus frater Baſilij Magni, eâdem ferè ætate in humanis exiſtens, in libro de vita Moyſis, vbi diſputat de manna Iudæorum, & eum cibum cum Euchariſtia confert, ita ſcribit: *Panis eſt abſque ſemine, abſque aratione, abſque vllo humano opere nobis paratus. Is deſuper defluens inuenitur in terris. Panis enim qui de cœlo deſcendit, qui verus cibus eſt, qui ænigmaticè hac hiſtoria ſignificatur, non incorporea quædam res eſt: quo enim pacto res incorporea corpori cibus fiet? res autem quæ incorporea non eſt, corpus omninò eſt*. Hæc ille. In quo quidem teſtimonio duo habemus, quæ excludunt omnes, quæ fingi poſſent ab aduerſarijs, expoſitiones. Nam *primo* Gregorius

Lib. 4. de Sacr. ca. 4
De myſterijs init. cap. 9.
4. Reg. 1.
Pſal 148. verſ 5.

gorius dicit; panem Euchariſtiæ ſine ſemine, ſine Aratione, ſine opere humano fieri: quod certè non conuenit pani triticeo piſtoris furno decocto: loquitur ergo de vero Chriſti corpore, cui illa omninò conueniũt. *Secundo* dicit, eundem panem corpore manducari: non ergo loquitur de corpore Domini, vt eſt in cœlo, & ſola fide ſumitur, ſed de vero corpore, vt eſt in Euchariſtia. Beatus Gaudentius Brixienſis Epiſcopus, qui anno Domini quadringenteſimo celebris fuit, ita ait: *Ipſe naturarum creator & Dominus, qui producit de terra panem, de pane rurſus (quia poteſt & promiſit) effecit proprium corpus; & qui de aqua vinum fecit, & de vino ſanguinem ſuum.* Eodem quoque tempore D. Chryſoſtomus claruit, ſcribens in hæc verba: *Non ſunt humanæ virtutis opera propoſita; qui tunc ipſa fecit in illa cœna, idem ea nunc quoque facit, nos miniſtrorum tenemus locum; qui verò ea ſanctificat & immutat, ipſe eſt.* Et alio in loco; *Num vides,* inquit, *panem? num vinum? num ſicut reliqui cibi in ſeceſſum vadunt? abſit, ne ſic cogites. Quemadmodum enim ſi cera igni adhibita illi adſimilatur, nihil ſubſtantiæ remanet, nihil ſuperfluit: ſic & hic puta myſteria conſumi corporis ſubſtantia.* S. Auguſtinus Hipponenſis in Africa Epiſcopus, qui teſte Proſpero obijt anno Domini 433. ita ſcribit: *Panis ille qui in templo offer-*

Tract. 20. de Exodo.

Homil. 83. in Math.

Homil. in encænijs.

Serm. 28. de verbis Domini.

offertur, panis eſt ante verba Sacramentorum; vbi acceſſerit conſecratio, de pane fit caro Chriſti. D. Cyrillus Alexandrinæ vrbis in Aegypto Patriarcha, qui vixit an. 433. in epiſtola ad Caloſyrium, hæc ſcriptis mandauit: *Ne horreremus*, inquit, *carnem & ſanguinem appoſita ſacris altaribus, condeſcendens DEVS noſtris fragilitatibus, influit oblatis vim vitæ, conuertens ea in veritatem propriæ carnis.* Victor Antiochenus qui necdũ euerſis templi Hieroſolymitani fundamentis, hoc eſt ante Iuliani Apoſtatæ tempora vixit, credendum præcipit poſt conſecrationem, Chriſti corpus eſſe ſub ſpecie panis, & ſanguinem ſub ſpecie vini, &c. Poſſem & alios primitiuæ Eccleſiæ Patres idem omninò affirmantes in medium proferre: verum hi mihi ſufficere poſſe videntur, ad demonſtrandum veteris fidei vnanimem conſenſum. Non enim te tã proiectæ audaciæ eſſe opinor, vt omnes hos tam antiquos atque eximiæ pietatis Doctores, pro impijs velis habere: qui primis quinque ſeculis in omnibus totius mundi plagis, Italia nimirum, Græcia, Syria, Aegypto, Africa &c. tranſubſtãtiationem (quam tu impiam, nimis blaſphemè nominas) approbarunt ac crediderunt. Tranſubſtantiatio autem eſt vnius ſubſtantiæ in alteram commutatio: quæ quidem in hoc Sacroſancto Euchariſtiæ Sacramento, vti præfati Patres omnes teſtantur, contingit. Quippe cum nulla ibi maneat ſubſtantia panis & vini, ſed corpus &

In cap. 14. Marci.

pus & ſanguis Domini noſtri IESV Chriſti, ſub ſpecie panis & vini: quod varijs rerum creatarum tranſmutationibus demonſtrant: ſic enim olim in nuptijs Canæ Galileæ aqua in vinum commutata eſt, virga Moſaica in ſerpentem, aqua Aegypti verſa in ſanguinē; veluti etiamnum quotidiè cibus & potus in corpus ſumentis conuertitur, terra in frumentum.

CONCLVSIO ANTAGONISTAE.

Hinc ſequitur Reformatam Eccleſiam, meritò ſeſe ſegregare ab Apoſtolica Romana Eccleſia: idqúe eo magis, quod Sacerdotes & Monachi non valentes aut volentes Euangelicæ veritatis ſplendorem perferre, illam cum omnibus ſuis aſſeclis cruentis tyrannicíſque perſecutionibus è medio ſuſtulerint. Ex quo manifeſtum euadit, quemlibet Chriſti fidelem, Pontificios miſſos facere debere; illiq; adhærere conſiſtorio, in quo vera & inuiolata Prophetarum Apoſtolorumq; doctrina traditur, docetur, explicatur.

CAP. VIII. IN hac Concluſione tria notatu digna occurrunt. Primum: *reformatam Eccleſiam merito ſe ſegregaſſe à Romana Apoſtatica.* Meritòne id fiat an immeritò, ſatis ſuperq; à nobis probatum eſt. Omnibus etenim hæreticis, B. Paulo ac Ioanne Apoſtolis teſtantibus, proprium eſt exire à nobis, atque à Catholica Eccleſia deſciſſere; idque ideo quia hæretici ſunt, hoc eſt nouarum opinionum percupidi electores, nõ contenti priſcæ fidei vetuſtate, quæ per vniuerſum Orbem mille quingẽtorum annorum ſpatio viguit. Dum autẽ Romanã Eccleſiam Apoſtaticam vocas, magnã tuæ irrogas iniuriã Synagogæ, cui hic titulus meliori iure cõpetit: quippe quæ vix enata, in ſectas innumerabiles diſſecta, de vno errore in alium eſt prolapſa. Eccleſia verò noſtra Catholica, ſi quid decremẽti in exiguo aliquo Orbis angulo accipit, hoc cum fœnore in latiſſimis illis vtriuſque Indiæ regnis recuperat: nempe in Braſilia, Mexico, Iaponia, Peru, China: quibus in locis quotannis plus quam centum millia infidelium ad Sanctam Romanam Eccleſiam ceu verum Chriſti ouile adducũtur. Martinus Valentinus profeſſione Franciſcanus, miſſus an. Domini 1524. in Mexicanam Prouinciam, cùm ſeptennio ibi egiſſet, ſcripſit in Hiſpaniam ad commiſſarium ſuũ anno 1531. Pridie Idus Iunij, quod intra iſtud ſeptennium ſacro baptiſmatis fonte ſepties dena centena millia infidelium expiata ſint,

Actor. 20. 1. Ioan. 2.

Vide Commentar. Laurent. Surij ad annum 1558.

ſint, & viginti circiter Franciſcanorum erecta monaſteria. His autẽ reſpõſionibus dum occupor, ecce ſuperueniunt literæ à Patre Iacobo Auellameda, viſitatore Societatis IESV in Mexico: quibus ſcribit à duobus tantùm Patribus à ſe in regionem Cinaloam, quadringentis milliaribus à Mexico remotam, ablegatis, breui temporis ſpacio conuerſa eſſe, plus quam quinque hominũ millia, exceptis infantibus, quos ſalutaris aquæ lauacro etiam tinxerunt, ædificatis interim ſeptendecim Eccleſijs.

CAP. IX.

SECVNDVM: *Sacerdotes & Monachos non valentes aut volentes veritatis ſplendorem perferre, illam cum omnibus ſuis aſſeclis cruentis tyrannicíſque perſecutionibus è medio ſuſtuliſſe.* Inſulta ſunt hæc, & friuola prorſus, ſine vlla veritatis probatione: quæ & ſectariorum quilibet effutire poteſt, non ſolum de nobis Catholicis, verum etiam de ſe ipſis: quippe cùm ſeſe inuicem hoſtili animo proſequantur, capiant, occidant. An non enim Andreas Carolſtadius, cùm nouitatem quandam in Lutheraniſmo meditaretur, à præceptore ſuo Luthero VVittenbergâ profligatus ac proſcriptus eſt? De Tilmanno Heshuſio quid dicam? qui & ipſe ob nouam excogitatam doctrinam ex ſex Lutheranis vrbibus eliminatus eſt? Michael Seruetus iuſſu Caluini, cùm impiè de Trinitate ſentiret, flammis conflagrauit. Valentinus Gentilis ob eundẽ erro-

Surius in Commẽtar. in princip. anni 1525.
Ibidem anno 1560.
Bellarmin. Tom. 1. Præfat. in lib. 1. de Chriſto.

errorem à Caluinianis repulſam paſſus, Bernæ Heluetiorum comprehenſus, capite pœnam luit. Hæc ergo omnium hæreticorum, ſe inuicem opprimere conantium, eſt querela. Verum quandoquidem Antagoniſta noſter calumniatur ſanctæ Inquiſitionis officium, quo hæretici legitimè puniuntur: ex iure veteri tam ciuili quàm Canonico, plenius illum inſtruam, docens quidnam ſit Inquiſitio, & quæ eius neceſſitas, vtilitaſque.

CAP. X.

PRIMO conſtat omnibus, qui vel à longè Christi doctrinam attigerũt, vel ſcintillã habẽt ſciẽtię naturalis, magiſtratũ ad ſcelerũ pœnas expiãdas à Deo inſtitutũ eſſe (nõ enim ſine cauſa gladiũ portat, vindex ſcilicet in irã ei qui malè agit) & grauiora quidẽ grauius. *Secundò,* notũ eſt cuilibet Chriſtianorũ, hæreſim vnam eſſe ex grauiſſimis criminibus: per quam homo non ſolum Dei amorem à ſe quàm longiſſimè repellit, verum etiam fidem ipſam (hac etenim mediante adhuc quilibet Chriſtianus peccator, Deo aliquatenus iungitur & vnitur) in cuius locum nouam pro libitu ſibi adſciſcit opinionem, ita vt à Deo amplius nec per fidem nec per charitatem dependeat, ſed infideli ſimilis efficiatur, adinſtar Ethnici, Turcæ, & Iudæi. Vnde & ab Eccleſiæ communione præſcinditur, ſecundum Chriſti Saluatoris edictum, quaſi inobediens, rebellis, arrogans; qui nimirum ſuum ſentire totius mundi iudicio præponens, cæteros omnes erroris condemnat.

Rom. 13.

Matt. 18. verſ. 17.

nat. Ex quo ſcelerum fonte etiam alij quam plures noxij ſcaturiunt riuuli; nempe ſeductio aliorũ, quos in ſuæ perfidiæ naſſam pertrahere conantur, quaſi hactenus veræ fidei dogmatibus in antiqua Catholica Eccleſia caruerint. Itaque ſicuti nos magnoperè ſolliciti ſumus, pro Turcarum, Ethnicorum, aliorumq́ue qui à recto itinere aberrant reductione; ita & ipſi in Catholicorum peruerſionem ſtudioſiſſimè incumbunt, idq́ue ſub prætextu zeli ac amoris diuini. Quæ res vti Deo omnipotenti ſummoperè diſplicet, ita ingentia ſecum animarum adfert diſcrimina: hinc etenim in Republica oriuntur ſeditiones, rebellio aduerſus Magiſtratum, bella in legitimos Reges, Sacramentorum exploſiones, ſacrorum rituum ſeu cæremoniarum irriſiones, imaginum euerſiones, templorum deuaſtationes, religioſorum defectiones ſeu apoſtaſiæ, totius denique Chriſtianæ religionis deſtructio ac corruptela. Hîc nulla opus eſt probatione, niſi vt oculos ſolummodo aperias, quibus videas quid hiſce annis aliquot in Anglia, Scotia, Hollandia, Zelandia alijſq́ue ab hæreticis infeſſis regionibus acciderit. Et quamuis hæc à vobis pro peccatis non habeantur, ſed potius pro rebus ex zelo benè geſtis, nihilominus tamen à Deo acriter ſuo tempore punię̃tur; non enim à veſtro negare aut affirmare huius rei depẽdet veritas, nam in propria cauſſa, quis fidem vobis habebit? Dic mihi quęſo,

ſi quis furtum negaret eſſe peccatum (ſic enim opinantur Iudæi, qui quicquid poſſunt, Chriſtianis ſubducũt, quemadmodum & illi qui ſunt de domo Amoris, vt ſuæ cõſortis aſſeclas iuuent) an ideo peccatum apud Deum nõ eſſet? Imo eo magis obligaret hominem, quod non ex humanæ naturæ fragilitate id accideret, ſed ex obſtinata animi malitia, & præſumpta impunitate: qui enim huius eſt factionis, etiam alijs hanc ſuam ſcabiem affricare cupit, ſicq; plurimorum exiſtit cauſſa malorum. Non ſecus noſtræ tempeſtatis agunt hęretici, qui alijs authores ſunt, vt Sacramentis Eccleſiæ derogent, approbatoſque priſcæ ætatis ritus omnes profligent. Quod cùm nos ex ſacris conſtitutionibus pro horrendo facinore atque abominabili ſcelere reputemus, fateamur oportet tales non ſolum Anathemate feriendos, verum etiam gladio plectendos, ac internecione delendos.

CAP. XI.

ATQVE hinc eſt quod tam Eccleſiaſticus quàm politicus Magiſtratus, primis ſex ſeculis aliquot decreta vt ſeuera, ſic & vtilia neceſſariaque promulgauerit, quibus in hæreticos animaduertendum cenſet. Theodoſius enim & Valentinianus, qui anno 388. Romano præfuêre imperio, omnes illos hæreticos declararunt, & ex iure ciuili puniendos, qui vel in minimo articulo à Catholicæ fidei ſinceritate deſciſcunt. Quid verò Conſtantinus primus Chriſtianorum Impera-

perator, nec non & Martianus, Gratianus, Iuſtinianus, & duo præfati de his ſtatuerint, lege in Codice Tit. 8. de hæreticis & Manichæis libr. 1. 2. 4. 5. 8. 9. Vbi omnia ipſorum bona confiſcantur, ipſi vero pro infamibus habentur, atque exilio mulctātur, immò & morti adiudicantur; non ſolùm qui hæreſim amplectuntur, ſed & illi qui hæreticorum ſcienter penes ſe libros adſeruant. Atq; harum imperialium conſtitutionum ſeu legum, meminere etiā antiquiſſimi rerum Eccleſiaſticarum Scriptores; nempe *a* Socrates, *b* Sozomenus, & Photius Patriarcha Conſtātinopolitanus in Nomocanone, nec non & ipſe D. Auguſtinus; qui in initio hęreticos nō ſupplicijs ſed diſputationibus euincēdos exiſtimās; poſtea mutauit ſententiā: re ipſa nimirū expertus, quod diſputando indurentur potius quā emolliātur (neq; enim, vt rectiſſimè ait *c* Gregorius, hæretici inquiſitionibus ſuis veritatē conātur aſſequi, ſed victores videri) perſecutionibus vero & gladijs Principū, vel meliores efficiātur, vel pauciores. Licet interim Eccleſiæ Catholicæ propriū ſit, tunc magis augeri ac creſcere, quo pluribus premitur aduerſitatibus; quēadmodum vites dū putātur, vberiores producunt vuas, vt inquit B. *d* Iuſtinus. Atq; hinc eſt quod *e* Tertullianus ſanguinē, vocat ſemē Chriſtianorum: & vt B. ait *f* Leo, licet aquæ diluuij ædificia ac palatia omnia in terram proſtrauerint, arcam tamen Noe in altum extulerunt.

a *Lib. 1. c. 9.*
b *Lib. 1. ca. 21.*
c *Lib. 8. Moral. cap. 2.*
d *Dial. cum Triphone.*
e *In Apologet. ca. vlt.*
f *Serm. 1. de SS. Petro & Paulo.*

Rebus itaque accuratius conſideratis, atque experientia edoctus, reuocauit ſententiam ſuam Auguſtinus, approbans decreta Auguſtorum de puniendis & è medio tollendis hæreticis: quamquam non minus id iſtius tẽporis hæreticis diſplicuit, quam noſtri. Non enim Magiſtratus officium tantummodò requirit, vt externam Reipublicæ pacem, quæ hæreſum malitia non parum interturbatur, procurent; verum etiam vt orthodoxæ fidei ſynceritatem, Deique honorem acriter propugnent; teſtante id Dauide, ac dicente; *Seruite Domino in timore.* Qua de re conſule Diuum Auguſtinum, locis ad marginem citatis.

Pſal. 2. Lib. 2. Retrac. c. 5. Epiſt. 48. 50. & lib. 1. cõt. Epiſ. Parm. cap. 7. lib. 2. cõtra Epiſt. Gaudent. c. 17. Tract. 11. in Ioannem.

CAP. XII.

ROMANAE autem Eccleſiæ conſuetudo in puniendis hæreticis, talis eſt. Poſtquã à ciuili vel Eccleſiaſtico Magiſtratu apprehenſi ſunt, primò à doctis & Eccleſiaſticis viris examinantur, vtrum verè hæretici ſint. Quo comperto, in orthodoxa fide inſtituuntur, ſolutis interim argumentis illis quibus ab ea defecerunt. Poſtmodum autem pura, ſincera ac aperta Euãgelica veritas ipſis proponitur. Quibus ſi nihil reſpondeant, ſed potius obſtinati permaneãt, adeo vt nec benignæ admonitioni, nec eruditæ ac ſolidæ inſtructioni vllum relinquant locum, ab Eccleſię gremio vt putrida membra excommunicationis gladio reſecantur, ciuiliq́ue Magiſtratui puniendi traduntur: qui ſecundum legum Regumq́ue decreta, prout fas eſt, in

eos

Digitized by Google

eos animaduertāt. Nulli enim competit Eccleſiaſtico, vel ſanguinem fundere, vel capitis quemquam condemnare. Perpende itaque hęc omnia, amice mi, & accuratè cōſidera, num Monachi ac Sacerdotes cruentarum ac tyrannicarum perſecutionum authores haberi debeant, qui adeo benignè ac diſcretè, immò ad formam iuris, omnia peragunt. Nec ipſa iuſtitia ideo tyrannica eſt appellāda, quod homini facinoroſo ac mortem merito vitam quandoque auferat: quippe quæ non vindictæ cupiditate id facit, ſed ne malum impunitum vlterius proſerpat. Pręcipit hoc Deus ipſe, vt nimirum malefici, pſeudoprophetæ, ac hominum ſeductores è medio tollantur. An non enim hæc illius iuſſio? a *Maleficos non patièris viuere?* Itemque: b *Propheta aut fictor ſomniorum interficietur? quia locutus eſt, vt vos auerteret à Domino Deo veſtro.* Et alibi. c *Qui ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, ex decreto iudicis morietur homo ille.* Cui diuino mandato viriliter ac cordatè admodum inſiſtens Helias, quadringentos & quinquaginta Baaliticos Prophetas gladio interemit. Dices forſitan, fidem liberam eſſe, nec vi quenquam ad eam adigi oportere. Fateor id quidem. Verum quēadmodum matrimonij Sacramentum liberum eſt nō cuiuis, ſed nec dum vinculo coniugali ſociatis (qui enim vxorem duxit, nullatenus ad aliud conuolare poteſt coniugiū: neque vlli mercatorum contractus reſcindi

a *Exod. 22. verſ. 18.*
b *Deut. 13. verſ. 5.*
c *Deut. 17. verſ 12.*
3. Reg. 18.

queunt, licet liberi fuerint nulliuſque obligationis, antequã ſcilicet contraherẽtur) ita Turci, Iudæi, alijq́; infideles, qui Chriſtianã fidem nunquã amplexi ſunt, liberi omninò ſunt, neque vllatenus vi ad eam debent compelli. Qui verò baptiſmatis Sacramento initiati, Ieſu Chriſti veri Dei & hominis ſalutarem doctrinam in eius Eccleſia ſemel publicè ſunt profeſſi, illi vt eidem firmiter inhæreant, poſſunt vel blanditijs induci, vel minis mulctiſque impelli.

CAP. XIII.

VIDES ergo, quàm inique de nobis conquerantur hęretici, quibus nos multo ęquius indignamur, quod contra omne fas & ius à nobis extorquere conãtur, vt orthodoxę fidei canæ vetuſtati, in qua nati & educati ſumus, nuntium mittamus; illudq́ue certiſſimum ſalutis noſtræ pignus ante mille ac quingentos annos à maioribus nobis relictum, ac per manus traditum, vt perfidi deſeramus: nouiſq́; commentis nuper admodũ à quodã Luthero excucullato Monacho, aut à Sceleſtiſſimo aliquo Sodomita Caluino, inuſtionis ſuæ cauterium in humeris geſtante inuectis, adhæreſcamus, illaque pro puro ac ſincero Dei verbo ſuſcipiamus. Quorum ſectæ cùm variæ ſint, ac multiplices; adeo vt quiſque priuatam ſuam opinionem pro Chriſti Euangelio nobis vi velit obtrudere; hinc etiamnum ignoratur, quænam illarum melior ſit. Itaque ſi videant nos priſcæ religioni inhærentes, noua hæc

Vide Hierõ. Bolſec. in vita Caluini.

com-

commenta amplecti nolle, odio nos perſequuntur, bonis ſpoliant, exilio mulctant, capite plectunt, multoque truculentius inuadunt, quàm vllus ethnicorum tyrannorum vnquam fecit. Quibus tormentis innumeri in Anglia ſub hac regina Elizabetha Catholici excarnificati ſint, luce meridiana eſt clarius: quo pacto ſcilicet funibus ſint extenti, vnguibus fodicati, clauis aſſeribus affixi, aut etiam candenti ferro perforati, ocreis bullienti oleo refertis induti, extractis inteſtinis viui euiſcerati, ferreis ſoleis, equorum inſtar, calceati, grauiſſima ponderis mole in modũ placẽtæ cõpreſſi, alijſq; horrendis, & à ſeculo vix auditis crudeliſſimorum tormentorum generibus pro fide enecati. Quæ quidem ſuppliciorum genera cum Regina iubente Catholicis inferuntur, ſicuti olim Chriſtianis Martyribus publico Gentilium Imperatorum edicto, tunc adhuc aliquem excuſationis prætextum videntur poſſe habere; verum in Francia ac Belgica noſtra, ſine vlla Magiſtratus iuſſione, adeo truculenter adinſtar rabidiſſimarum ferarum veſtræ religionis conſortes in Catholicos debacchati ſunt, vt omnes humanæ modeſtiæ limites exceſſerint. Nolo iam hîc recenſere, quod in ſola Gallia tria Monachorum millia diuerſis temporibus ferro flammaque interemerint: ſed paucula ex ijs attingere tantummodo eſt animus. Engoliſmæ, funibus acri-

Legatur Theatrum crudelitatũ Angliæ.

Vide Commentar. Laurentij Surij ad annum 1567. & an. 1572.

acriter extenſis Catholicos nudos iniecerũt, vt hoc modo medios diſſecarent. Montiſbruni honeſtæ cuidam matronæ, quę eos qua poterat humanitate liberaliſſimè tractauerat, cãdentibus laminis plãtas aduſſerunt. Alibi homines viuos perforatæ ciſtæ incluſos bullienti oleo perfuderunt, donec vitam miſerè exhalarent: nonnullos vno tantùm pede in penuarijs ſuſpenſos, ſubtracto omni cibo mori coegerunt. Presbyterum quendã altari adſtantem ac ſacris operantem cruci clauis affixêre, ſclopetis in eum iaculantes. Quibuſdam diſſecto ventre auenam inſperſêre, adhibitiſque fame confectis equis, ex tali præſepio pabulum eis præbuêre, qui vna cum auena etiam viſcera morſu diſcerperent: quod olim Iulianus quoque Apoſtata, referente *a* Sozomeno ac *b* Theodoreto, feciſſe legitur. Alios pleroſque ex altiſſimæ turris faſtigio præcipitatos, lancearum ſuarum cuſpide exceperũt. Hæc Hugonotorum ſunt in Gallijs præclara facinora toti Orbi notiſſima. Quibus noſtrates Belgæ, ne inferiores cenſerentur, videamus quas nam & ipſi ſcelerum, quibus innoxios excruciarent, excogitauerint pœnas. Hi enim anno 1572. Brielæ in Hollandia vndecim Franciſcanos neci dedere in horreo quodam, ac octo Preſbyteros ex trabibus ſuſpenderunt, præter alios centum & octoginta Catholicos, quos interemerunt. Ruremundanæ quoque Carthuſiæ religioſos omnes, vel gladijs conſciderunt,

a *Lib. 5. c. 9.*
b *Lib. 3. c. 6.*

Lege Commentar. Surij an. 1572.

derunt,vel fuga abegerunt, adeò vt viginti ſex,tum religioſi, tum ſeculares ibidem occubuerint. Alibi verò Catholicæ religionis profeſſores cultellis conſciderunt, in modum ſartorum iſtorum qui ſecularium hominum thoraces ac femoralia punctim perforare ſolent:nonnullos autem vel manibus vel pedibus ſuſpenderunt, adhibitis etiam ponderibus, quibus magis deprimerentur: quin & quibuſdam aquam per infundibulũ quod ori impoſitum erat, infuderũt: vt ventres tumefactos fuſtibus contunderent, donec eandem quam ſuſceperant aquam reuomerent. Alibi nudo ventri pelles inuerſas ſuperimpoſuerunt,& ſub pellibus glires viuos, qui calore ignis excitati, ventres morſu rabido perforarent. Quoſdam verò capite tenus in terram defoderunt, ad quorum capita veluti ad ſcopum globos iacientes, miſerandum in modum eos contuderunt. Nonnullos pedibus manibuſque in dorſum colligatis,ex altiſſimis feneſtris in profluentes præcipites dederunt. Nec defuerunt, quos vel veſtibus omnibus ſpoliatos in hirſuta vepreta compulerunt, aut alijs inauditis tormentis è medio ſuſtulerunt. Quid tu ad hæc amice mi? hæccine Chriſtianos decẽt facinora? hęccine Euangelicorum eſt modeſtia, qui nihil frequentius in ore habent, quàm liberam vnicuique debere eſſe fidem? Mirabilis eſt hæc fidei reformandæ ratio, homines ſcilicet innocentes, vulneribus
con-

conſcindere, laniare, diſcerpere, interimere. Et quidem hæc adeo vera ſunt, vt etiam literis à viris *a* fide dignis tradita, ſat magnos impleuerint codices; non minus quàm quæ de veterum ſanctiſſimorum Martyrnm ſupplicijs olim ab antiquis annalium Eccleſiaſticorũ ſcriptoribus poſteris ſunt cõſignata.

a Vide Claudium Xanctesium. Richard. Veſtiganum, Lauanũ de falſis ſup. Ioan. Naſum cent. 2 veritat. 23. Lindan. Dial. 3. Dubitant. Surium in Cõmentario.

CAP. XIV.

HIs tamen tam inauditis crudeliſſimorũ tormentorum generibus, nondũ ſatiati ſanguinarij iſti Lutheri diſcipuli, è regno Catholicum Regem, Dominum ſuum naturalẽ exturbãt, Prouincias & ciuitates omnes ipſi eripientes, ſubditos illius rapiẽtes ac cuſtodijs demãdantes, adeo vt plus quã latrones & incendiarij vias quaquaverſum infeſtent, ne ipſis quidem miſeris ac pauperculis ruſticis parcentes. Hæccine eſt tyrannica ac ſanguinolenta perſecutio? Hæccine vos docet purum iſtud, quod iactatis, Dei verbum, ac reformatum Euangelium? Quo iure ab antiqua Catholica fide nos conamini deijcere? poteſtiſne vllis rationibus demonſtrare, quod fidem aliquãdo, vti vos feciſtis, immutauerimus? Vbi quæſo ſcriptum eſt, Apoſtolos, vel Sanctos Patres vi quempiam adegiſſe, etiam ſceleſtiſſimum ac enormiter blaſphemum, ad deſerendam religionem ſibi à maioribus traditam? In India, Peru, Braſilia, alijſque locis Sacerdotes Catholici infidelibus verbum Dei annunciant, non tamen armis, incendijs, rapinis, internecionibus: quin potius Apoſtolorum veſtigijs pro

Digitized by Google

pro viribus inſiſtentes, vacant ieiunijs, orationibus, vigilijs, indefeſſis laboribus, miſericordiæ operibus, miraculorum ſignis, quibus ægritudines morboſq; depellũt. Simili modò agite & vos, vt talibus indicijs cuiuis conſtet, miſſionem ac reformationem veſtram à Deo vobis demandatam. Hoc eſt enim quod vobis Eraſmus Rotterodamus ſingularis amicus veſter etiam olim obiecit, dũ veſtros truculentiſſimos ac tyrannicos deſcribens mores, inter cætera ſic ait: *Circumſpice populum iſtum Euangelicum, & obſerua num minus illic indulgeatur luxui, libidini, & pecuniæ, quàm faciũt illi quos deteſtamini. Quis vnquam vidit in illorum concionibus quenquam pro peccatis ſuis fundentẽ lachrymas, tundẽtem pectus, aut ingemiſcentẽ? Abrogata eſt Miſſa, ſed quid illi ſucceſſit ſanctius? Nunquã illorũ Eccleſias ſum ingreſſus, ſed aliquãdo vidi redeuntes à concione velut malo ſpiritu afflatos, vultibus omniũ iracundiam ac ferociam miram præ ſe ferentibus. Si fidem tam habent in pectore quã illis natat in labijs, quid eſt quod ſic ad callida cõſilia technáſq; confugiunt. Apoſtolorum doctrinã eximia pietas & ſingularis modeſtia orbi cõmendabat. Aderat præſentanea miraculorum vis, aderat ſpiritus ille igneus, qui ſeſe moribus illorum atque etiam vultu, oculiſque promebat. Nihil vi gerebant, tantum vtebantur gladio ſpiritus, neminem agebant in exilium, nullius inuadebant facultates, ac ne Gentium quidem idola frangebant, niſi fortè precibus ad*

Eraſmus in Epiſtola ad Vulturium Neocomũ.

ad DEVM fuſis. Et tamen talis doctrina tot rebus commendata, paulatim ac ſenſim occupauit Orbem. Vos poſtulatis vt intra pauciſſimos annos mundus aſpernetur, quod ante annos mille à maioribus eſt traditum, & in veſtra dogmata pedibus eat ac manibus, nulla harum rerum quas recenſuimus commendati. Quale eſt autem quod exigitis? vt credamus Eccleſiam annis plus mille quadringentis caruiſſe CHRISTO, ſed ſponſo ſtertente ſponſam pro DEO coluiſſe, laruas & idola, in ſacris enarrandis litteris prorſus fuiſſe cæcam, miracula Sanctorum nihil aliud fuiſſe quàm dæmonum præſtigias. Si vos offendunt vitia Catholicorum, oſtendite nobis Eccleſiæ veſtræ ſpecimen, quæ non habeat maculam, neque rugam, & amplectemur illam. Hæc omnia Eraſmus non minus diſertè quàm verè. Vos enim in concionando vſurpatis eundem modum quem olim Arriani, Iconoclaſtæ, Mahometiſtæ, qui nefariam ſuam doctrinam gladio propagarunt. Miror ſæpius, quod maiorum veſtrorum cadauera non effodiatis ac comburatis, aut patibulis affigatis: quemadmodū anno 1556. Baſileenſes fecerunt Dauidi Georgio: Hi enim maiores noſtri, in vita eandem omninò fidem docuerunt & tenuerunt, quā nunc in nobis Catholicis deteſtamini ac perſequimini. Credo multitudinem, ne id fiat, impedire; quibus ſatis eſt animi malitiam in ſanctiſſimas B. Irenæi glorioſiſſimi Eccleſiæ Martyris, nec non & S. Hilarij, ac Diui Martini reliquias oſtendiſſe: quas in cinerem

Surius in Commentario. anno 1556. in fine.

Ibidē anno 1562. circa finem.

cinerem pulueremque conuertiſtis. Similiter & oſſa beatiſſimi Martyris Thomæ, Cantuarienſis quondam in Anglia Archiepiſcopi, miraculorum gloria illuſtriſſimi, flãmis concremaſtis: & quaſcunque Sanctorũ Martyrum, qui viua Dei tẽpla fuerunt, reliquias reperitis, eodem modo tractatis. *Surius anno 1538.*

NON incongruè hîc ſubijciemus Caluiniſtarũ leges & edicta, aduerſus Catholicos ijs in locis vbi rerum liberè potiuntur, proclamata: vt quiſque ſibi ſuiſq; melius ab hac inaudita caueat conſulatq; tyrãnide, cogiterque non habituram finem, quin ad hunc modum pro voto ſibi omnia tãdem ſubijciat. In Scotia certè primatum obtinẽt miniſtri, qui miſerum Regem ſuis conſtrictum tenent vnguibus. In Anglia verò vbi maximè Caluiniſmus dominatur, diuerſis temporibus variæ ſunt à Reginæ conſiliarijs promulgatæ leges; quarum pleræque vt crimina læſæ maieſtatis acriter vindicantur: adeò vt qui huius ſunt inſimilati, trahæ adligati vimineæ, ad patibulum pertrahantur; in quo aliquandiu ſuſpenſi & necdum plenè ſtrãgulati, mox rupto fune genitalibus truncantur, inde verò diſſecto ventre, ac corde in ignem proiecto, corpus ipſum in varias diſſecatur partes; quarum vt nõnullæ portarum faſtigijs affiguntur, ſic caput conto impoſitum alijs diræ crudelitatis metum incutit. Alijs verò trãſgreſſoribus mitior imponitur pœna, vt nõ niſi bonis tantum mul- *CAP. XV.*

Digitized by Google

ctentur. vtriuſque autem hîc nonnulla ex varijs extracta edictis exempla, lectoris oculis obijciam.

PRIMAE CLASSIS LAESAE *maieſtatis crimina.*

1. QVicunque dixerit, ſcripſerit, affirmauerit, vel vllo modo etiam per cifras ſignificauerit, vel etiam rogatus confeſſus fuerit, Pontificem Romanum eſſe caput Eccleſiæ Anglicanæ, vel vllam habere ibi in cauſis Eccleſiaſticis authoritatem, reus læſæ maieſtatis exiſtimabitur, & eadem prorſus pęna plectetur, qua Reipub. proditores plecti ſolent.

2. Similiter qui ad Pontificem Romanum vlla de cauſſa appellauerit.

3. Qui Bullas ab eodem conſequitur.

4. Item qui orbiculos ſeu cæreos agni cœleſtis imagine inſignitos, nec non & roſaria, grana benedicta, medaleas, paruulas cruces aliaſque res minimas à Romano Pontifice ſacratas, ſeu, vt vocant, benedictas, in Angliam attulerit.

5. Cuicunque infrà Baronis dignitatem conſtituto, ter oblatum fuerit iuramentum, ſeu abiuratio contra Pontificis Romani authoritatem, & pro ſuprema poteſtate Reginæ in cauſis Eccleſiaſticis, & ſi ille tertiò iurare detrectet, eandem læſæ maieſtatis pœnam ſuſtinebit.

6. Item qui vllo modo dixerit, ſcripſerit, ſigni-

ſignificauerit, vel rogatus confeſſus fuerit, Reginam Angliæ hæreticam eſſe, aut ſchiſmaticam.

7. Si quis aliquem Eccleſiæ Romanæ vnitati & communioni reconciliauerit.

8. Quicunq; fuerit ab aliquo ſciens & volens ad eandem vnitatem & communionem reconciliatus.

9. Qui tantùm conſuluerit alicui, vt ad illam vnitatem & communionem redeat, etiamſi non procuret.

10. Si quis alicui perſuaſerit vt Pōtifici Romano in cauſis Eccleſiaſticis obediat.

11. Si quis ſibi ſinat perſuaderi, pontifici morem gerere.

12. Si quis procurauerit, vel conſilium dederit, vt alicui hoc perſuadeatur.

13. Si quis promiſerit (pro futuro tempo-pore) ſe obedientiam aliquam Romano Pontifici in cauſis Eccleſiaſticis præſtiturū.

4. Si Sacerdos aliquem ex Reginæ ſubditis abſoluerit.

5. Si quis habeat authoritatem abſoluendi, etiam ſi actu neminem abſoluat.

. Si quis ſciens ab altero abſoluatur, ſiue ſe petierit abſolutionem illam, ſiue non.

. Si quis conſilium dederit, vt aliquis abſoluatur, licet non procurauerit.

Si quis procurauerit vt aliquis abſoluar.

Si quis præ ſe ferat habere authoritatem ſoluendi, etiamſi non habeat.

20. Si quis diſſuaſerit alicui religionem illam, quæ nũc publicè in Anglia docetur, ea intentione vt ad obedientiam Romani Pontificis perducatur. Ex quibus certè crudeliſſimis edictis primò patet, Anglicanæ Reginæ maieſtatem citius lædi, quàm Omnipotentis Dei. Deinde neminem in Anglia ſacramentalis abſolutionis participem fieri poſſe, quin crimen læſæ maieſtatis incurrat: quippè cùm citra hãc nemini abſolutionis beneficium impertiri liceat, aut à quoquam ſuſcipere. Vnde quid hinc aliud conſequitur, quàm neminem poſſe aut cælo potiri, aut perpetuas gehennæ pœnas euadere, niſi & læſæ maieſtatis reum ſe pariter conſtituat?

MVLCTAE PECVNIARIAE, AVT carceris pœna.

1. QVicunque Caluiniſtarum intrare Eccleſias recuſauerit, ſi ætatem annorum ſedecim exceſſerit, ſoluet quolibet menſe libras Anglicas viginti, hoc eſt aureos 66. qui autem ſoluendo non eſt, carceribus omninò detineatur, donec ſoluendi facultatem habeat.

2. Qui cõuictus fuerit audiuiſſe Miſſæ ſacrificium, etſi id ſecretò factum fuerit, patietur carceres per integrum annum, & tam diu poſtea quo vſque perſoluat aureos 211.

3. Sacerdos verò qui ſacris operatus fuerit,

rit, non egredietur carcere, niſi poſt expletum annum ſolutis inſuper aureis 422. idque toties, quoties fuerit in hoc genere ab eo peccatum.

4. Qui negauerit Reginam eſſe ſupremum caput Eccleſiæ Anglicanæ in cauſis Eccleſiaſticis, plectetur pœna amiſſionis bonorum omnium perpetuæque incarcerationis.

5. Eandem omninò ſuſtinebit quicunque Agnos Dei, roſaria, grana benedicta, aut aliam rem quamcunque benedictam à Summo Pontifice in Angliam adduxerit, aut adductam acceperit retinueritque.

6. Si quis pædagogum domi retinuerit ad inſtruendos pueros, qui Caluiniſtarum Eccleſias non frequentet, aut ab Epiſcopo Caluiniano approbatus non fuerit, perdet ob eam cauſam aureos 33. idque menſibus ſingulis, quouſque illum domo eiecerit.

7. Si quis ſciat aliquem qui alterum reconciliauerit vnitati & communioni Eccleſiæ Romanæ; & ſi hunc reconciliatorem, aut illum alterum reconciliatum, quouis modo iuuerit, aut celauerit, ita vt infrà ſpacium viginti dierum proximè ſequentium, magiſtratui publico vtrumque non prodiderit, amittet omnia bona ſua tam mobilia quàm immobilia, omneſque poſſeſſiones dum viuit, & de corpore ſuo ſtatuetur ad arbitrium Reginæ.

8. Qui nouerit aliquem procuraſſe alte-

Digitized by Google

rius reconciliationem ad fidem Romanam, quamuis ipſe nec reconciliauerit, nec reconciliatus ſit: & ſi hunc procuratorem quouis modo iuuerit, aut celauerit, aut nō prodiderit magiſtratui, vt ſuprà: eiuſdem pęnæ condemnabitur.

9. Qui nouerit aliquem conſilium dediſſe alicui, vt reconcilietur Romanæ fidei, licet ipſe hoc omninò non procurauerit, & ſi hūc conſultorem quouis modo iuuerit, aut celauerit, aut non prodiderit, vt ſuprà, eidem pęnæ ſubiacebit.

10. Si quis ſciat aliquem perſuaſiſſe, procuraſſe, aut conſuluiſſe alicui, vt obediat Romano Pontifici in cauſis Eccleſiaſticis, etſi hunc tamen iuuerit, celauerit, aut non prodiderit, vt ſuprà: eâdem pœna plectetur.

11. Qui cognouerit aliquem permiſiſſe ſibi perſuaderi, vt obediat in Eccleſiaſticis Romano Pontifici, vel promiſiſſe (pro futuro tempore) quamcunque ei obedientiam: & ſi hunc quouis modo iuuerit, aut celauerit, aut infrà dies viginti non prodiderit, vt ſuprà, eandem pęnam amiſſionis bonorum, & poſſeſſionum omnium, perpetuæque incarcerationis ſuſtinebit.

12. Qui ſciuerit Sacerdotem aliquem abſolutionem alteri impertiſſe, & hunc iuuerit, aut celauerit, aut non ſatis tempe-

ſtiuè

ſtiuè prodiderit, vt ſuprà; ad eandem pœnam condemnabitur.

13. Si quis nouerit Sacerdotem habere authoritatem abſoluendi, quamuis eam non exercuerit, aut aliquem abſoluerit: & ſi hunc iuuerit, aut celauerit, aut non prodiderit, vt ſuprà: eidem pœnæ obnoxius erit.

14. Qui ſciuerit aliquem præ ſe ferre, habere authoritatem abſoluendi, etiam ſi reuera non habeat; & hunc iuuerit, aut celauerit, aut non prodiderit, vt ſuprà: eadem pœna inuoluetur.

15. Qui nouerit aliquem diſſuaſiſſe alteri religionem quæ nunc eſt publicè in Anglia (hoc eſt Caluiniſmum) ea intentione, vt eum trahat ad obediendum Pontifici, & Romanæ religioni: vel ſi ſciuerit aliquem procuraſſe, vel ſuaſiſſe, vt alteri ſic diſſuadeatur: & ſi hunc quouis modo iuuerit, celauerit, vel non prodiderit Magiſtratui infrà ſpacium 20. dierum, vt ſuprà: eandem pęnam ſuſtineat.

16. Omnis vir Eccleſiaſticus, qui non publicam fecerit Romanæ religionis deteſtationem, & authoritatem Pontificis Romani palàm non abiurauerit, amittet omnia beneficia, omnemque dignitatem quamcunque Eccleſiaſticam.

17. Si quis Catholicæ fidei cõuictus fuerit, nõ poterit ſine permiſſu Pręſidẽtis ꝓuinciæ,

iter capeſſere quod quinque excedat milliaria.

18. Quicunque Catholicum habuerit famulum, eumque poſt primam admonitioně non confeſtim à ſe dimiſerit, quolibet měſe centum numerabit florenos.

POENAE ILLORVM QVI CATHOlicæ non renuntiant religioni, neque Romanum deteſtantur Pontificem, cùm adhoc requiſiti fuerint.

1. OMnibus priuantur beneficijs ac dignitatibus.

2. In nullius Academiæ collegio locum ſortiri poterunt, aut promotionis gradum conſequi.

3. Magiſtratum publicum gerere nequeũt, aut vllum in Republica officium adminiſtrare.

4. Parentum bonis gaudere fas non habẽt, neque illis vt legitimi hæredes poſt obitum, ſuccedere.

5. Qui Baronibus dignitate inferiores ſunt in comitijs publicis, quæ parlamentum appellantur, omne ſuffragiorum ius amittunt.

CAP. XVI.

NOTANDVM verò 1. in his edictis non accipi menſem more communi, vt ſcilicet duodecim, annum conficiant; ſed ſecũdum lunæ curſum, vt quilibet, dies tantũ 28. reddat, ſicq; in anno vno tredecim occurrãt menſes, quibus pro ſuo arbitratu liberius excrucient Catholicos. 2. Non ſolum maritum

tum aſtringi vt pro ſe templum adeat, ſed etiam pro vxore, ſi detrectet. 3. Qui iſtius facultatis non eſt, vt quolibet menſe 66. perſoluat aureos, ratione abſentiæ, is non niſi tertia bonorum ſuorum parte potiri poteſt, vnde ſe ſuoſque alat, cæteris duabus fiſco cedentibus. 4. Non prohiberi his edictis, ne quis alteri diſſuadeat aliam quampiam capeſſere religionē, ſed ſolummodò ne Catholicā amplexetur fidem, neve Romano pareat Pontifici. 5. Non ſolum hæc publicè eſſe proclamata, ac litterarum monumenits conſignata, verum etiam crudeliſſimæ executioni ſæpè numero demandata; vti conſtat ex eo quod & carceres in Anglia Catholicis referti ſint, & plurimi eorū ratione harū atrociſſimarū legū quaſi læſæ maieſtatis rei, ſupplicio ſint affecti, ac martyrio fortiter obito, è medio ſublati. Hinc etenim neci traditus eſt ante annos plus minus duodecim Dominus Ardenus, quod vxore ac ſene quodam Preſbytero præſente, in menſa hæc ſolummodò protuliſſet verba. *O vtinam Regina in cœlo fuiſſet.* Comes verò Arundelius anno circiter Domini 1589. ideo morti adiudicatus eſt, quod dixiſſet. *Orate pro fœlici ſucceſſu Catholici exercitus.* Inſuper & VValſinganus ſecretarius nonnullos clam ſubornauerat, qui Reginæ Scotiæ, carcerali cuſtodiæ tunc mācipatæ aliiſque nonnullis auctor eſſet, ſe ſe in libertatem reſtituēdi; quo poſtmodum liberi⁹ eos fugæ accuſatos, neci, quod & factū,

 trade-

traderet. Non enim illa ſolùm capitis periclitata eſt, ſed & tredecim alij vno eodemq́; die necis ſententiam excepêre.

CAP. XVII. NON abs re fuerit in Catholicorum conſiliariorũ cautelam hic percenſere exitum eorum, qui tum maximè rerum potiebantur, atque Anglicanæ Reginæ à conſilijs erant, cùm hæc tam dira edicta cuderentur. Inter hos enim primas facilè ſibi vendicat Robertus Dutleus, Leceſtriæ Comes: qui anno Domini 1588. domum Londino repetens (ſitum autem erat Caſtrum eius quod iſta tempeſtate incolebat milliario vno ab Oxonio) hunc in modum ab vxore exceptus eſt. Conſcia ſibi quidem erat, quod maritus alijs cum mulieribus rem haberet, atque ideo in eundẽ impegit ſcopulum, volẽs hac ratione par pari referre: vnde ne quid ipſi eueniret, quod primæ vxori, quam gradibus Leceſtrius deturbatam miſerè, ſpe nimirum Reginæ potiũdæ, enecauit, maluit præuenire quàm præueniri. Itaque armis inſtructa ſuis, bolum ei medicatum clam obtulit, quo & prima nocte interijt, eâdem nimirum in domo, vbi olim vxori necem intulerat. Verum cadauer ipſum capulo incluſum ad caſtrum Killingvvort, quod eſt Stapfordicæ prouinciæ, triginta inde Italicis milliaribus diſſito, octo robuſtiſſimis pertrahentibus equis, tranſportari cœptum eſt. Qui tamen vixdum viginti confectis, laſſi ſubſtitêre. Quorum in locum

Digitized by Google

octo ſubſtituti alij, magno conatu nihilo plus profecêre. Quo inopinato euentu perterritus auriga, quis, inquit, nouit quid curru vehatur meo, forſitan dæmon ipſe inſidet. Itaque patefacto capulo (vide rem miram) nihil in eo repertum eſt: Etenim vero eſt ſimile, dæmoné cui in vita inſigniter litauit Leceſtrius, corpus totum aſportaſſe. Vnde vacuum occludentes capulum quem in caſtro Killinchvvordt terræ mandarunt, nihil difficultatis experti ſunt amplius. Nouit enim omniſcius Deus, quid cum corpore ipſo factum. Atque hæc ex relatu cuiuſdam, qui id perceperat ex ijs qui præſentes interfuêre.

Interim verò etiam anno Domini 1596. Baro Houſdenius, vnus nimirum illorum qui Eliſabethæ eadẽ illa tempeſtate à conſilijs erant, Londini vitam infœliciter finijt. Nam paulo ante obitum vidit ſucceſſiuè appropinquantes ſibi ſex collegas ſuos: quorum primus Leceſtrius candente igne vndequaque erat pellucidus. Secũdus verò VValſinganus, cuius paulo ante meminimus, non minori relucebat flãma: Tertius aũt Pouckerinus Lordt, Supremus Angliæ Iudex, tã horrẽdo cum frigore apparuit, vt gelido ſuo cõtactu, ægrotantẽ quaſi enecaturus videretur. Quartus verò fuit Haddo, regni Cancellarius, Quintus, Thomas Henninghius Conſiliarius, Sextus Franciſcus Knouleſius, itidem conſiliarius: quorum tres poſtremi cõſimili ſplendore igneo conſpicui erant. Qui

vno

vno affatu Houſdenium conuenientes, cum vt ſeſe ad obitum pararet, monuère, breui enim futurum fore vt quorum in conſilijs collega aliquando exſtiterat, eorum perpetuo conſortio ſociaretur; vnde & Theſaurarium Guilielmum Cicilium, aiunt, commonefacito, vt & ipſe itineri ſeſe accingat, poſſeſſurus nimirum locum illum, qui iam iam aduentantem excipiet. Hæc moribundus Houſdenius omnibus quotquot eum adiêre, cum iuramento affirmauit ita ſeſe habere: Licet alij eum delirare dicerent. Quorum tamen temerariam ſuſpitionem tam illius quàm Cicilij repentina ſubſecuta mors aboleuit, ac rei verè geſtæ certiſſimum teſtimonium præbuit: non minus quàm quod cuidam nobili domicellæ de hac terribili viſione eum ſciſcitanti, reſpōdit, ſe veriſſimè hæc oculis conſpexiſſe ſuis, atque ab ijs damnationis quoque ſuæ certiorem eſſe redditum. Ad quod exterrita Siccine, inquit, omnis ſpes conſequendæ veniæ tibi præſciſa eſt, adeo vt nullis medijs inferni queas tormenta euadere? Ad quod ille: nulla certe re mihi opitulari quiſquam poterit, niſi fortè copiam Sacerdotis, qui antiquæ ſit virtutis ac fidei, ad manum habuero. Verum inter hæc miſeram efflauit animam. Nam ob edictorum à ſe ſocijſque ſuis haud longè ante prómulgatorum tyrannidem nullo iſtis in locis Sacerdote potiri potuit: quippè quibus
ſub

ſub graui pœna interdictum, ne confitenti quidem aures præbere, multo verò minus abſolutionis beneficium impertiri. Itaque ſuis ipſe constrictus legibus, malè interijt; exemplo nimirum Perilli necnon & Phalaridis Siciliæ crudeliſſimi tyranni; quorum primus cùm Agrigenti æneum eſſet fabricatus taurum, in quem viui immiſſi homines, ſubditis flammis exurerentur, ipſe primus excogitati à ſe tormenti pœnis, è medio eſt ſublatus; alter verò cum ſimili cruciatu multos è ſubditis enecaſſet, tandem etiam à ſuis ciuibus, in eundem taurum eſt coniectus. Ridebunt quidem noſtræ ætatis hæretici rem iam à nobis bona fide commemoratam, vti ſolent cæteras id genus apparitiones: obijcientes damnatis non permitti ex inferno egredi: quorum tamen inſcitiam meritò quis redarguat: quippè cùm & dæmones, & damnatorum animæ quocunque locorum degant, ſemper ſuos ſecum cruciatus ac meritas inferni pœnas circumferant, non minus quàm Angeli ipſi, ac beatorum ſpiritus, qui ſiue in cœlis agant, ſiue noſtri opitulandi gratia in terram deſcendant, nunquam non, vt rectè diuus adſerit Gregorius, æternæ fœlicitatis gloria perfruuntur. Neque mirari quis magnoperè debet, damnatos alijs nonnunquam apparere, cùm hac de re plurima litterarum monumentis extent conſignata exempla; è quibus hoc *Libr. 4. Dialog.*

notatu

In vita S. Wulfranni apud Suriũ. Tom. 2. 20. Martij.

notatu dignum, quod Radbodus Friſiæ princeps anno Domini 719. à Beato VVillebrordo, teſte Iona Monacho Fontanallenſi, qui hæc iſtis ferè temporibus ad Abbatem Baininonenſem perſcripſit, poſt obitum ignitis viſus ſit circumdatus cathenis.

Facilè autem hinc colligunt iniquarum legum promulgatores, æquitatis vindicem Deum nullum crudelitatis facinus impunitum ſinere: quicquid enim hîc condigna nõ expiauerit pœna, id eo poſtmodum ſeuerius expiabit. Cùm enim ſit, vt propheta regius proteſtatur, Deus vltionum Dominus, immittet iudicium ſine miſericordia illis qui non faciunt miſericordiam.

Pſal. 93. Iacob. 2.

CAP. XVIII.

TANDEM ſic concludis. *Ex quo manifeſtum euadit, quemlibet Chriſti fidelem Pontificios miſſos facere debere, illiqúe adhærere conſiſtorio, in quo vera & inuiolata Prophetarum & Apoſtolorum doctrina traditur, docetur, explicatur.* Vſque modo nullam vel cauſſam vel rationem vidi aut legi, ob quam Catholicam Romanam Eccleſiam miſſam facere oporteret, in qua plurima reperio bona, nihil autem quod vero Dei Euangelio repugnet: immò in qua Lutherus tuus fatetur omne eſſe bonum. Obſecro te igitur vt vel vnam ſaltem Scripturæ proferas ſententiam à nobis vitiatam, vt & ego ad animæ meæ ſalutem reſipiſcam. Quo peracto, cupio præterea vt ſufficientibus

Epiſt. ad duos Paſtores, contra Anabaptiſtas.

ratio-

rationibus ac conſilijs me inſtruas, dirigaſque ad illud conſiſtorium, in quo vera & inuiolata Prophetarum & Apoſtolorum doctrina conſeruatur & explicatur. Illud idem & in Propoſitione mea petieram, ad quod tamen tu ne gry quidem adhuc hactenus. Video vos in varias diuiſos eſſe ſectas, vti ſuperius demonſtraui, adeò vt vna ab altera diſſentiat: vnde euidens ac certiſſimum flagito indicium, quo ſecurus eſſe queam, quæ nam harum ſit præſtantior. Aduerto inſuper omnes veſtras ſectas recentes eſſe, omnes æquè Euangelium ac verbum Dei crepantes, omnes reformatos ſeſe appellantes: quorum quilibet alteri ſeſe præfert, adeò vt ſeſe mutuo erroris condemnent. Si itaque hanc antiquam meam fidem, in qua natus & educatus ſum, deſerere neceſſariò oporteat; edoceas quæſo ad quos me recipere debeam. Sed eheu, hoc opus hoc labor eſt.

QVARTA CATHOLICORVM PROPOSITIO.

Nec probari poterit, in Sancta Eccleſia vllo vnquam tempore admiſſos fuiſſe Sacerdotes, qui prius ab Epiſcopis Catholicis non eſſent

eſſent ritè conſecrati. Vnde rectè inſertur, omnes Martiniſtarum, Caluiniſtarum, aliarumq́ Sectarum Miniſtros, iuxta antiquam Eccleſiæ conſuetudinem non initiatos, à re & nomine diuini Sacerdotij prorſus alienos eſſe; eoſque in ſua, quam dicunt Cœna, nihil aliud adminiſtrare, quàm meram panis partem: proindè nec habere poteſtatē à peccatis abſoluendi, ſed in ijſdem peccatorum ſordibus populum à ſe dimittere, cùm quibus acceſſerit.

CAP. I. VIDETVR hic noſter *Quidam*, è Prædicutijs eſſe vnus: aduertens enim ſuum prædicandi munus, per hanc Propoſitionem legitima Chriſti deſtitui authoritate, pro viribus adlaborat, (immò & cum cholera verbiſque procacibus ac contumelioſis) vt illud propugnet, defendatque *aduerſus omnes Sacerdotes, Epiſcopos, Pontifices, Cardinales, quos omnes non obſtante eorum initiatione ac ſucceſſione* (quam præſumptuoſam appellat) *mercenarios ac irreptitios cenſet, qui per verum oſtium in ouile non introierint.* Multo feciſſes prudentius, amice mi, ad tuam oſtentandam eruditionem, ſi meæ Propoſitioni directè reſpondiſſes, adducendo nimirum vel vnum ſaltem Sacerdotem, ex

tam

tam infinita multitudine, qui aliter Sacerdotale munus quàm per Epiſcoporum conſecrationem ſit adeptus; vel qui eo modo illud ſibi arrogauerit vſurpaueritve, ſicuti veſtri Miniſtri quotidiè faciunt. Pleriſque enim in locis (ſicuti Torpati in Liuonia) qui prædicationis ambiunt officium, coram ciuili comparentes magiſtratu, flexo in terram poplite, à quolibet Senatore flatu oris initiantur, idque hiſce duntaxat verbis: *accipe Spiritum Sanctum*. Verum cum initiandorum multitudo huic cæremoniarum ritui obſtaculum adferret, contenti fuêre vt vnum è primarijs, quem Superintendentem nominant, hoc tam efficaci flatu afflarent; donantes eidem poteſtatem cæteros gregarios prædicutios eodem flatus genere initiandi. Alijs verò in locis, candidatum poſt meridiem in templum deducebant, ibique manibus capiti impoſitis ori immittebant ſal, quod hauſtu vini ingurgitaret: deinde aquam qua baptizaret porrigebant; tandem verò librum, è quo hæc concinebat verba: *Vide bellũ Liuonicum, à D. Tilmanno Bredenbachio latinitate donatum.*

Bewar vnß/Herr/ bey deinem wort/ ꝛc.
Conſerua nos, Deus, penes verbũ tuum, &c.

Alibi autem ſolo mandato Satrapæ, aut Conſulis, vel illius qui ius dicit, ſine vllis alijs cæremonijs initiantur Prædicantes, Miniſtri, Diaconi, Superintendentes, hiſce tantùm prolatis verbis: *Eſto Miniſter, aut Concio-* *Vide Naſum Cẽt. 1. Veritat. 67.*

 nator

nater noſter, &c. admittentes ſeu reijcientes quēlibet pro Satrapæ, vel Iudicis arbitratu: adeo vt qui hodiè laicus, cras ſit Eccleſiaſticus, & vice verſa. Obſecro te, profer ex omni Eccleſiaſtica antiquitate, aut Apoſtolica authoritate ſimile quid; niſi quod Tertullianus qui circa annum Domini vixit, de ſui temporis hæreticis id affirmet: *inter quos* (vt eius vtar verbis) *alius hodiè Epiſcopus, cras alius: hodiè Diaconus, qui cras Lector, hodiè Presbyter, qui cras laicus: nam & laicis ſacerdotalia munera iniungunt.* Quod vobis cum priſcis illis hæreticis commune eſt, non autem Catholicis: qui nullum vnquam pro Sacerdote admittūt, quem Epiſcopalis ordinatio non initiauit. Quod cùm ita ſit, ſequitur veſtros Miniſtros, Prædicutios, ac Superintendentes, quemcunque etiam ſibi titulum vſurpent, nō eſſe niſi puros ac ſimplices laicos, carentes omni legitima ſacrarum rerum adminiſtrandarum poteſtate ac facultate. Neminem autem nominatim è noſtris volēs producere, ſic opponis.

Lib. de Præſcript. aduerſus hæret. cap. 41.

ANTITHESIS AD QVARTAM CATHOLICORVM PROPOSITIONEM.

Demonſtrari non poteſt, quod in primitiua Apoſtolica Eccleſia fuerint conſecrati

ſecrati ac mitrati Epiſcopi , Cardinales, aut Pontifices. Neq; iſtius æui Eccleſiaſtici Doctores taliter, aut à talibus Epiſcopis, vti nunc in Papatu vſitatum, conſecrati ſunt.

CAP. II.

QVINAM, obſecro te, tam es mendacij amãs, mi amice? Sed excuſanda eſt ex parte inſcitia tua, qua fit, vt tam inepte ad ſingulas reſpondeas Propoſitiones: nõ enim idiotas qui rerum ignari ſunt, quidlibet pudet audacter effutire. Dicis in primis, *quod in Apoſtolica Eccleſia nulli conſecrati fuerint Epiſcopi:* cùm Paulus Timotheum ſacris initiauerit, ijſdem nimirum cæremonijs, quibus etiãnum Catholica vtitur Eccleſia, hoc eſt manuum impoſitione: *Admoneo te,* inquit, *vt reſuſcites gratiam* DEI, *quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum.* Quin immo Paulus ipſe vna cum Barnaba, vti Actuum Apoſtolicorum liber commemorat, eodem ritu ſacris initiatus eſt. Dionyſius verò Areopagita à B. Paulo Athenis ad fidem Chriſti conuerſus, horum ſacrorum rituum, de conſecrandis ſcilicet Epiſcopis, Presbyteris, ac Diaconibus, ad lõgum meminit; dicens Epiſcopum ordinãdorum capitibus manus imponere. Idem licet apud Clementẽ legere, Petri nimirũ in Apoſtolica cathedra ſucceſſorẽ, libro Apoſtolicarũ Conſtitutionũ octauo, capitulis varijs.

2. Tim. 1.

Actor. 13.

Actor. 17.

Libro de Eccleſiaſtica Hierarc. c. 5.

Et quidem hic Pontifex vixit temporibus S. Petri, quem & Paulus Philippēſibus ſcribēs, ſuum Coadiutorē nominat. In Cōcilio quarto Carthaginenſi, cui B. Auguſtinus cum 214. Epiſcopis an. 398. interfuit, eædē cæremoniæ quib. in cōſecratione Epiſcoporū, Sacerdotū, Diaconorum, Subdiaconorum, aliorumq́; Eccleſiæ miniſtrorum, ex Apoſtolica traditione vtitur Eccleſia, accuratè recenſentur. Idem adſerunt omnes quotquot primis ſex vel ſeptem ſeculis vixerunt Eccleſiæ Doctores, nemine penitus repugnante: hinc enim eſt, quod ne vnum quidem ex ijs nominare queas contrarium ſentientem.

Philip. cap. 4. verſ. 3.

CAP. III.

In Breuiculo collat. die 3. cap. 16.

Cardinalium antiquitas.

QVOD verò ad Romanos attinet Pontifices, illi vt B. refert Auguſtinus, pro antiqua recepta conſuetudine, quæ etiamnum viget, ab Oſtienſi ſolent conſecrari Epiſcopo. Cardinales ab antiquis exſtitêre temporibus, Pontifici nimirum à conſilijs, cui ſua pręſentia ac iuuamine opem ferunt, nec non & vniuerſæ Eccleſiæ: quorum etſi Scriptura nominatim non meminerit, illorum tamē nomen iuxta ac officium in Sāctorum Patrum, qui primis ſexcentis aut ſeptingentis annis vixerunt, ſcriptis exprimitur. In Concilio Romano ſub B. Sylueſtro anno 324. à ducētis ſeptuaginta duobus Epiſcopis celebrato, ſæpius Cardinaliū nomen iteratur: ſicuti & in Epiſtolis decretalibus B. Gregorij Papæ, infra primos ſexcentos annos editis. Quorum quidē officium in veteri inſtrumento ſatis ſuper-

ſuperq; demonſtratur, in quo ſummo Sacerdoti adiunguntur etiā alij Sacerdotes ac Leuitæ, veluti conſiliarij ac cooperarij. B. Ignatius diſcipulus S. Ioannis Euangeliſtæ ſæpius meminit, Collegiū Sacerdotū Epiſcopo præſtò fuiſſe. Immò ipſa ratio dictat, vt Summus Magiſtratus certos quoſdam penes ſe habeat rerum expertiſſimos viros, quorū cōſilio & auxilio inſtruatur iuueturque. Fateor quidem non ſemper Cardinalibus purpureum in vſu fuiſſe habitum (quippe quem non niſi anno 1245. ſub Iulio 4. in Generali Lugdunenſi Synodo cōſecuti ſunt, vt coloris huius intuitu recordarentur ſui eſſe muneris, ex ardenti amore Eccleſiæ præeſſe, eamque proprio ſi eſſet opus purpureo ſanguine condecorare; exemplo nimirum B. Laurentij Archidiaconi, aliorumque innumerabiliū Romanæ Eccleſiæ clericorum) verum veſtes officium non mutant; cuius officij meminit D. Bernardus, qui integro ſeculo ante præfatam Synodum in viuis fuit.

Deut. 17.
Epiſt. 2. 3. 6. 7. 9. 11.
Lib. 4. de Conſid. c. 6. Et Epiſt 188. ad Cardinales curiæ.

CAP. IV.

SECVNDO, non ſine cachinno blateras, *in primitiua Apoſtolica Eccleſia nō fuiſſe mitratos Epiſcopos.* Et quid quæſo in mitra eſt mali? Scimus quod mitra Epiſcopum nō faciat, ſed pro officij dignitate exornet. Nunquid in veteri teſtamento varijs in locis vides, Summos Sacerdotes inſigni veſtimētorū ornatu, ſimul ac mitrâ cōdecoratos fuiſſe? Quid? an non & Ethnicis Pōtificibus, teſte *a* Prudētio, *b* Philoſtrato, & *c* Luciano, frequentiſſimus

Exod. 39. verſ. 28.
Leuit. 8. verſ. 13.
a De S. Romano Martyre.

b *In vita Apollonij Tianai.*

c *In Dea Syria.*

fuit mitræ vſus? Si ergo Iudæi ac Gētiles ſuæ relig ōis Antiſtites tali affecēre honore, cur nobis idē nō liceat? Deſigna vel vnum locū, vbi id Scriptura prohibeat. Neq; enim omnia quæ à Iudæis aut Gētilibus olim factitata ſunt, vetita illicitaq; cēſentur, ſed ne eodem ritu vel intentione fiant, inhibetur. Itaq; litterarū monumētis cōſignatū ſcimus, nō ſolū Epiſcopos priſcæ ętatis mitris fuiſſe exornatos, ſed & ipſos Chriſti Apoſtolos.

Apolog. 3.

Nazianzenus nāque de ſe ipſo teſtatur, quod cū in Epiſcopum cōſecratus vngeretur, lōga veſte indutus ſit, capiti mitra ſuperimpoſita. Refert Ammianus Marcellinus gētilis ſcriptor, quod Mazazelius Africæ Tyrannus, anno Domini 382. Theodoſio Catholico Imperatori, quē hac ratione placare cupiebat, oēs Chriſtianorū Epiſcoporū mitras, quas ipſis ademerat, remiſerit. Quod euidens teſtimonium eſt, tunc temporis Catholicæ Eccleſiæ Antiſtites pretioſas habuiſſe mitras, quarum cupiditate Principes ac Ethnicorum tyranni capti fuerint. Teſtis inſuper eſt Ennodius Ticinenſis Epiſcopus, qui circa annum Domini quingēteſimum quadrageſimū ſcriptis claruit, Beatum Ambroſium Mediolanēſem Archiepiſcopum (vixit autem hic anno 380.) mitram geſtaſſe pretioſis gemmis ac margaritis coruſcantem. Idem quoq; Ennodius cōſolando ducentos viginti Epiſcopos, qui à VVandalis ex Africa in Sardiniam erant relegati, inter cætera ſcribit, ne hanc

In Epigram. de eodem.

ob

ob cauſſam contriſtentur, quod ſuis ab hæreticis ſint ſpoliati mitris, deſignans vſum mitræ Epiſcopalis. Quid hîc referam *a* Fulgentium Africanum Epiſcopum qui & ipſe ſua expulſus ſede, ad præfatos ſeſe in Sardiniam cõtulit, an. Domini 504. ſumpto ſecũ corpore D. Auguſtini, eiuſq; mitra ac pedo Pontifical? An non *b* & Hincmarus Archiepiſcopus Rhemẽſis literis prodidit, Ludouuicum Frãciæ Regẽ circa annũ Domini 515. ſuggerẽte B. Remigio Hormiſdæ Põtifici coronã aureã miſiſſe varijs diſtinctã gemmis, Regnum appellari ſolitam, qua etiamnum Romanæ Sedis vtuntur Antiſtites? Quid hîc plura commemorem? Teſtatur *c* B. Epiphanius S. Iacobum Minorẽ Hieroſolymorũ Epiſcopũ, caput aurea cinxiſſe lamina, in ſimilitudinẽ Epiſcopalis mitræ. Quod & B. Ioanni Apoſtolo, iuxta & Euangeliſtę vſitatum fuiſſe teſtis eſt *d* Euſebius Cæſareẽſis, nec non & D. *e* Hieronymus, qui id ex vetuſtiſſimo Doctore Polycrate Epheſiorũ Epiſcopo, qui circa annũ Domini 180. in Aſia floruit, hauſerãt. Harum aũt mitrarum ſignificationẽ myſticam, explicat Epiphanius; dicens per has Sacerdotalem ac Regiã authoritatẽ deſignari. Cũ enim CHRISTVS ſummus Sacerdos & Rex ſit, volẽs Vicarios ſuos, id eſt Epiſcopos eodem inſigniri honore, mitras eis adſignauit, quibus adinſtar regiæ coronæ caput exornarent. Non enim dignitate aut poteſtate plebeios homines vulgareſque Sacerdotes

a *Oldradus Epiſcopus Mediolan. Epiſt. ad Carolũ Magnũ.*

b *In vita S. Remig. quæ extat. 1. Tomo Surij. 13. Ianuarij.*

c *Hæreſ. 29. & 78.*

d *Lib 5. Hiſtor. Eccl. cap. 23.*

e *De viris illuſtribus, in Polycrate.*

antecedunt,ſed & Reges ipſos Principeſque: cùm ſint Chriſtiani ouilis capita. Neque hæc mea eſt ſententia, ſed potius antiquiſſimorū
f *Epiſt. 6. & 7.* Patrum, & maximè B. *f* Ignatij diſcipuli S. Ioannis Euangeliſtæ; nec non & B. *g* Clemē-
g *Libr 2. Conſtit. Apoſtol. cap. 11.* tis, Petri Apoſtoli diſcipuli, cui & Diuus *h* Nazianzenus, alijque plurimi ſuffragantes adſtipulantur.

h *Orat. ad Imperat.*

CAP. V.

TERTIO obijcis, *iſtius aui Eccleſiaſticos Doctores, taliter, aut à talibus Epiſcopis, vti nunc in Papatu vſitatū, non fuiſſe conſecratos.* Quos verò vocas Eccleſiaſticos Doctores? an non Epiſcopos, Presbyteros, ac diuini verbi Concionatores? His enim omnibus munus docendi incumbit, quos, teſte Apo-
Epheſ. 4. verſ. 12. ſtolo, Chriſtus Eccleſiæ ſuæ dedit *in opus miniſterij ad conſummationem Sanctorum*, hoc
1. Cor. 12. eſt vſque ad conſummationem ſeculi, quãdo electorum numerus perfectus erit. Vnde & hodierno tēpore Eccleſia ſuos habet Paſtores & Doctores, nēpe Epiſcopos & Presby-
Epiſt. 2. teros. Qui quidem Epiſcopi, vti B. Anacletus ante annos mille & trecentos tradidit, & cæteri poſt illum, Apoſtolorum ſunt ſucceſſores, ac Vicarij: Presbyteri vero, ſeptuaginta duorum diſcipulorum ſortiuntur locum: quibus animarum cura demandatur vti Paſtoribus. Præter quos, Eccleſia etiam Doctores habet, qui vel in ſcholis publicè docendo, vel libros conſcribendo eam ædificant exornantque; quales olim fuēre apud Alexādrinos Pantenus, Clemens, Origenes,

Hera-

Digitized by Google

Heraclas, Dionyſius; & alibi alij. Horum loco hac ætate ſunt, quos Doctores Theologiæ dicimus, publicum eruditionis ſuæ teſtimonium in approbata aliqua Catholica Vniuerſitate conſecuti. Sunt & diuini Verbi præcones, qui ſuis concionibus Epiſcopis nonnunquam ſuppetias ferunt. Quemadmodum de *a* B. Auguſtino ſcriptum legimus, qui necdum deſignatus Epiſcopus, Valerij Hipponenſis ſuppleuit prædicando officium; & Vincentius Cæſarauguſtani Epiſcopi, qui & ipſe Valerius dictus fuit. Quin & Chryſoſtomus Flauiani Antiocheni vices aliquamdiu ſuſtinuit, & Baſilius Magnus, Euſebij apud Cęſarienſes; Felix Nolanus, Maximiani in Campania. Tales quoque doctores in primitiua Eccleſia fuêre B. Stephanus Prothomartyr, Hieroſolymæ ſcilicet, & Laurentius Romæ. Et hi quidem nulla alia erant initiati ordinatione, quàm Sacerdotij, per impoſitionem manuum Epiſcopalium, vti ſuperius ex Dionyſio Areopagita, Clemente Romano, & quarto Carthaginenſi Concilio demonſtrauimus. Quotquot enim Eccleſiæ miniſtri ſunt (vt rectè ſcribit Antiochus S. Sabæ in Syria Abbas) ab Epiſcopo rite ordinari debét. Quam ordinationem pro Sacramento agnoſcunt primitiuæ Eccleſiæ Patres, qui primo ſexennio ſcriptis claruerunt: nempè *a* Tertullianus *b* Auguſtinus, *c* Leo, *d* Anaſtaſius, *e* Gregorius, prout in vltima Concluſione enucleatius ſum

a *Poſſidius in vita B. Auguſti, c. 3. & 8.*

Actor. 6. & 7.

Ser. 122.

a *Libr. de Praſcrip. cap. 40.*

b *Libr. 2. de Bapt. c. 1. & li. 2. cont. Par. c. 13.*

c *Epiſt. 87. & 88.*

d *Epi. ad Imper. c. 7. & 8.*

e *Libr. 4. in Re. c. 6*

Digitized by Google

demonſtraturus. Ad munus autem Doctoris, Paſtoris, aut Concionatoris, nihil aliud requiritur, quàm legitimo Magiſtratu Eccleſiaſtico approbata ac ratificata. *Quomodo enim prædicabunt* (inquit Paulus Romanorũ decimo) *niſi mittantur?* Vos miſeri Lutherani in pauperculis Synagogis veſtris, nec Epiſcopos habetis, nec Sacerdotes, nec vllos legitimos aut ſacris initiatos Concionatores: Nullus enim in veſtris reperitur caulis, qui ordinariam ſucceſſionẽ ad Chriſti referre queat Apoſtolos. Itaq; nullo vobis opus eſt vel Sacramento, vel ſacerdotali initiatione: quorum loco ſatis habetis, ſi quiſque ſe ipſum præſumptuosè ingerat, aut à ciuili Magiſtratu inſtituatur.

CONCLVSIO ANTAGONISTAE.

Sequitur ergo, Papalem Epiſcoporum ac Presbyterorum conſecrationem, nouum atque humanum eſſe commentum, haud quaquam ſufficiens ad certam comprobandum vocationem: è contra omnes verbi Dei miniſtros, qui ſecundùm veterem Apoſtolicæ Eccleſiæ ritum vocantur, & conſcientiæ puritatem in ſincera doctri-

doctrina, iuxta Dei verbum probè conuerſantur, veriſſimos eſſe Prædicantes & Epiſcopos; plenam habentes poteſtatem hominibus ea impartiendi, quæ ad humani generis inſtructionem & conſolationem, ipſis à Deo traduntur. Cùm interim manifeſtum ſit, Papam cum omnibus ſuis Epiſcopis & Sacerdotibus, nihil obſtante ipſorum ordinatione, & præſumptæ ſucceſſionis allegatione, veros eſſe mercenarios: propterea quod per veram ianuam, nempe IESVM Christum non intrent in ouile, ſed aliunde irrepant, ad diſpergendum oues, miſeraſque animas enecandum.

PROLIXA, rudis, & communis hæc eſt Concluſio, non à vobis tantũ Lutheranis, ſed etiam ab antiquis hæreticis contra Romanam Eccleſiã, aliaſq; ſibi cõtrarias Synagogas, vſurpata. Hoc enim vſq; ad extremũ iudicij diem omnes factitarunt hæretici; nempè vt aduerſariorum doctrinã nouũ dicãt eſſe cõmentum, ipſoſq; mercenarios nominent, qui non per verum oſtiũ in ouile ingrediãtur, ſed vt animas mactẽt & perdant.

Et quis

Et quis idem de vobis non dicit? Inſipientis omninò eſt, multa adſerere, probare nihil. Nullam adhuc probationem tuarũ Antitheſum attuliſti, cùm omnes æquè falſæ ſint; licet in hac tua concluſione tria potiſſimum diſcutienda occurrãt. *Primò* enim dices. *Papalem Epiſcoporum ac Presbyterorum conſecrationem, nouum atque humanum eſſe commentum, haud quaquam ſufficiens ad certam comprobandum vocationem.* Superius demonſtraui, ſacrorum ordinandorum ritum, iam inde ab Apoſtolorum temporibus ad nos vſque deueniſſe. Vnde rogo te, vt vel vnum ſaltem Catholicum mihi nomines, qui hiſce mille quingentis annis alio ritu Epiſcopus aut Presbyter ſit effectus, vel qui vnius tecum eſt ſententiæ, vt hoc affirmare audeat: ſic enim victas tradam manus, tibique cedam. Paulus & Barnabas nõ alio modo Antiochiæ initiati ſunt, neq; Timotheus à Paulò: quin immò ipſe Dionyſius Areopagita, & Clemens Romanus, Apoſtolorum diſcipuli, hoc de ipſis referunt, quod nimirum tali modo, vti ſuprà deſcripſimus. Epiſcopos ac Presbyteros creare ac conſecrare ſint ſoliti, ne tu nobis aliam fortè Scripturarum interpretationem effingas. Illis nè ergo ſanctis Patribus, atq; oculatis teſtibus maior habenda erit fides, quàm tibi nouello; qui poſt ſeſquimille annos in mundum veniens, nihil noſti aliud, quàm quod ante pedes eſt, & quo vſque tuus ſeſe extendit naſus?

Act. 13. *1. Tim.* 4. *2. Tim.* 1. *Eccleſi. Hierarc.* *cap.* 3. *Libr.* 8. *Apoſtol. Conſtit.*

ſus? Adſeris *Catholicorum conſecrationem haudquaquam eſſe ſufficientem ad certã comprobandum vocationem.* Hoc ipſo videris mihi defendere Lutheranorum viuẽdi morem, qui in nulla vocatiõe certi, ſuæ ſeſe accõmodant vtilitati, ac foro parẽt, hodie laici, cras Prædicutij, perendiè milites ſeu prædones; atque inde rurſus Prędicutij ac Miniſtri: hęc enim quotidiè in veſtris videmus conſiſtorijs. Miniſter in Auerhaim (Germaniæ pagus eſt) prophanis diebus rem chyrurgicam apud ſuos exercebat ruſticos; ſacris verò, cõciones è ſuggeſtu ante prandium habebat: ſed poſt meridiem ludionem agebat, fiſtulæ flatu ad choræas eos excitans: hoc namq́ue exercitij genere, victum ſibi ſuiſq́ue quæritabat. Petrus Dathenus Flander, Prædicatorij inſtituti excucullatus Monachus, cũ primas ageret Franckẽdaliæ in Palatinatu, eſſetq́; ibidem Superintendens, relicto concionandi munere, Meluinghæ in Pruſſia, iatraleptem & circulatorem ſeſe exhibuit; idq́ue hac ratione. Anno 1564. cùm adhuc Franckendaliæ in Palatinatu degeret, atque ex epidimiæ morbo conualuiſſet, cœpit alios eadem lue correptos inuiſere, eiſq́; mederi. Quod adeò ſtrenuè ac diligenter non apud viros ſolũ, verumetiam fęminas ac innuptas puellas (peſtis enim metu cæteri omnes profugerant) præſtitit, vt à maritis ac puellarum parentibus de fornicatione adulterioq́ue apud Iudices ſit delatus. Vnde

Naſus Centur. 2. verit. 80.

reli-

relicta ibidem coniuge ac liberis, fugam capeſſere debuit, quoaduſque in Arrianiſmo miſerè vitam finiret. Vbi nam tale quid in Scripturis reperies? vbi apud vllos rerum Eccleſiaſticarum ſcriptores, qui primis ſexcentis aut ſeptingentis ſeculis huiuſcemodi legiſti exempla, niſi fortè apud hæreticos, de quibus ſuprà Tertullianus? Eccleſiæ Catholicæ conſuetudo ſemper hæc fuit, quod ex laico poſſet quis fieri Sacerdos, ſed non è contra. Immò ne vnum quidem inuenies apud Græcos, Syros, Chaldæos, nedum apud Latinos, qui Epiſcopi aut Preſbyteri ordinati, vxores duxerint, aut ſacra prophanis commutauerint. Vobis Miniſtrorum officium tam eſt vile & contemptibile, vt in Germania vix aliud ſit genus hominum adeo miſerum ac exoſum, quàm Lutheranorum Miniſtri ac Prædicutij. Apud nobiles ſcelerati audiunt, quibus mancipiorum inſtar, ſuis ſeſe debent accommodare concionibus, ne in eorum incidant indignationem. Dantiſcani Miniſtri iuramento ſeſe Senatui publicè obſtringunt, nihil aliud pro concione ſe dicturos, præter quod ipſe Senatus iuſſerit. Memini ego, & vix quinquaginta anni ſunt, quod in ſolo Palatinatu, ſexies religio mutata ſit; nec paucioribus vicibus in Pruſſia. Neceſſariò itaque ipſorum Miniſtri, ni fame periclitari velint, linguam erudire de-

rè debent, vt ad quamuis parata ſit doctrinam. Cùm enim plerique illorum Monaſteriorum ſint deſertores, ac tractandæ mechanicæ rei imperiti, nihil aliud miſeri iſti ad manum habent, quo vxori ac liberis victum acquirant. Tum quoque cùm extra ſanctæ Eccleſiæ gremium oberrent, nihilque aliud quàm temporale conſectentur lucrum, perinde habent cum quibus inſaniant, modo cum emolumento id faciant.

Cùm anno milleſimo ſexcenteſimo Romam iter haberem, repperi in oppidulo Palatinatus *Kirpirch*, Lutheraniſmum in Caluiniſmum transformatum. Cuius loci concionator, cùm iam aliter è ſuggeſtu ſuos inſtrueret, grauiter eos offendit: qui vxorem concionatoris adeuntes, percunctati ſunt, quid hæc veſana mariti ſui ſibi vellet inconſtantia. Ad quod illa: *Dominus,* inquit, *meus ita ſeſe concionando accommodare debet, vt & mihi quoque vna cum liberis victum queat acquirere.* Si autem opulentus forte alibi Paſtoratus vacet, hunc nobiles, qui iſtius loci ſunt domini ſibi arripiũt, ac per ſe exercent: prætendentes nullum ſe idoneum poſſe inuenire Miniſtrum, qui iſti officio dignius poſſit præfici: ſicque & docent quod volunt, & redditibus Eccleſiaſticis pro libitu abutuntur.

Secundò dicis, *omnes verbi Dei miniſtros qui ſecũdum veterẽ Apoſtolicæ Eccleſiæ ri-* CAP.VII.

tum

tum vocantur, & conſcientiæ puritatem in ſin-cera doctrina iuxta Dei verbum probè conuer-ſantur, veriſsimos eſſe Prædicātes & Epiſcopos. Præclaram hîc reuera profers ſententiam, quam tamen vnius verbi adiectione deturpas. Certum namq; eſt, illos veros eſſe Prædicantes, qui tribus hiſce donati ſunt virtutibus; nempè vt *primò ſecundum veterem Apoſtolicæ Eccleſiæ ritum vocentur.* Per quod innuitur, legitimum Eccleſiaſticum Magiſtratum Apoſtolis ſuccedentem Prædicatores debere vocare, inſtituere, ac mittere. Sic etenim olim Paulus Timotheum ad Epheſios, Titum ad Cretenſes miſit: Beatus Petrus verò, Marcum Euangeliſtam Alexandrinis deſtinauit; Eucharium, Valerium, Maternum, Germanis; Gregorius Auguſtinum in Angliam cum alijs quibuſdam monaſterij ſui Monachis prædicationis cauſa miſit. Quin immò, hodierno tempore multi è Societate noſtra in Indiam, Braſiliam, Peru, Mexicum, Iaponiam, Chinam, aliaque regna, ad infidelium conuerſionem relegantur. Neque quiſquam Eccleſiaſticus præſumit in Chriſtianorum regnis, ſine Diocœſani, aut Romani Pontificis permiſſu ſuggeſtum conſcendere. Vnde ſi hoc modo veſtram poteſtis miſſionem demonſtrare, pro legitimè vocatis habebimini.

Veri concionatores ſunt, qui tres habent virtutes. Prima virtus.

Secundò, *vt ſinceram diuini verbi doctrinam prædicent.* Quo nihil Catholicis eſt priùs aut ſanctiùs: qui ſinceræ diuini verbi prædica-

Secunda virtus.

dicationi inſiſtentes, nihil quod ſcripturis ſit contrarium edocent. In omnibus enim doctrinam Sanctæ Matris Eccleſiæ, quæ hactenus ab annis mille quingentis verum Scripturarum ſenſum ab Apoſtolis ſibi relictum habet, conſectantur. Vos Lutherani, more Iudæorum textui ſolummodò inhærentes, eum veſtris phantaſticis explicationibus deprauatis, ſicque rudem populum miſerè decipitis.

Tertiò, *vt ſecundum ſinceram diuini verbi prædicationem etiam probè viuat*. Hoc præcipuè bonis conuenit prædicatoribus, vt nimirum parem verbis vitam agant: licet nihilominùs qui aliter viuit quàm docet, non deſinat eſſe concinator aut Superior. Multi enim in vltimo iudicij die dicent: *Domine Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus?* quibus reſpondebitur: *Quia nunquam noui vos, diſcedite à me*. Tales vti, proh dolor, multi apud nos Catholicos inueniuntur; ita non pauciores apud vos hæreticos. Verbum autem illud quo tuam deturpas ſententiam, eſt *Epiſcopus*: Haud quaquam enim cẽſendi aut nominandi ſunt Epiſcopi, qui ſinceram diuini verbi doctrinam prædicantes, ac probè viuentes, legitimè vocantur. An vnquam legiſti B. Stephanum prothomartyrem, qui inſignis diuini verbi præco fuit, atque inculpatæ vitæ, vocitatum fuiſſe Epiſcopũ? Confunditis ergo ſacrorum ordinum functio-

Tertia virtus.

Matth. 7.

Epiſcopi Apoſtolorum ſunt ſucceſſores.

nes ac miniſteria. Epiſcopi Apoſtolorum ſunt ſucceſſores, quorum eſt gregem dominicum paſcere, non ſolum concionibus, ſed (ſi opus eſt) etiã præceptis, ac rerũ ſpiritualium inſtitutionibus; quibus pręter hæc quoque, incumbit à grauioribus reſeruatis caſib⁹ ſubditos abſoluere, ac noxios punire. Lege primam Pauli ad Timotheum, & vide num Epiſcopo conueniat, iudicium in ſuos exercere, ac cauſas dijudicare: *Aduerſus Presbyterum*, inquit, *noli accuſationem recipere, niſi ſub duobus aut tribus teſtibus*. Competit ergò Epiſcopo iudicem, ac Chriſtiani populi Primatem ac Paſtorem agere. Optarem vt dignareris, vel ſemel tantùm percurrere B. Ignatij, qui Ioannis Apoſtoli fuit diſcipulus, epiſtolas; in quibus quid inter Epiſcopũ, reliquumq; clerum ſit diſcriminis, manifeſtè inuenies. Quin & vos ipſi, qui non niſi laici eſtis, differentiã tamen inter Superintendentes, ac alios vulgares Miniſtros ſeu Prædicutios, cõſtituitis. Habetis enim *Doctores*, habetis *Licentiatos*, *Magiſtos*, ac *Baccalaureos*: vnde verum eſſe nõ poteſt, vt oẽs quotquot ſecundùm veterem Apoſtolicæ Eccleſiæ ritum ad prædicandum Dei verbum ſunt vocati, Epiſcopos hoc eſt Superintendẽtes nominetis. Veſtræ caulæ primarius inſtitutor Lutherus, tanti fecit Doctoratũ ſuum, (quẽ tamẽ in Romana ſuſcepit Eccleſia) vt omnibus totius mundi Doctoribus ſeſe fuerit auſus anteponere: quanto minus vulgarem aliquem

1. Timot. 5.

Naſus Cent. 5. verit. 56.

quem

quem Prædicutium Doctoris aut Superintendentis titulo dignum æſtimaſſet?

TERTIÒ dicis, *omnes illos plenam habere poteſtatem hominibus ea impartiendi, quæ ad humani generis inſtructionem & conſolationem à Deo ipſis ſunt tradita*. Prædicantes plenam habere poteſtatem, faciendi ea quæ à Deo ipſis ſunt præſcripta, veriſſimum eſt: neque de ijs tantùm hoc debet intelligi, verum etiam de omnibus ac ſingulis hominibus, quibus poteſtatem largitus eſt DEVS, vt quæ præcepit, impleant: licet tam vos Lutherani quàm Caluiniſtæ, conſtanter id pernegetis. Sed videmini aliud quid prætendere, quod eloqui verecundiæ cauſa non audetis. Ego in Propoſitione mea aſſerui, nullam vobis laicis eſſe poteſtatem remittendi hominibus peccata, more Presbyterorum noſtrorum: qui ſacris initiati, hanc à CHRISTO authoritatem ordinationis tempore accepêre: atque ideo conſequenter intuli, in cœna veſtra nihil præter merum panis fruſtum conſpici, ac diſtribui. Hoc ita eſſe, rectè mihi fateri videris, qui ex hæreſis veſtræ decreto (cui tamen expreſſum Dei verbum, atq; antiquorũ Patrum doctrina repugnat) affirmatis per homines peccata dimitti nõ poſſe, ſed per fidẽ, quæ ꝑ verbũ Dei à cõcionatoribus prolatũ excitatur. Vnde hac ratiõe vos Miniſtri ac Prędicãtes ad remiſſionẽ peccatorũ non plus pręſtatis, q̃ vel pſittac⁹, vel pica, vel coruus, q̃ certa

 quæ-

quædam edoctus verba, ea prout poteſt ſine iudicio ac intellectu profert. Ad quorum prolationem, poſſet fides in cordibus quoque audientium (quis enim neget perinde eſſe à quocunque Dei verbum audiatur, ſiue ab homine, ſiue à beſtia?) ſecũdùm veſtram ſententiam excitari. Neq; id inficiaris, quod in cœnis veſtris non niſi merum panis fruſtrum diſtribuatis: vnde Caluiniſtam agere videris, aſſentiẽdo nobis in eo quod ſummoperè deteſtamur. Dicis ergò, quod populo illa impartiaris quæ à Deo accepiſti Deus autem vobis qui laici eſtis, nullam vel peccata relaxandi, vel Sacramenta conficiendi poteſtatẽ dedit. Ergò rectè fateris quod fruſtum panis populo exhibeas, eumq; iiſdẽ defœdatũ peccatis à te remittas, quibus acceſſit. Aut edicito mihi, qua in re hominibus plus præſtetis commodi, quàm pſittacus, vel pica, vel coruus; qui verba Chriſti edoctus, ea vocaliter proferre nouit: vel ad minùs fœmina, quæ hac in parte tantum habet poteſtatis, quantum & vos.

CAP. IX.

QVARTÒ dicis, *manifeſtum eſſe Papam cum omnibus Epiſcopis & Sacerdotibus ſuis nihil obſtante ipſorum ordinatione, & præſumptæ ſucceßionis allegatione, veros eſſe mercenarios: propterea quod per verum oſtium, nempè* IESVM *Chriſtum non intrent in ouile, ſed aſcendant aliunde, ad diſpergendum oues, miſeraſq; animas enecandum*. Eheu, quàm nunc ineptè ſtultum agis. Nobilis quidam annis

mille

mille quingentis in pace poſſedit ditionem ſuam, qui etſi ab hoſtibus ſæpè querelis ſit impetitus, totius tamen Orbis iudicio in ſua permanſit ditione; tandem poſt mille quingentorum annorum decurſum, erumpit è tenebris anonymus quidam, ſine authoritate, ſine literis, ſine aliorum teſtimonijs; qui nobilem hunc furti arguit, quaſi tanto tempore ditionem hanc iniuſto titulo poſſederit. Quid quæſo vobis de hoc impudente homine videtur? nũquid dignum eum cenſetis, qui flagellis cæſus portis ignominioſè extrudatur? Sed accipe aliam ſimilitudinem. Vrbs Romana millenis aliquot annis toti orbi cognita fuit: quod ſi nunc in Hollandia quiſquam nouam ædificaret vrbem, eamq; Romam illam eſſe contenderet, in qua tot olim potentiſſimi Cæſares imperitarunt, totque Sanctiſſimi Pontifices conſederunt, taline fidem habendam putares? an potius eum pro inſano rideres, exploderesque. Et quid tu aliud, amice mi? Eccleſia Romana iam ab annis plus mille quingentis pro vera Chriſti ſponſa toti mũdo eſt habita & cognita. Et ecce iam tandem prodit fugitiuus quidã Monachus, Lutherus nomine, qui VVittēbergę, anno 1517. nouã incipiens erigere caulam, eam Catholicam audet nominare, conformem illi quã primis ſex ſeculis tot Doctiſſimi ſanctiſſimique Patres ſuis ſcriptis illuſtrarunt confirmaruntque. Quid de hoc tenebrione, ne

dicam morione vobis videtur? nunquid rem præſumit ſtolidiſſimam? Sed multo tamen ſtolidius eſt & impudentius, quod ſequitur. Cùm Lutherus multos haberet aſſeclas, videns Caluinus honorem & emolumentum ſibi inde prouenire, cœpit & ipſe Geneuæ nouam ędificare Synagogam, quam antiquam, veram, Romanam, tot annorum Centurijs celebrem nũcupauit, ac pro tali haberi voluit. Quorum veſtigijs alij non minus ſtolidi quàm temerarij inſiſtentes, conati ſunt & ipſi ſuos coadunare cœtus, proprias erigentes Eccleſias. Si hæc non eſt, quid obſecro inſania eſt? Pontifices Romani cum alijs Catholicis Epiſcopis legitimam mille quingentorum annorum poſſeſſionem occupantes, etſi nonnunquam à diuerſis hæreſum monſtris agitati atq; interpellati ſint, tamen toto decernente mundo, quietè hactenùs in ea conſederunt. Et tu è tenebris proſiliẽs, ſine nomine & cognomine, cupis eos vt illegitimos hæredes extrudere, *non obſtante*, vt inquis, *ipſorum ordinatione, & præſumptæ ſucceſſionis allegatione*? Et quomodo tu audes affirmare, eos præſumptę ſucceſſionis proferre allegationem, cùm ne vnum quidem ex tot Romanis Pontificibus nominare queas, qui aliter ſenſerit aut docuerit, quàm ſui prædeceſſores, aut ſub quo Romę fides variari cępta ſit? Studioſè res geſtas ac vitas ſingulorum Romanorum Pontificum, qui iam inde à B. Petro, primo Se-
dis

dis iſtius Antiſtite, vſque ad modernum Clementem VIII. qui eſt ducẽteſimus ac trigeſimus ſextus ſanctiſſimæ iſtius Cathedræ poſſeſſor, floruêre, peruolutaui: verum apud nullum Eccleſiaſticarum rerũ ſcriptorem, qui horum vitas ſcriptis conſignarunt, mentionem inuenire potui, quod Romanus aliquis Pontifex fidem immutaſſet, aut Cathedra illa legitimi hæredis caruiſſet ſucceſſore. Quando, vel quare, fidei naufragium fecerint aliarum Eccleſiarũ Patriarchæ, nẽpè Conſtantinopolitanus, Alexãdrinus, Antiochænus in hiſtorijs paſſim legitur ac ſcitur; non minùs, quàm quando vos Lutherani inſigni perfidia à vera Eccleſia auulſi eſtis. Si hoc de Summis Pontificibus probare quiueris, oẽs in tuam ſententiã pedibus ibimus. Cùm ergò Pontifices & Epiſcopi noſtri legitimè ſibi inuicem ſucceſſerint (nec enim habes quod contra hiſcas, aut veris rationibus probes) dubium nõ eſt, quin legitimè quoque ad ſuas ſint vocati functiones; adeò vt nullatenus mercenarij queãt nominari, qui furtim aliunde in ouile irrepſerint.

SVBIVNGIS tamen: *quia per veram ianuam, nempe* IESVM *Chriſtum non introierunt*. Videris mihi Logices prorſus eſſe imperitus. Pueri in noſtri qui vel Louanij, vel Duaci rei dialecticæ nauant operã, dicerent hanc tuã ratiocinationẽ vitio illo laborare, quod petitionem principij Logici nominãt: quãdo nimirum fit probatio per illud idem CAP. X.

de quo controuertitur. Verbi gratia. Dubito ego de tua doctrina, & cupiens probare partem negantem, aſſumo; quia omnes tuæ Propoſitiones rudes ſunt & indoctæ. Contra verò reſpondens quidam qui tuis fauet partibus, dicit eas eſſe eruditas, quia tu homo eruditus ſis. Eodem modo & tu in argumentando progrederis. Controuerſia noſtra eſt, an Romanus Pōtifex cum Epiſcopis ſuis per verum oſtiū Chriſtum IESVM ingrediātur in ouile, hoc eſt an viam Dei in veritate doceant, & ſyncerum Chriſti IESV Euangelium ſuis ſubditis fideliter enucleent. Nos ita eſſe affirmamus, tu negas. Hac autem negatione (qua de re inter nos diſceptatur) vis concludere, ipſorum ordinationem nullam eſſe, ſucceſſionem ſimulatā eſſe, ingreſſum verò ſurreptitium. Sed longè tibi aliter id probandum venit: quod vt facias, ducem me tibi præbebo, meamque affirmationem de vobis euidenter comprobabo. Lutherani Eccleſiam abſque vlla ſucceſſione, & à nemine legitimè vocati, ſunt ingreſſi. Ergo Lutherani non per veram ianuā IESVM Chriſtum in ouile intrarunt, ſed irrepſerunt aliunde, ad diſpergendas nimirū oues, animaſq; enecandas, & ad inferni barathrum detrudendas. Probabo autem ſingula, & quamlibet argumenti partem rationibus ſolidis confirmabo.

Primò, quod ad ſucceſſionem attinet, nemo ex Prædicantibus & Miniſtris ſuis enumeran-

merandis prædeceſſoribus, qui eiuſdem ſecum doctrinæ aut farinæ fuerunt, vlterius poteſt progredi, quantumcunque etiam deſudet, quàm ad ipſum totius mali fontem Lutherum, cæterorum videlicet omnium Patriarcham. Idque tamen vel vix præſtare valet; veſtra enim fides tam poſt illius interitum, quàm ante, pluries à diuerſis ipſius diſcipulis variata & interpolata eſt. Sed tamen ſi ſinam, vt ad hunc tam eximium Doctorem veſtrum gradum faciatis, quò nam quæſo progrediemini vlterius? An non hîc iubet Plato quieſcere, ac pedem figere? Itaque Lutherus primus erroris veſtri eſt prodromus, atque huius farinæ molitor, ſupremuſque gradus: quippe cùm nec VVittenbergæ, nec in toto terrarum Orbe ante ipſum vllus in rerum natura extiterit, qui eadem per omnia docuerit ac crediderit. Habetis ergò Lutherum primum veſtri Euangelij Apoſtolum, qui nemini in officio aut doctrina ſuccedens, ſine vllis auis ac proauis, ſe ipſum intruſit. Quod ipſemet agnoſcit in ſermonibus conuiualibus, à Ioanne Aurifabro adinſtar pulcherrimorum emblematum concinnatis.

Secundò, Probare nullatenus potes, quempiam de grege veſtro legitimè eſſe vocatum. Scimus Lutherum anno 1517. à nemine miſſum, vltro in proſcænium advolaſſe, ac turbulentis concionibus Catholicam Eccleſiam impugnare cœpiſſe. Quem omnis CAP. XI.

 Eccle-

Eccleſiaſticus Magiſtratus temeritatis arguit, omnes Chriſtianæ Academiæ erroris condẽnarunt; neq; quiſquam Catholicorum Principum huius inauditæ præſumptionis, ei author ac ſuaſor exſtitit. Quod cum ita ſit, dicito quæſo mihi, quis eum miſerit? quis etiam te amice mi (nam & tu ex horum Prædicutiorum numero videris eſſe vnus) vnà cum tuis complicibus miſit; aut quis Eccleſiaſticus Magiſtratus poteſtatem tibi fecit, Lutheranæ huius factionis Euangelium propagandi? Conuenio vos cum *a* Tertulliano, *b* Hieronymo, *c* Hilario, atque hiſce eorum verbis vos compello: *Qui eſtis? quando, & vnde veniſtis? cur poſt mille quingentos annos docere nos niteris, quod ante neſciuimus? vſque in hanc diem ſine veſtra iſta doctrina mundus Chriſtianus fuit. Cur profers in medium, quod Petrus & Paulus edere noluerunt?* Reſpondebis forſitan: politicus Magiſtratus, ſiue Superintendentes miſerunt nos. Et ego: quis nã illis hanc mittendi poteſtatem largitus eſt, aut vnde eam adepti ſunt? Secularis Magiſtratus rebus ſeſe occupat ſecularibus, ad Reipublicæ ſtatum concernentibus; de Eccleſiaſticis autẽ ordinare, nõ niſi Eccleſiaſticorum eſt. Veſtris ſuperintendentibus tantundem facultatis eſt, quantũ & vobis: quippè qui non ab Apoſtolis ſuam traxêre vel originem, vel authoritatem, ſed ab his, quibus nulla talium conferendarum rerum fuit poteſtas, hoc eſt à Luthero & Caluino.

a *Lib. de Præſcript. ca. 37.*
b *Epiſt. 65. ad Pãmach. & Ocean. c.*
c *Lib. 6. de Trinit.*

no. Quid ſi pallium aliquod clam à fure ſubreptum, per quartas aut quintas ad te perueniſſet manus, an ideo deſineret res eſſe furtiua, quia antequam tu illud conſequereris, in multorum manibus fuiſſet? Eodem modo omninò fit, vt prædicandi munus ab alijs, qui id vel furtim vel vi ſibi iniuſtè vendicarunt, ad te delatum, tu etiam iniquè poſſideas, ſicque pro illegitimè vocato cenſeri debeas.

Tertiò, nullam legitimæ vocationis tuæ certitudinem nobis adfers, quo conſtet te à Deo miſſum. Ab initio etenim mundi Deo vſitatum fuit, quod rerum in fide nouandarum mutationem decernens, certis quibuſdam indicijs id ſibi forè gratum demonſtrauerit. Aderat enim præſentanea miraculorum vis, aderant euidentiſſima legitimæ miſſionis argumenta, quibus ceu teſtimonialibus atque infallibilibus litteris cuiuis conſtare poterat, eos à Chriſto verè eſſe miſſos: alioquin populo ſuam haud quaquam probaſſent fidem, ſed potius tanquam temerarij, atquo arrogantes nouatores exploſi fuiſſent. Idem in quotidianis Regum ac Principum legationibus fieri videmus. Nulla enim ciuitas quidquam apud ſe immutari ſinet à legatis, quorum non prius publicarum literarum inſtrumenta inſpexerit. Sic Moyſes miſſionis ſuæ certum à Deo poſtulauit teſtimoniũ, quo Iudæi *Exod. 4.*

eum

eum pro legitimo diuinæ iuſſionis interprete ſuſciperent admitterentque. Immò Chriſtus ipſe, etſi verus eſſet DEVS, verique Dei filius, tamen cùm veteri abolita lege, nouam eſſet ſubintroducturus, intelligens miraculorum conteſtatione eſſe opus, vt ſe à Deo miſſum comprobaret, ſi quando quippiam rerum nouarum introducens, ab æmulis ſiue illi Phariſæi, ſiue Sadducæi, aut Herodiani eſſent culpabatur, interrogabaturque; mox eis os obturauit, dicens: a *Opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc teſtimonium perhibent de me.* Et alibi: *Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum nõ haberent.* Itemque: c *Si non facio,* inquit, *opera Patris mei, nolite credere mihi: ſi autem facio, & ſi mihi non vultis credere, operibus credite.* Eodem quoque modo Apoſtoli poſt Chriſtum, Euangelium tam Iudæis quàm Gentibus prædicantes, vt veterum errorum fibras ex eorum pectoribus euellerent, diuinique verbi ſementem insererent, prodigijs ac variorum miraculorum ſignis id effecêre; quibus ſe à Deo miſſos conteſtarentur. Atq; ideo Eraſmus vt probet veſtram miſſionem eſſe inualidam, ac nullius authoritatis, hiſce vtitur verbis: *Apoſtoli quoniam excutiebant viperas, ſanabant ægrotos, excitabant mortuos, impoſita manu dabant dona linguarum: ita demum creditum eſt, & vix creditum eſt illis, paradoxa docentibus. Nunc cùm iuxta communem opinionem* (Lutherani ac Caluiniani) *adferant*

a *Ioan.10. verſ.25.*
b *Ioan 15. verſ. 24.*
c *Ioan.10. verſ 37.*

In Diatribe de libero arbitrio.

ferant paradoxotera, nullus illorum adhuc extitit, qui vel equum claudum ſanare potuerit. Quin immò Lutherus ipſe anno Domini 1524. cùm Thomas Munzerus Mulhuſenſes ad ſeditiones excitaret, & imperitam ruſticorum, quorum ſe Anteſignanum exhibuit, turbam ad arma capeſſenda ſtimularet, ſcripſit Mulhuizano Senatui, vt à Munzero inquirerent, à quo nam ſe miſſum fateretur: ſi reſponderet, à Deo: vrgerent vt miſſionis ſuæ veritatem miraculis comprobaret. *Neminem enim*, inquit, *ſolet mittere Deus ad nouitatem introducendam, ſine miraculorũ teſtificatione.* Atque ideo Societatis noſtræ Patres, & maximè Franciſcus Xauerius, barbarorum hominum apud Indos & Iapones animos Apoſtolicæ fidei lumine illuſtrantes, etiam noſtro æuo varijs claruêre miraculis.

Surius anno 1525.

Lutherus in Epiſt. ad Senat. Mulhuſ.

Legãtur litteræ Iaponicæ & Horat. Turſellini in vita Frãciſci Xauerij.

CAP. XIII.

CERTISSIMVM autem eſt, per Lutherum ipſiuſque diſcipulos magnam inuectam eſſe in rebus fidei immutationem; immò non minorem quàm cùm lex vetus mutata eſt in nouam. Sic enim legis veteris abrogatio facta eſt, vt tamen eadem etiamnum obſeruemus, licet alio modo ac intentione. Vnum equidem Summum habemus Sacerdotem, ſacrificium offerimus pro viuis & defunctis; Habemus præterea Sacerdotes legitimè ordinatos, altaria, imagines proceſſiones, aquam luſtralem, oleum ſacrum, veſtes conſecratas, Epiſcoporum mitras, &

cætera

cætera eiuſmodi;quorum vſus etiam in veteri teſtamento ſolennis erat. At vero Lutherani, vna immutatione ſuſtulerunt omnia. Nō enim Sacerdoti Summo morem gerunt, nō obtemperant Presbyteris Eccleſiæ, aras euertunt, ſacrificia abolent, oblationes pro viuis pariter ac defunctis irridēt: Et vt rem in pauca conferam, vno verbo dicunt Eccleſiam apud nos penitus eſſe corruptam collapſamque, ideoque in omnibus renouatione opus habere. Et reuera, magna eſt hæc mutatio, ſi omnia immutari ac reformari ab his nouatoribus debeant: quæ tamen eo grauior maiorque exiſtit, quod non in vna aliqua Orbis parte hanc reformationem inſtitui ſit neceſſe, ſed omnibus paſſim in locis. Nam omnibus eadem eſt fides nobiſcum, idem Sacramentorum vſus, idem imaginum, ſeu (vt vos dicitis idolorum) cultus, ac Miſſæ ſacrificium, &cæt. Vſitata autem hæc nobis fuêre non ab annis centum, ſed mille admodum & quingentis, vti nos Catholici adſerimus; vel vt vos Lutherani vultis, ad minus octingentis. Neque id quidem ex ſimplicitate aut leuitate fecimus, ſed animo tam conſtanti ac deliberato, vt ſi quis iſto octingentorum annorum ſpatio contrarium quid docere præſumeret, ille à maioribus noſtris grauiter mulctaretur; adeo vt vel in exilium relegaretur, vel bonis

bonis priuaretur, aut nonnunquam etiam morte pœnas lueret.

QVI ergô antiquam religionem iſtam tot modis deformatam, cupit reformare ac renouare, alioſque in Orbem mores ac ritus introducere, næ ille ſigna edat neceſſe eſt, ſuæ à DEO miſſionis: eaque eo manifeſtiora, quò magis ipſe à probatiſſima Sanctorum Patrum conuerſatione, vita ac moribus eſt alienus. Lippis autem & tonſoribus notum eſt, Lutherum Auguſtiniani inſtituti ex profeſſo fuiſſe Monachum, habitum exuiſſe, ac vota DEO facta temeraſſe, Virginem Veſtalem Catharinam Bornẽſem æquè Deo ſacram ex monaſterio extractam ſacrilego auſu violaſſe, ac matrimonio ſibi anno 1525. publicè ſociaſſe; nihil in ore habuiſſe aliud quàm blaſphemias, dæmones, ac merdas, aliaſque fœditates; quibus recenſendis pudore deterreor, etſi eius ſcripta huiuſcemodi emblematibus inſigniter ſcateant. Quæ ſi ſcire cupias, legito ſermones conuiuales Ioannis Aurifabri, Titul. 23. vbi remedium aduerſus magiam præſcribit. Caluinus nihilo ſanctiorem vitam egit, neque ſucceſſor eius Beza, Geneuenſis Eccleſiæ Antiſtites: de quorum rebus ſcelerate geſtis, ſat multa apud Hieronymum Bolſecum reperiuntur. Quorum tamen vita etſi doctrinæ ipſorum conformis fuerit, atque ad amuſſim reſponderit (talia enim flagitia ipſorum religio, quæ bona opera

CAP. XIV.

Surius in Commentario.

opera reſpuit, & ſolam fidem ſaluare poſſe adſerit, non recuſat) fuit tamen mundo execrabilis, ac plus quàm dici queat ſcandaloza. Omnes etenim Catholicæ fidei profeſſores, hoſce reformati Euangelij Apoſtolos, vti ſceleſtos, tenebriones, Apoſtatas, diaboli filios, ſeditioſos, votifragos, ſacrilegos, nec non & impuriſſimos Sodomitas reijciunt, condemnant, execrantur. Quæ quidem omnia ex proprijs ipſorum verbis & ſcriptis, ſi neceſſe ſit, probare ſum paratus.

CAP. XV. CVM ergo præfati reformatores, vitæ deformitate haud quaquam legitimæ miſſionis ſuæ certitudinem mundo patefaciant, neceſſe omninò fuerit, vt alia huius rei documenta in medium adferant, è quibus conſtet quod à DEO miſſi ſint ad fidem reformandam, Eccleſiam renouandam, totum denique mundum in aliam formam traduecndum. Nihil horum adhuc hactenus vidimus, nihil miraculorum veſtrorum cóſpeximus, nulla authentica miſſionis veſtræ inſtrumẽta habuimus, ob quæ tutò fidem vobis habere liceat, in rebus tam arduis immutandis. Commemorat quidem Fredericus Staphylus Lutheri olim diſcipulus, præſumpſiſſe Lutherum ex quadam obſeſſa puella, ſe præſente opemque ferẽte dæmonem profligare, verum in tantas à dæmone coniectum fuiſſe anguſtias, vt vix integro collo euaſerit. Caluinus quoque Brulleo cuidam, qui ſe cæcum ſimulauerat, viſum poſſe reddere, gloriatus erat,

Reſponſione contra Smidelin pag. 404.
Hieron. Bolſec. cap. 13. vita Caluini.

erat, ſed ex ſimulato cæco verum effecit; non minus quā olim ante annos admodum mille Cyrola quidam, Arrianorum Epiſcopus: qui & ipſe ex vidente (Deo haud quaquam huiuſcemodi ſimulatæ nequitiæ ſacrilegia inulta relinquente) cæcum reddidit. in oppido quodam Aruerniæ, quod *Bordt* vulgò nominant, circa annum Domini 1565. Prædicutius quidā erat, edēdorum ad quęſtum miraculorum perquā cupidus. Qui vt voto potiretur ſuo, pauperem induxit conduxitque, qui ſe vocis priuatum vſu callidè ſimularet; futurū enim vt hac arte ad magnas conquirendas opes, ſubſidium eſſet habiturus: quarum tamen medietatem ſibi tradi poſcebat. Dictum factum. Itur ad opus. Prædicans qualibet concione hominem hunc mutum, ad templi valuas pro ſtipe emendicanda conſiſtentē, ſuis auditoribus adeo affectuosè cōmēdabat, vt vix inde ſine ingēti pecuniæ ſumma domū ſeſe reciperet. Hoc cū mēſibus aliquot continuatum eſſet, tandē cū de miraculorum perpetratione mentionem pro ſuggeſtu faceret, ſubintulit: *Papiſtæ, nobis obijciunt, quod miraculis doctrinam noſtram probare non poſſimus, in quo toto equidē errāt cœlo. Quod enim miracula non edimus, non ob impotentiam fit, aut virium noſtrarum defectum; ſed quia id neceſſum nō eſt. Vnde ſi vellem ego, facilè vobis videntibus miraculum patrarem. Cui vt dicto fides conſtet, agite, introducite mutum hunc cui ad oſtium templi tanto iam tempore rei*

Gregor. Turonenſ. lib. 2. hiſtor. Francor. cap. 8.

nummariæ ſubuentione opem tuliſtis. Quem in-trogreſſum alloquens, *Amice,* inquit, *vt om-nes fidei noſtræ veritatem intelligant, edico tibi, loquere.* Ad cuius vocem expergefactus ille, *Præſto,* ait, *ſum Domine, iube quod vis.* Populus aũt cõtenta voce cõfeſtim clamitabat; *Mira-culũ, miraculũ, vera eſt omninò fides noſtra.* Prę-dicãs itaq; multo ſtudioſius pauperẽ hũc po-pulo cõmendãs, dignũ cẽſebat qui in ſancta ciuitate (hac etenim nominis clatura Gene-uã ſuã dignãtur) in ſtudijs aleretur; vt littera-rum cognitione inſigniter inſtructus, è ſug-geſtu aliquãdo huius celeberrimi miraculi præconẽ ageret, illudq́; ad plurimorũ noti-tiã propalaret. Neq; hic ſtetit res. Omnium enim adiutus auxilio, ad ſummas peruenit o-pes: adeo vt nonnulli ſeſe & armillis & au-reis cathenis ſpoliãtes, eas cõfertim congeſ-ſerint, in muti huius liberalẽ educationem, quò poſſet q̃ doctiſſimus euadere. Ipſe quoq; Prædicãs hominẽ cũ alijs quibuſdã primarię dignitatis viris ad ſplẽdidũ inuitãs prandiũ, ibidẽ plenis buccis perpetrati miraculi glo-riã decantabat, vt poſtea diſcedentibus alijs, prędã inter ſe ſe clanculũ partirẽtur. Verum mutus è prandio furtim ſecedẽs, fugam cum tota maſſa arripuit. Prandio aũt diutius pro-tracto, Prædicans ſuſpicatus id ꝙ acciderat, diuerſos qui fugientẽ retraherẽt, ſibiq́; ſiſte-runt mittebat. Apprehendentibus verò ipſis transfugam, & Prædicãtis nomine mãdanti-bus, vt pedẽ illico referret, reſpondit: *Haud*

qua-

quaquã id facturus ſum. Eſt enim Prædicans homo ſceleſtus, qui vt diuidat, quod à vobis mihi per eleemoſynã donatũ eſt, reuocari me facit; totãque rei geſtæ nequitiam propalauit. Quod cũ Prædicãs intellexiſſet, fuga ſibi cõſuluit; mutus verò virgis publicè cæſus, ſimulationis ſuæ pœnas pepẽdit. Huius rei geſtæ veritatẽ ab ipſis Bordenſis oppidi incolis, qui & ideo à Caluiniſticæ perfidiæ reformatione alieniores redditi ſunt, percepimus. Poteſtis & ipſi legere, quę Matthęus Launoius de Caluiniſtarũ miraculis ſcriptis cõmendauit. Cũ enim an. 1563. Inſulis, Tornaci, & paſſim per Galliã Belgicã Miniſtrum ageret, præcipui ex Cõſiſtorio delegerũt aptiſſimos quoſque, qui ſe à dæmone obſeſſos ſimulatè profiterẽtur, eiſq; mercedis loco nõ tantũ liberaliter ſpopõderunt inſignẽ pecunię ſummã, verum etiã annuos ex agrorum quorundã prouentu redditus. De quibus equidẽ agris, poſtmodũ publicæ exortæ ſunt querelæ, adeo vt iure procedendũ fuerit; potueritq; tota hæc ſcelerata nequitia ad omnium proferri aures, niſi Conſiſtorantium plerique diſcordantes inter ſe partes cõfeſtim trãquillaſſent. Inter cæteros, qui ſe obſeſſos ſimulabãt, Quercetanus quidam fuit, Ludouuicus nomine, cum quadam fœmina, vxore ſcilicet cuiuſdam Diaconi, pagi propè Argentariam, vulgo *Perency*; qui ſcenam hanc adeò dextrè exornabant, ſuaſque quas tutandas partes ſuſceperant, tam artificiosè agebant, vt qui-

Digitized by Google

libet eos pro verè obſeſſis haberet: immò ipſe Prædicans Mattheus Lanoijus, huius impoſturæ ignarus, omninò ita ſe rem habere arbitrabatur. Quem quidem reuereri videbantur, quaſi eximiæ ſanctitatis virũ, qui dæmonum abigendorum poteſtatẽ ſolus à Deo conſecutus eſſet. Præfato itaque anno pridiè Pẽtecoſtes, cùm per noctẽ Ludouuici dæmonem exorciſmis adiuraret, reſpõdit ſe paratum quidem emigrare, iſta tamẽ lege ac cõditione, vt Ludouuicus cõfeſſionis Sacramentum frequẽtaret, ac tria pro ſe ſacra dici curaret; tum quoq; vt tres volas aquæ ex cænoſa palude, quãm nominabat, hauſtæ, epotaret; & ceraſum ex proprio horto decerptum donaret, nec nõ & capillũ vnũ ex barba, & vaccæ ſuæ cauda extractum. Iſta cùm Lanoyus detrectaret, Lodouuicus (vti apparebat) deliquium animi paſſus, dęmone liberatus eſt. Mulier quoq; pari facilitate priſtinæ integritati reddita, poſtquam alta voce proclamaſſet: *Nõ intererero poſthac Miſſæ ſacrificio, eiuro Papatum cum omnibus aſſeclis: huic viro Dei* (Launoium intelligens) *ſoli adhærebo eiuſq; cõplicibus; qui cũ ſerui Dei excelſi ſint, annunciãt nobis viã ſalutis.* Launoius his auditis, ſibi ipſi de miraculorũ perpetratione (vti poſtmodum ingenuè mihi faſſus eſt) applaudẽs, cõtinere ſe vix quibat. Qui tamen in hac opinione vſq; ad annũ Domini 1547. permanſit, donec de tota hac nequitia aliter eſſet edoctus ab Hollãdię Miniſtris, ſcilicet Chriſtiano

ſtiano *de la Quenoillerie*, antea linteone, & Ioãne VValio, ſupremo iſta tẽpeſtate in Gallia belgica, cũ hæc cõtingerent, Diacono, licet prius limbolario. Hęc & alia iſtius generis cõſimilia ſcelera, ad veritatis agnitionẽ, Catholicæq; fidei profeſſionẽ Launoiũ prouocarunt; adeo vt ſcriptis in lucẽ editis, omnia quam liberrimè ſit faſſus. Sed quid tu ad hæc, amice mi? quomodo hæc tibi ad palatũ? Quibus nã alijs modis veſtrã nobis vocationẽ comprobabitis? Quibus publicarũ litterarum teſtimonijs legitimã miſſionis veſtrę certitudinem adſtruetis; Quas nam miraculorum virtutes, ac cœleſtium prodigiorum teſtificationes in medium adferetis?

CAP. XVI.

DICES forſitã, miraculis haud quaquam opus eſſe: ſacram enim Scripturam ſatis euidẽter errorum noſtrorum labyrinthos ac Lutheranæ ſinceritatis veritatẽ detexere. Ad quę duo reſpõdeo. *Inprimis*, id minimè nobis cõſtare: quippe qui cum Catholici ſimus, nõ minus per totum terrarum Orbẽ Scripturas admittimus, quã vos; à cuius ſano intellectu ne latũ quidẽ vnguẽ diſcedimus, cũ interim vobis ſtudio ſit eas peruertere, mutilare, atq; in adulterinũ ſenſum vi detorquere. Inhęremus ſinceræ veterum Sãctiſſimorum Patrum expoſitioni, qui non oẽs pueri rudes, aut ſtupidi fuêre aſini, ſed pleriq; eorum aut inſigni doctrina aut miraculorum gloria præſtãtes. Quales in primis extitêre Diuus Bernardus Clareuallenſis Abbas, Thomas de Aquino, or-

Digitized by Google

no, Ordinis Prædicatorij lumen excellentiſſimum, Bonauentura, Antoninus, Vincentius Valentinus, alijque innumerabiles.

VT TV ergo demonſtres, ſenſum quo vos Scripturas intelligitis verum eſſe, & ad Dei voluntatẽ proximè accedẽtem, noſtrũ verò falſum: nõ obſtãtibus interim tot diuerſorũ miraculorum ſignis, quib. iã iã à nobis commemorati Sancti ſuã doctrinã ſtabiliuerunt, agite & vos, & miraculum vel vnicum ſaltẽ edite, mortuum è ſepulchris viuũ nobis reddite, oculorum lumine orbato viſum reſtituite, muto loquelã reformate, & huiuſcemodi ſupernaturalibus operibus, vocatiõis veſtræ certitudinẽ comprobate. Docente in mũdo CHRISTO Saluatore noſtro, Veteremq; legem in nouã reformãre, Veteris teſtamẽti textus clarus apertuſq; erat; nempe quãdo Meſſias naſciturus eſſet, & vbi, quidvè mutationis introducturus, prout Iudæis
Ioan.5. CHRISTVS palàm obijcit: & tamen ni-
Ioan.15. hilominus præclara aliquot edidit miracula, quibus ſe Meſſiã eſſe, omnib. notum faceret: dicens Iudæis, ſine his alioquin à ſua incredulitate excuſatos fore. Simili quoq; modo Ethnici ad fidẽ Chriſtianam ſine miraculis ſuſcipiendã ex proprijs ipſorum ſcriptis cõuinci potuiſſent; maximè verò ex decem Sybillarum oraculis, diuerſis in locis editis. In
Lactãt. lib. 1. quibus apertè de CHRISTO prophetarũt, eiuſq; vitam & paſſionem, vti euentus poſtea edocuit, prædixerunt. Quæ Ethnicis Chri-

ſtiani

ſtiani olim proponentes, multos ad fidẽ noſtrã cap.ſſendã induxerãt: adeò quidem , vt Antoninus Pius Romanorum Imperator, capitis ſententiã in illos publico edicto decerneret, qui Sybillinorum librorum lectioni, prout B. teſtatur *a* Iuſtinus glorioſiſſimus Eccleſiæ Martyr, incumberet. Ex harum numero Erythræa, primis verſuum ſuorũ quos edidit litteris, accuratè expreſſit, Ιησοῦς Χριστὸς θεοῦ ὑιὸς σωτήρ; quod eſt, IESVS CHRISTVS DEI FILIVS; tot nimirum annis ante Chriſti exortum, proprio ipſum nomine deſignans. Lege quæ hac de re *b* Conſtantinus Imperator, nec non & B. *c* Auguſtinus vna cum *d* Clemẽte Alexandrino literarum monumentis ad omnem poſteritatis memoriã conſignarunt: qui inter cætera dicit, B. Paulum Apoſtolum, Ethnicos ſuis in exhorta-tionibus admonere ſolitum ad Sybillinorum oraculorum ſedulam peruolutationẽ: in ijs enim Chriſti doctrinam & conuerſationem, ſe manifeſtè reperturos. Quibus tamen nil obſtantibus, Apoſtoli eorumq; diſcipuli miracula ediderunt : per quæ velut certiſſima documẽta, diuinæ vocationis ſuæ miſſionem confirmarunt. Idem & vos agatis oportet, ſine vlla Scripturarum allegatione; quarum peruerſam à vobis allatam explicationem , ſuſcipere omninò recuſamus. Miraculorum enim teſtimonijs conuincere nos debetis, oſque obturare. Ab hinc namq; multis retrò annis, nihil in vobis ſignorum

a *Orat. ad Antonin. Pium.*

b *Orat. ad Sanctorum cœtum.*

c *Lib 18. de Ciuit. Dei cap. 20.*

d *Lib. 6. Stromat.*

Digitized by Google

aliud cõſpeximus, quàm mentiri, fallere, irridere, prædas agere, ciues depopulari, Eccleſias euertere, aras cõfringere, ſeditiones ciere, bella inteſtina contra propriũ Regem ſuſcipere, vota monaſtica ſacrilegè violare, aliaq́; prorſus diabolica attentare. Niſi hoc fortè pro miraculo nobis obtrudere velitis, quod ſecundũ Beatum Auguſtinũ, quodlibet miraculũ exſuperat; nimirum toto credente mundo, in perfidia obſtinato permanere animo, ſeq́; omnibus quãtauis prudẽtia prǽditis hominib᷒, ſapientiorẽ exiſtimare; alios interim tanq̃ fatuos, ꝑfidos, idololatras, ac prorſus nefarios contẽnendo, exſibilãdo, profligãdo. Eſt quidẽ hoc reuerà miraculum grande, ſed omninò nociuum ac diabolicũ; homines ſcilicet reperiri, quauis impudentia impudentiores, quauis nequitia nequiores.

Lib. 22. de Ciuit. Dei, cap. 8.

CAP. XVII. SECVNDO, poſito eo quod ex Scripturis manifeſtè comprobatum eſſet, fidẽ noſtrã reprobã eſſe, totãq; Eccleſiã peruerſam, ſcire tamen liquidò nõ poſſemus, vtrum Lutheranæ factioni adhǽreſcendum nobis eſſet, an verò Caluinianæ, vel Anabaptiſticæ. Ad hoc ergo opus eſt miraculis, quę verã Chriſti Eccleſiã demõſtrent. Audimus enim vulgò circumferri, quod quicunq; ſe ad Anabaptiſtarum receperit cõſortium, mox poſtquam ſe rebaptizari permiſerit, ex indocto doctus efficiatur; adeò vt qui antea rudis & literarum linguarumq́ue ignarus fuerit, cõfeſtim in omnibus perpolitus reddatur. Verum

Digitized by Google

vos Lutherani hæc operâ diaboli, qui huiuſcemodi homines poſſidet, & per eos ſingula quæque effatur, fieri adſeueratis. Itaque vos certiùs aliquod ſignum nobis commonſtrate, quo à Deo miſſos ſcire liceat, atque ad veſtram doctrinam confugere. Sed forſitan hæc Chriſti verba mihi oggeres, dicens: *Generatio hæc mala & adultera ſignum quærit: & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ Prophetæ*. Et quòd alibi ad Regulum dixit: *Niſi ſigna & prodigia videritis, non creditis*. Tum quòd Paulus Iudæis exprobrauerit, ſigna petentibus. Quibus ego facilè reſpõdero, vt tot nimirum miracula edant, quot Chriſtus & Paulus ediderunt, antequam alios hac de re arguerent: facient enim nobis abundè ſatis, altumque ſilentium imponẽt. Vnde ad CHRISTVM quod attinet, is cùm ſacri baptiſmatis lauacro à Ioanne in Iordane tingeretur, cœleſti Patris ſui oraculo munitus fuit; claruerat inſuper varijs quoq; poſt baptiſmum miraculis, claudis greſſum reformando, ſurdis auditum reſtituendo, imò in ipſa Cana Galileæ, vbi Regulum reprehenderat, aquam in vinum commutando. Neq; enim aliâs vlla fuiſſet auſus expetere miraculorum ſigna, niſi ab alijs edoctus fuiſſet, CHRISTVM per hæc rerum cœleſtium certiſſima indicia, celebre ſibi nomen apud omnes paſſim peperiſſe. Quæ quidem ſufficientia erant, vt de Chriſti miſſione ferrent teſtimonium. Iudæi verò ex curioſitate

Matt.16. ver.4.

Ioan.4.v.48.

1.Cor.1. ver.22.

Ioan.2.

Digitized by Google

ſigna petebant, vti & Herodes; qui idcirco iuſtæ repræhenſioni obnoxij erant. At nos Catholici, vrgente neceſſitate ea à vobis exigere compellimur: vt ſine ſcrupulo deſeramus fidem illam, quæ (vti vos ipſi fatemini) tot centenis annis inuiolata in mundo permanſit, nouamque vitæ ſemitam, nulli hactenus cognitam aut probatam, ineamus. Quod maximè arduum eſt: inter tot nimirũ ſectas, quarum vna aliam damnat, proſcribit, execratur: adeo vt hîc non immeritò perplexus eſſe debeam. Catholici quippè, ſuam fidem eſſe optimam dicunt, diuiniſque Scripturarum teſtimonijs per omnia conſentaneam: vos id conſtanter negatis. Interim ſexcenti alij reprobant veſtram: quî ergo vultis vt vobis potiùs, quàm alijs aſſentiar, niſi ſigno aliquo cœleſti demonſtretis, quod à DEO miſſi ſitis, quod ſola veſtra fides vera ſit, aliorum autem falſa. Non hîc centum miracula depoſcimus, ſed vnicum tantùm, vnicum inquam, quod certum probatumque ſit. Atque ideo date operam, vt vnum è ſepulchris mortuum nobis excitetis, vnumve carentem oculis videre faciatis, aut ſimile quid ad fidei veſtræ certiſſimam comprobationẽ. Quàm vereor id vnquam faciatis. DEVS enim (vti clarè cernitis) nec mendacijs, nec mendacibus cœleſti fauoris ſui præſidio præſto eſt.

QVAN-

Digitized by Google

CAPVT XVIII.

QVANDOQVIDEM ergò hactenus ad oculum euidenter probaui vobis, quod ſine ſucceſſione, ſine legitima miſſione, ſine vlla denique cœleſtium miraculorum teſtificatiōe in Eccleſiā irrepſeritis, quid iā nunc cēſetis? quid animi habetis? licebitnè cōcluſionē ex his præmiſſis inferre, quod ſcilicet per verum oſtium IESVM Chriſtum nō intraueritis, ſed aliúde in ouile aſcēderitis, ad diſpergendas oues, animaſque interimendas? Antequam in mundum prodiret Lutherus, omnes Chriſti oues in fide concordes erant, ſub vno degentes Paſtore Romano Pontifice, Chriſti vicario: vnam habentes doctrinam, vnam fidei profeſſionem, vnam Scripturarū explicationē. At vbi Lutherus, peſtifer ille lupus in ouile irruit oueſq; diſperſit, ibi variȩ portentoſorū hominū monſtroſæ ſunt exortȩ opiniones, ac diuerſa ſeditioſa capita. Nonnulli enim Luthero adhærentes dicti ſunt Lutherani: alij Oſiandrini, quidam Stācariani, Amſdorfiani, Flacciani, Zwingliani, Buceriani, Muſculani, Georgiani, Caluiniani: Imò fuêre & Maioriſtæ, Synergiſtæ, Adiaphoriſtæ, Mēnoniſtæ, Vbiquitiſtȩ, alijq; propemodum innumerabiles, qui ex ſolo hui⁹ Archipſeudoprophetæ Lutheri ouili ſūt egreſſi. Eheu quāta eſt hæc ouium diſperſio, quanta animorū diuiſio, animarū occiſio? Et necdum harum miſeriarum finis. Surgunt enim quotidiè more antiquorū hæreticorum; alıæ adhuc nouæ ſectæ, quarum

Digitized by Google

vna ex altera pullulat. An non ita eſt vt dico? hæccine tuis ipſe conſpicis oculis? Cùm animabus verò interim quid agitis? an non eas miſerè diſpergitis, mactatis, interimitis? Ab initio Lutheranæ doctrinæ vſque in hanc horam, neminem proferre potes, qui vel inter vos, vel vlla alia ſecta defuncti, iam æterna fruantur beatitudine. Nos verò Catholici infinitos habemus, de quorum ſalute, diuinorum miraculorum ſignis ac teſtimonijs certiſſimi ſumus: adeo vt ad plurimorum ſanctiſſimorum iam cum Chriſto in æuum regnantium corpora, etiamnum varia contingant miracula. Ex horum numero inprimis, vt alios interim omittam, ſunt B. Bernardus, Dominicus, Franciſcus, Vincentius, Valẽtinus, Antonius de Padua, Franciſcus de Paula, Didacus Complutenſis, alijque innumeri. Horum nemo Lutheranus, aut Caluinianus fuit, ſed omnes Catholici, vel (vt vos appellatis) Papiſtæ. Si ergo hi in Romana Eccleſia per Papiſticam fidem ſalutem ſunt adepti, ſequitur ergo vos omnes extra æternæ ſalutis portum nauigare: quippè qui commentitijs veſtris fabellis, oues miſerandum in modum diſperſas, mactatis ac perditis. Ah chariſſime amice, quàm periculoſum eſt, in veſtra fœtenti ac nouitia degere caula. Si te quiſpiam è Bruxellis Louanium eſſet ducturus, per viam inuſitatam ac nouiter inuentam, per quam nunquam aliquem Louanium veniſſe certò conſtaret, an non

Digitized by Google

an non ſtultiſſimè ageres, ſi deſerta via communi ac magis trita, peregrinam illam periculis plenam capeſſeres? Eodem modo in ſummo ſalutis diſcrimine verſantur omnes illi, qui Catholicæ Romanæ Eccleſiæ ſemitis relictis, in quibus tot Sanctorum myriades ſaluatos conſtat, nouæ ſectæ incertiſſimam viam ingreditur. Inquies fortaſſis, omnes miraculorum virtutes, præſtigias eſſe dæmonum, ac magicas incantationes: vti olim Phariſæi de rebus à Chriſto miraculosè geſtis ſacrilegè blaſphemabant, ipſique adeò Ethnicorum Tyranni, ac crudeliſſimi Imperatores de Sanctiſſimorum Martyrum miraculis. Verum vt vobis hoc ſacrilegium indulgeamus, facite ſaltem vos Lutherani huiuſcemodi miracula, & abundè nobis ſatisfactum erit. Confirmate diuino aliquo teſtimonio, quod vel vnus ſaltem è tam numeroſa Lutheranorum multitudine cum Sanctis in cœlo gaudeat, & non omnes æternis gehennæ cruciatibus adiudicati ſint.

QVINTA CATHOLICORVM PROPOSITIO.

In vniuerſa ſacra Scriptura non inuenias, aliud nihil eſſe credendum, quàm quod clarè & expreſſè in ea ſcri-

ſcriptum contineatur. Ex quo conſequens eſt, fundamentum euerti quo nituntur Martiniſtæ, Caluiniſtæ, alijq́ Sectarij, dum affirmant, præter id quod in ſacris litteris expreſſè poſitum inueneris, nihil eſſe credendum.

CAP. I.

SI quando cum noſtris hęreticis ineunda ſit diſputatio, extemplo obgãniunt, dicentes: *Vbi hoc vel illud ſcriptum eſt: cupio è Scripturis hoc mihi demonſtretis: in his enim omnia ad ſalutem ſcitu neceſſaria cõtinentur, neque licet præter has quidquam admittere aut credere.* Hoc eſt vnicum hæreticorũ fundamentũ, quo omnia quę nos Catholici credimus aut proponimus, reijciũt; neq; ex ſcripturis expreſſe probamus: veluti cùm de ſacrarũ imaginum cultu loquimur, de inuocatione Sanctorũ, vſu chriſmatis alijſq; Catholicæ Eccleſiæ ritibus. Vel ſi Scripturarũ teſtimonijs hæc cõfirmamus, explodimur tamẽ; propterea ꝙ ipſi eas ſecundũ nouas ſuas adinuentiones aliter interpretantes, in alium prorſus contrariũ ſenſum detorqueant. Exempli gratia: dum veritatẽ corporis Chriſti in altaris Sacrificio, ex verbis Scripturæ cõprobamus. *Hoc eſt corpus meũ*: itẽ cum Purgatoriũ adſerimus teſtimonio Pauli, dicentis: *ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignẽ.* Similiter & de extrema Vnctione allegãtes id ꝙ D. Iacobus

Matth. 26.
1. Cor. 3.
Iacob. 5.

bus monet; vt ſi quis ex nobis infirmetur, inducat Presbyteros Eccleſiæ, qui pro infirmo orãtes, eum ſacro oleo inungãt. De indulgẽtijs id ꝙ alibi Paulus habet, qui audito inſigni fornicarij dolore, quẽ ipſe Sathanæ torquẽdum tradiderat, ne abũdantiore triſtitia abſorberetur, clemẽter ei indulſit, noxãq; remiſit. Quæ quidẽ omnia, vti & alia cõplura, ipſi tamẽ longè aliter explicãt. Quẽadmodũ Anabaptiſtæ hæc verba Chriſti dicentis: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, nõ poteſt introire in regnũ Dei.* Vbi per aquã, non quidẽ naturale hoc elementũ intelligunt, ſed vel gratiam vel prudentiam: aut certè ſpiritũ S. vti Caluinus: vt hac ratione puerorũ ratiõe carentium Baptiſmũ, Catholicis extorqueant. Poſito ergò hoc tam valido fundamento, quo quidquid volunt reijciunt, trahentes nimirum Scripturas in reprobũ (quod teſte Tertulliano omnibus ſemper commune fuit hæreticis) ſenſum; ſcire percuperẽ, cui nam ſoliditati innitatur, & quo Scripturæ loco hoc fundamentũ corroboretur, approbetur que. Plurimi reperiuntur Catholicæ fidei profeſſores, qui oẽs diuinarũ litterarum tã Noui quã Veteris inſtrumenti codices, ſtudiosè (quod & mihi quoq; cordi eſt) legunt ac relegunt; & nemo illorum adhuc alibi inuenire potuit, nihil ſcilicet eſſe credendũ, ꝙ nõ expreſsè in textu Scripturarũ poſitum ſit: ideoq; ſuo ſe iugulant gladio, cũ hoc fundamentũ ſeipsũ euertat, ac ꝑ ſe collabaſcat.

2. Cor. 2.

Ioan. 3.

Lib. 4 Inſtit. cap. 16. §. 26.

Lib. de Præſcript. cap. 17. & 38.

Si

Si enim ſcriptum nullibi eſt, credendum nō eſt. Arbitrabar antagoniſtam meum, fundamentum hoc aliquo Scripturæ loco conſolidaturum, ſed nihil agit minus: aliam omninò ingreditur viam, aliudque (vt equidem putat) iacit fundamentum, quo omnia Catholicorum dogmata cōuellat, euertatque.

ANTITHESIS AD QVINTAM PROPOSITIONEM.

In Scripturis expreſſe legitur, hominum traditiones pro Dei verbo non ſuſcipiendas, ſed firmiter inhærendum ſcriptis Prophetarum Apoſtolorumq́, quæ hominem perficiant ſecundum cor Dei, eumq́, in bonis operibus ritè peragendis, inſtruant.

CAP. II.

SCIRE cupio, quid hoc loco per humanas traditiones intelligas. Traditionis nomē ſignificat omne id, quod à maioribus ad nos vſque quaſi per manus traditum, deuenit. Eſt autem triplex Traditionum partitio. Sunt enim Traditiones diuinæ, ſunt Apoſtolicæ, ſunt & Eccleſiaſticæ. Diuinæ dicuntur, quæ acceptæ ſunt ab ipſo CHRISTO Apoſtolos docente. Hoc modo omnis Noui doctrina Teſtamenti, traditio fuit, quouſque Matthæus

Triplex Traditionū partitio. de qua Bellar. Tom. 1. lib. 4. de verbo Dei nō ſcripto, c. 2.

thæus ſuum conſcripſit Euangelium. Quod, ſecundum B. Irenæũ, 12. circiter poſt paſſum Christum anno, factum: vel, vt Euſeb. vult, 7. annis poſt. Quo nec dum litteris exarato, nulla noui Teſtamenti exſtabat ſcriptura. Immò omnes Chriſti inſtructiones actioneſque à Ioanne Euangeliſta conſcriptæ, & ab alijs (quarum plurimæ ſunt) neglectæ, plus quàm per ſexaginta annos non niſi traditiones fuerunt. Nam ſi *a* Epiphanio eſt habenda fides, Ioannes Euangelium ſuum tertio ante obitum anno litteris conſignauit: viuere autem deſijt (vti *b* Hieronymus & *c* Euſebius ex vetuſtiſſimis Doctoribus Irenæo & Polycrate, qui haud longè poſt vixerunt, teſtatur) ſexageſimo octauo poſt Paſſionem Domini anno, id eſt Chriſti nati Anno 101. Cùm verò Beatus Ioannes, qui vltimus Apoſtolorum & vixit & ſcripſit, multa literis (quemadmodum ipſemet teſtis eſt in duobus vltimis Euangelij ſui capitibus) non mandauerit, dicimus nos Catholici omnia iſta diuinas traditiones eſſe, ab ipſo Chriſto vt inſtitutas, ſic in Scripturis non poſitas, licet ab Vniuerſa Eccleſia vbique obſeruatas. Talia ſunt ea quæ ad materiam & formam Sacramentorum pertinent: de quibus etſi in diuinis literis pauca admodum habeamus, certum tamen eſt Sacramentorum eſſentiam, non niſi à CHRISTO Domino inſtitui potuiſſe. Item illa quæ de pædobaptiſmo Eccleſia obſeruat, & quod à vul-

Lib. 1. c. 8.

In Chronic.

a *Hæreſ. 51.*

b *De Viris Illuſt. in Ioanne.*

c *In Chron. & lib. 3. Eccleſiaſt. hiſtor. cap. 25.*

garibus hæreticis ſemel baptizatos, rebaptizare non liceat. Quod venerandæ inſuper ſint imagines, Sancti inuocandi, confeſſio auricularis frequentanda, pro viuis pariter & defunctis ſacris operandum, atque id genus alia. Hæc autem à Chriſto eſſe inſtituta, atq; ab Apoſtolis nobis tradita, patet ex eo: *inprimis*, quia omnem rerũ creatarum ſenſus excedunt. Nemo enim præter Deum ſacramenta, modumq́; ea adminiſtrandi, aut Deo ſacrificandi, poteſt inſtituere. *Secundò*, quia per vniuerſum terrarum orbem iam inde ab Apoſtolorum temporibus pro talib. in Eccleſia habita obſeruataq́; ſunt; quæ ſecundũ

a Luc.22. verſ.32.& Matth.16. verſ.18.

a Chriſti promiſſum errare nõ poteſt, vtpote *columna* b *& firmamentum veritatis*. Hanc ob rem, *dubitare, aut diſputare, contra id quod vniuerſa ſentit Eccleſia, inſolentiſſima inſania eſſe, rectiſſimè dixit Auguſtinus*. Notiſſimũ eſt, Chriſtum multa inſtituiſſe quadraginta illis diebus, quibus præbuit ſe ipſum viuum poſt paſſionem ſuam in multis argumentis apparens Apoſtolis, & loquẽs de regno Dei, hoc eſt de Eccleſia ſua, deq́; illis quæ ob nimiam animi triſtitiam in vltima cœna prolata capere non poterãt, inquiens: *Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo*. De quibus tamen nuſquàm ſacræ meminêre literæ. Vbi notare oportet, prædicta illa, vti & alia nõnulla quæ Eccleſia vbiq; obſeruat, nõ habenda eſſe humanarum loco traditionũ, ſed diuinarũ omninò inſtitutionũ; cùm

b 1. Timoth. 3. ver.15.

Epiſt.118.

Actor.1.v.3.

Ioan.16.

à ſolo

à ſolo Deo proueniũt: licet eatenùs quidem humanæ poſſint nuncupari traditiones, quatenus per homines, hoc eſt Apoſtolos, Apoſtolicoſq; viros nobis ſunt traditæ. Sic etenim & Scriptura ipſa, humana eſt traditio, quæ ab hominib. nobis prouenit, in qua tamen verum Dei verbum contineri ſcimus.

CAP. III.

APOSTOLICAE Traditiones propriè dicuntur illæ, quæ ab Apoſtolis, nõ autẽ à Chriſto inſtitutæ ſunt. Qualia eſſe multa, haud quaquam ambigimus. *Primò* quidẽ, quod ſecundùm Chriſti promiſſum, à Spiritu Sancto de multis inſtruendi ac edocendi eſſent, quæ ad Eccleſiam ritè ordinandam, pertinerent. Eam ob rem ſæpiùs conuenientes in vnum, ſua habuêre, diuino prius implorato auxilio, *a* Concilia: quin & Chriſtianæ fidei Symbolum, quod etiamnum Apoſtolicum nominamus, eodem illo tempore, Ruffino teſte, cõcinnarunt, aliaque vtilia multa cõdiderunt, quorum pleraq; à B. Clemente Romano, Apoſtolicis ſunt inſerta Canonibus. *Secundò*, quia aliquot etiã Apoſtolorum Traditiones ipſa Scriptura nobis cõmemorat; nempè, quod neophyti, qui è Iudæis conuerſi erant, Chriſtiani, à duriſſima Moſaicæ legis ſeruitute liberi fuerint ab Apoſtolis declarati, modò à fornicatione, ſuffocatis, & ſanguine abſtinerent. Similiter, ꝙ viris detecto, mulierib⁹ verò velato capite, orationi inſiſtendũ eſſet: ꝙ viro fideli vxorẽ infidelem relinquere non liceret, nec vxori

a *Actor. 5. & 21.*

Ruffin. in expoſit. Symboli.

Actor. 15.

1. *Cor. 11.*

1. *Corin. 7.*

fideli maritum infidelem; modo ſine creatoris iniuria ſimul habitare poſſent: & alia his ſimilia, quorum CHRISTVS nunquam meminit. Et ſicuti hæc in Scripturis legimus, ita alia complura ſunt, quorum tamen ibidem ſummum eſt ſilentium. De quibus B. Pauli hoc potiſſimum intelligendum eſt, monentis nos inſiſtere præceptis ac traditionibus Seniorũ, quas didicimus, ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam: Apertè declarans, plura ſe oretenùs docuiſſe, quàm ſcriptis expreſſerit. De huiuſcemodi Apoſtolicis traditionib⁹ ſatis nobis cõſtat, quod diuinæ ſint, atq; à Spiritu S. inſtitutæ traditæq;, vnde & *diuinæ* nominari debent. Sed quia Apoſtoli etiã homines fuêre, idcircò humanæ quoq; traditiones appellari ſine iniuria poſſunt. Interim verò de his Apoſtolicis Traditionib. certò ſcire nõ poſſumus, quosnam CHRISTVS ante paſſionem ſuam, & quas 40. illis diebus poſtq̃ à mortuis reſurgens, cum Apoſtolis conuerſabatur, per ſe ipſum eos edocuerit, vel quas Spiritui S. edocendas commiſerit. Licet veriſimile ſit Chriſtum præcipuas quaſq; rerum diuinarum inſtitutiones Apoſtolis viua voce tradidiſſe, nonnullas autẽ per alios. De quibuſdam autem certi ſumus, merè Apoſtolicas inſtitutiones eſſe: nempè, libros Noui Teſtamenti qui in Catholicorum omnium manibus verſantur; vt ſunt, quatuor Euangelia, Actus Apoſtolorum, quatuordecim epiſtolę Pauli,

2. Theſſ. 2.

Petri

Digitized by Google

Petrì duæ, Ioannis tres, Iacobi vna, ſimiliter & Iudæ, Apocalypſis B. Ioannis Euangeliſtæ, diuinam eſſe Scripturam, & ſincerum DEI verbum. De his enim CHRISTVS dum viueret, ne verbum quidem locutus eſt. Certò quoque ſcimus, haſce iam commēmoratas ſcripturas, haud quaquam corruptas aut deprauatas eſſe, & quod eo modo intelligi debeant, quo eas Sancta mater Romana Eccleſia, cui à Deo traditæ ſunt, intelligit, exponitque.

CAP. IV.

ECCLESIASTICAE autem Traditiones vocãtur illæ humanæ inſtitutiones, quæ vel Romanorum Pontificum, vel Generalium Conciliorum decretis, vt à Chriſti fidelibus ritè obſeruentur, ſancitæ ſunt: Veluti certi ieiuniorum dies, pridiè ſolēnium aliquot feſtorum, iuxta ac Apoſtolorum, occurrẽtes: itẽ cæremoniæ in ſacroſancto Miſſæ officio hactenus vſurpatæ, aliaq́; his ſimilia, ad Chriſtianæ Reipublicæ ædificationẽ inſtituta, conformia nimirum Chriſti, atque adeo ipſorum Beatiſſimorum Apoſtolorum doctrinis. De omnibus autẽ his Traditionib. quatuor cõſtanter adfirmare licet. *Primò*, nihil in his reperiri, quod ſacris repugnet literis: alias enim Sancta mater Eccleſia, in doctrina Chriſtiana, (quod eſt contra ipſius CHRISTI promiſſum) erraret: noſq́; ei reluctando, obſtrepere (quod itidem Chriſti contrariatur præcepto) poſſemus. Cõminatur quippè nobis; quod is qui Eccleſiã audire no-

Matth. 18. ver. 17. re nolit, ſit pro Ethnico ac Publicano habẽdus, deteſtanduſque. *Secundò*, quod humanas haſce traditiones verbo Dei ac Scripturis poſtponamus, nec vllatenus parem cum eis auctoritatem decernamus. Quæ & ideo pro temporum locorumq; varietate, immutare ac variare licet. Multi etenim ieiuniorum ac feſtorum dies abrogati ſunt; permittitur quoque facilè in Quadrageſima (quod olim illicitum) lacticiniorum diſpenſatio. *Tertiò*, non ridendas aut explodendas eſſe humanas haſce inſtitutiones, ſed cum omni reuerentiæ ſtudio retinendas obſeruandaſque. Quamquam enim illarũ auctores homines ſint, ſunt tamẽ ſpirituales noſtri Superiores, publicum Eccleſiæ officium exercentes, quibus ad animarum noſtrarum promouẽdam ſalutem, vtilibus cõdendis pręceptis incumbere oportet. Vnde ſi carnalibus parentibus à liberis, ſi Principibus, & Magiſtratui ciuili honor & obſeruantia à ciuibus ſubditiſque debetur; quanto iuſtius nos obſtricti ſumus, ad obedientiam debitam animarum noſtrarum Paſtoribus exhibendam? *Ipſi*, etenim, teſtante Paulo, *ſunt, qui peruigilant,* Hebr. 13. verſ. 17. *quaſi rationem pro animabus noſtris Deo reddituri:* in illis maximè præceptis, quæ per vniuerſam Eccleſiam pij omnes & Catholici religioſè obſeruant. *Quartò*, Huiuſcemodi humanarum traditionum inſtitutiones, nõnunquam ſummè eſſe neceſſarias, veluti Principum leges, ac Rerumpublicarum

rum conſtitutiones, ad conſeruandum nimirum politiam, rebuſque afflictis tempeſtiuè ſuccurrendum. Hinc eſt quod Apoſtoli in primo Hieroſolymitano Cócilio à ſanguine & ſuffocatis abſtinendum præceperint. Quibus hoc quoque in more poſitum erat, vt CHRISTI Saluatoris exemplo, cœnam dominicam veſpertinis temporibus ſerò manducarent, ac populo diſtribuerent. Quæ tamen, vti & alia complura, Eccleſiæ Chriſtianæ Primitates, prudenti conſilio abroganda putarunt, atque in alia commutanda. Quæ res autem: vnde nam conſtet nobis, quæ Traditiones diuinæ Apoſtolicæque ſint, quæve purè humanæ. Ad quod tibi cum Beato Auguſtino reſpondeo, qui de his nobis regulam obſeruatu digniſſimam præſcribit: *Illa*, inquiens, *quæ non ſcripta, ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem toto terrarum Orbe ſeruantur, datur intelligi, vel ab ipſis Apoſtolis, vel plenarijs Concilijs, quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima auctoritas, commendata atque ſtatuta retineri.* Qui idem contra Donatiſtas, immò hæreticos omnes diſſerens, hoc grauiter admonet, dicens: *Quod vniuerſa tenet Eccleſia, nec Concilijs inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſimè creditur*. Authores, ac primos humanarum Traditionum inſtitutores, etiam in minimis Miſſæ ſacrificij ritibus ſanciendis, ferè om-

Actor. 15.

1. Cor. 11.

Quomodo in cognitionem verarũ Traditionum deueniendum ſit, vide Tomo 1. Bellar. c. 9. lib. 4. de verbo Dei non ſcripto.

Epiſt. 118. ad Ianuar. c. 1.

Lib. 4. c. 24. cont. Donat.

nes nouimus. At verò quæ longo rerum vſu ab vniuerſa Eccleſia vbique retenta atque obſeruata ſunt, quorumq́ue inſtitutores ſcire non poſſumus, illa haud quaquam pro purè humanis traditionibus habenda cenſemus, ſed potius pro Diuinis Apoſtolicisq́ue inſtitutionibus ac decretis: maximè, ſi id quoque Sacrorum Conciliorum, atque antiquorum Patrum confirmet auctoritas. Harum autem Traditionum aliquot hîc enumerabo.

CAP. V.

GLORIOSVS ille Chriſti Martyr, & celeberrimus Catholicæ Doctor Eccleſiæ. *a* CYPRIANVS, ſcribit, & poſt illum quartum *b* Aurelianenſe Concilium, profluxiſſe nimirum ex diuina inſtitutione ſeu Traditione, vt in tremendo ſacri altaris officio, non purum vinum, nec aqua pura; ſed vinum aquâ permiſtum offeratur. *c* CHRYSOSTOMVS aſſerit, ex Apoſtolica Traditione nos habere, quod in Miſſæ ſacrificio pro defunctis preces offeramus. *d* BEATVS HIERONYMVS, & *e* LEO Papa, ex eorundem Traditione quadrageſimale ad nos perueniſſe ieiunium adſtruunt. *f* AMBROSIVS autem à Domino indictam fuiſſe quadrageſimam adfirmat. Idem B. *g* LEO dicit, Apoſtolos authores eſſe ieiuniorum temporalium, quæ quatuor diuerſis anni temporibus, obſeruanda occurrunt. Epiphanius

a *Tom. 1. ep. 63. ad Cæcilium. aliâs lib. 2. ep. 3.*
b *Concil. Aurel. 4. cap. 4.*
c *Homil. 69. ad pop. & ho. 3. in epiſt. ad Philip.*
d *Ad Marcellam cont. errores Mõtani.*
e *Serm. 40. & 43.*
f *Tom 3. ſer. 25. de Quad.*
g *Serm. 9. 71. 73 74. 76. 89*

nius *h* commemorat, quod ex Apoſtolica traditione bis in qualibet hebdomada ieiunemus, abſtinentes nimirum ab eſu carnium. D. *i* Baſilius de diuinitate Sancti Spiritus diſputans, ſcribit inter cætera, multa eſſe ab Apoſtolis inſtituta, quæ literarum monumentis haud quaquam ſint conſignata; qualia in primis ſunt, conſignare frontem ſacrę crucis figura, corpus ac ſanguinē Chriſti, populo in Miſſæ ſacrificio ſpectandum exhibere; Baptiſmi aquæ, atque oleo, verbis ſolemnibus benè precari, verſus Orientem in Eccleſia orare, in ſacri baptiſmatis lauacro Sathanæ, eiuſque pompis abrenunciare, atque id generis alia. Qui & alio quodam in loco *k* affirmat, Apoſtolos nos docuiſſe, Sanctorum imaginibus reuerentiam, debitumque cultum deferre. B. Fabianus, *l* Pontifex iuxta ac Martyr, cōmemorat CHRISTVM in vltima cæna Apoſtolos chriſmatis conficiendi modum edocuiſſe: illius nimirum, quo in confirmationis ſacramento Eccleſia vtitur. *m* Tertullianus varijs in locis nobis inculcat, vt non ſolum ſcriptas Traditiones ſtudioſè obſeruemus, verum etiam non ſcriptas: enumeratq; inter cæteras, etiam anniuerſarium diem pro defunctis orandi ac ſacrificandi. Conſulit proinde etiam, *n* vt ſi cum hæreticis confligendum ſit, Traditionibus potius, quàm Scripturis conuincantur; quòd haſce pro arbitratu ſuo mutent, ac immutent, vertant ac peruertant. Secundum

h *In compendio Doctrinæ.*

i *Lib. de Spirit. ſancto cap. 27.*

k *Contra Iulian. Vide acta 2. Synod. 2. Nicænæ.*

l *Epiſt. 2. ad Epiſc. Oriental.*

m *De Corona Militis cap. 4. & 3. Legatur Cōfeſſio Tertulliani, lib. 1. c. 8. edita Pariſijs an. 1603. apud Niuellium.*

n *Lib. de Præſcript. ca. 17.*

Digitized by Google

Canone 2. Carthaginienſe Cōcilium interdicit, omnibus Epiſcopis, Presbyteris ac Diaconibus cōiugij vſum, idq́; hac potiſſimum ratione: *vt quod, inquiunt, Apoſtoli docuerunt, & ipſa ſeruauit antiquitas, nos quoque cuſtodiamus.* o Gregorius Turonenſis ſcribit, ex B. Petri Apoſtoli inſtitutione, prouenire, vt Sacerdotes in vertice attonſi ſint, ac coronæ orbiculo inſigniti Ioannes *p* Caſſianus veterū priſcæ ætatis Monachorum ac Monaſteriorum ritum accuratè deſcribens, affirmat iam inde ab ipſis Apoſtolorum temporibus Monachos certa ſibi adſignata habuiſſe domicilia, in quibus peculiari viuendi modo cœleſte numen colerent. Primum *q* Braccarenſe in Hiſpania actum Concilium, ex traditione Apoſtolica dicit Sacerdotibus in Miſſæ ſacrificio populum hiſce verbis ſalutantibus, *Dominus vobiſcum*, reſpondendum, *& cum ſpiritu tuo.* Secundo Matiſconenſis *r* Gallicana Synodus, ex diuino præcepto decernit, quolibet die Dominico, ſacrum Miſſæ officium reuerenter audiendum. Vigilius *ſ* Papa teſtatur, Canonem Miſſæ, hoc eſt præcipuam huius ſacrificij partem, quem omnium maximè hæretici noſtri conuitiantur & impugnant, non aliundè quàm ex Apoſtolica prouenire traditione.

o *Libr. de Glor. Mart. cap. 28.*

p *Epiſt. ad Caſtorem Epiſcop. & lib. 1. de Inſtitut. Monach. ca. 4. & 5.*

q *Braccarẽſe Concil. 1. cap. 21.*

r *Cap. 4.*

ſ *Epiſt. ad Euther. Epiſcop. Hiſpan.*

CAP. VI. BEATVS Dionyſius Areopagita diſcipulus Diui Pauli, eoq́; adhuc viuente, Athenienſiū Epiſcopus, poſtmodum verò ad Pariſiēſem tranſlatus Epiſcopatum, cum nimirū

adhuc

adhuc S. Euangeliſta Ioannis ſupereſſet; hic inquam talis ac tantus vir, inſigne opus de Eccleſiaſtica Hierarchia poſteris reliquit; in quo nō ſolum Eccleſiæ ritus ac cæremonias, Apoſtolorum temporibus ab omnibus Chriſti fidelibus in diuinis officijs vſurpatas, deſcribit; verùm etiam eorundem liquidiſſimā adiungit explicationē, ita vt pro Apoſtolicis debeāt haberi Traditionibus. Inter cætera autem dicit, baptizandorum capitibus manus ab Epiſcopo imponi, deinde cruce conſignari, atque ad Occidentem ſtatui, ibique terno flatu inſufflari, fidem edoceri, & vt Sathanæ pompis renuntient: item ter ſacro oleo in modum crucis inungi; Tandem verò aqua perfuſum baptizari, & veſte alba indui, addito etiam cōfirmationis Sacramento, cum ſuſceptione Euchariſtię. De ſanctiſſimo verò tremēdi altaris Sacrificio verba ad longū faciēs, dicit Sacerdotē ad altare cōſiſtentē, auſpicari diuiniſſimū hoc officiū à Pſalmorum melodia, cōcinentibus ſecum ſacra carmina omnibus Eccleſiaſtici ordinis gradibus, deinde miniſtrorū officio ſanctarum ſcripturarum lectionem ſuo ordine recitari. Qui verò ipſius Ordinis præcipui ſunt (Diaconus nempe, & Subdiaconus) ſanctum panem, & benedictionis calicem altari imponunt, cùm ante præceſſerit ab omni Clero vniuerſalis laus & cōfeſſio. Ad hęc venerādus Antiſtes orationē Dominicam pagēs (hanc etenim in Miſſæ ſacrificio recitari ſoli-

Cap. 2.

Cap. 3.

ſolitam, teſtis eſt tam *a* Hieronymus, quàm *b* Gregorius) pacem ſanctam omnibus nunciat, & cùm ſe mutuo omnes ſalutauerint, myſtica Sanctorum recitatio fit, &c. Addit deinde, Sacerdotes manus ſolere abluere, Sacramentum ipſum conficere & conſecrare, conſecratum oſtendere, oſtenſum populo ſumendum reuerenter porrigere. Quæ quidem ſacrorum peragendorum cæremoniæ, etiamnum hoc tempore nobis Catholicis vſitatę ſunt; immò & Gręcis & Chaldęis. Sacri chriſmatis, quo Chriſti fidelium frontes Confirmationis tempore conſignantur, confectionem: pulchrè admodum deſcribit: nec non & Presbyterorum Ordinationem, cum impoſitione manuum (vti ſupra latius à nobis diſſertum eſt) Epiſcopalium, ſuperaddito crucis ſignaculo, quo in omnibus Sacramentis vtendum eſſe, teſtis eſt Auguſtinus. De Monaſtica autem profeſſione quid dicam? Eam Dionyſius adeo accuratè ſuis proſequitur laudibus, vt dictu mirum ſit. Dicit enim Monachis iſta tempeſtate vſitatum fuiſſe vota edere, rerum temporalium poſſeſſionibus renuntiare, perfectioni anhelare, veſtes peculiares ſuo ſtatui conuenientes aſſumere, verticem attonſum geſtare, benedictionem cum ſigni crucis impreſſione à Sacerdote expetere, atque ab eodem ſacram communionem percipere. Tum quoque, quibus ritibus Chriſtianorum olim corpora ad ſepulchrum deferri ſoleāt, ſufficienter edocet;

a Lib. 3. contra Pelagiā.
b Gregor. lib. 7. Epiſt. Indict. 2. ca. 63.
Cap. 4.
Cap. 5.
Tractat. 118. in Ioan. Et ſerm 19. de Sanctis.
Cap. 6.
Cap. 7.

cet; nimirum cum pſalmorum cantu, recitatione precum, ſacri olei (huius autem loco nos aqua luſtrali vtimur) inunctione, habita inſuper etiam oratione funebri, in defuncti commendationem. Scribens quoque ad Demophilum Monachum, recenſet modum, quo Chriſtiani ſua ſoleant peccata iſtis Apoſtolicis temporibus olim cõfiteri: nimirum in ſecreto, adgeniculando Sacerdotum pedibus, prout etiamnum hodiè fieri cernimus. *Epiſt. 2.*

CAP. VII.

MVLTA conſimilia B. Clemens Pontifex ac Martyr, Diui Petri diſcipulus, in octo Apoſtolicarum Conſtitutionum libris, ab Antiquis Eccleſiæ Patribus ſummè laudatis, commemorat; quæ vti oculatus teſtis, ab Apoſtolis ipſis didicerat hauſeratque: nempe de *a* Sacrificio Miſſæ, *b* voto caſtitatis, inunctione *c* chriſmatis tam in baptiſmi, quã etiam Confirmationis Sacramento, de ordinatione *d* Epiſcoporum, Presbyterorũ, Diaconorum, Subdiaconorum, Lectorum, & Exorciſtarum, de aquæ *e* luſtralis ac ſacri olei vſu: *f* de feſtis denique diebus, *g* ac precibus pro defunctis, atque id generis alijs Apoſtolicis ritibus. S. IGNATIVS diſcipulus B. Ioannis Euangeliſtæ, qui Romæ an. 110. martyrio occubuit, hoc eſt octauo poſt præceptoris ſui obitum anno, in omnibus ferè ſuis epiſtolis (ſunt autem numero duodecim) Apoſtolicarum ſuo tempore apud omnes paſſim Chriſtianos vſitatarum traditionum, ſicuti

a *Lib. 2. & 8.*
b *Lib. 3. ca. 1.*
c *Lib. 3. c. 15.*
d *Lib. 8. cap. 16. & 17.*
e *Lib. 8. c. 29.*
f *Lib. 8. c. 33.*
g *Lib. 8. cap. 13. & 14.*

ſicuti à præceptore ſuo B. Ioanne edoctus erat, meminit. Scribit ergo in hiſce epiſtolis, quod Epiſcopis Sacerdotes ſubiecti & obedietes eſſe debeāt; Sacerdotibus, Diaconi; & populus prefatis omnibus vna cũ Regibus & Imperatoribus: itē Diaconos non ciborum potuũvè miniſtros, ſed Eccleſiæ DEI adminiſtratores eſſe; vti Sāctus ille Stephanus, Iacobi, & Presbyterorum Hieroſolymis agentiũ miniſter erat; Timotheus & Linus, Pauli: Anacletus & Clemens, Petri. Quadrageſimæ quoq; ieiunium, exēplo CHRISTI frequētandum inculcat, necnon & ſingulis hebdomadibus bis abſtinendũ. Salutat inſuper Collegium, hoc eſt Virginum ac Viduarum Monaſterium. Meminit & minorum Ordinum, nempè Lectorum, Exorciſtarum, Ianitorum &c. Approbat altariũ oblationumq; in Eccleſijs vſum, vetatq; matrimonij Sacramentũ ſine Epiſcopi aut Presbyteri cōſenſu vel præſentia contrahi. SANCTVS quoque POLYCARPVS, Smyrneuſiũ Epiſcopus, & B. Ioannis Apoſtoli diſcipulus in Epiſtola ad Philippenſes, ſcribit de honore Presbyteris ac Diaconibus exhibēdo; nō enim hominũ, inquit, ſed CHRISTI ſunt miniſtri. MARTIALIS vnus è ſeptuaginta duobus Chriſti diſcipulis, miſſus à B. Petro ad Epiſcopatum Lemouicēſem in Gallijs, qui vita functus eſt an. Dñi 74. in duabus ſuis ad Burdegalēſes & Tholoſanos epiſtolis etiānum extantibus, ſcribit ſe curaſſe cōſecrari altare in honorē S. Ste-

Epiſt. 6. & 7.

Epiſt. 2. ad Trallianos, & Heronem Diaconum.

Epiſt. 5.

Epiſt. 9.

Epiſt. 11.

S. Stephani Protomartyris, ad offerendum in illo Dominici corporis & Sanguinis Sacrificium, nō quidē Angelis, vel hominibus, ſed DEO ſoli. Multus inſuper eſt, in commendādis ſanctæ crucis virtutibus, perquam & luſtrali fonti benè precamur, alijſque Catholicæ Eccleſiæ ritibus confirmandis; licet omnia hæc, à nouis noſtrorum temporū hæreticis pro corruptelis habeantur. *Epiſt. 1. ca. 3.* *Ibidem ca. 8.*

CAP. VIII.

HABES ergo mi dilectiſſime, quid nos Catholici de Traditionibus ſentiamus. Quæ quidē eo libētius copioſiuſq; explicui, vt ad oculum tibi demōſtrarem, ꝙ humanas inſtitutiones, Pontificū videlicet, Epiſcoporū, Conciliorumq; haud quaquā DEI verbo ęquiparemus, tātum abeſt vt præferamus, aut eius loco habeamus, proq; fidei noſtræ fundamēto reputemus. Dei verbo in primis adhæreſcimus, atq; in eo nos ſolidamus, hocq; pro religionis Catholicę ſolidiſſimo fundamento ſubſternimus; addentes tamen, atque ex ſacrarum literarū Patrumq; antiquorum monumētis cōprobātes, nō omnia Bibliorū codice ſcripta contineri, quæ CHRISTVS ante paſſionē ſuam vel per ſe Apoſtolus docuit, vel poſtmodum per Spiritum Sanctum. Quæ vti litteris conſignata non ſunt, ita per Traditionem quaſi de manu ad manum, ad nos vſque peruenerunt, inter quæ potiſſimum illa ſunt quæ hactenus ad longum commemorauimus. Adſerimus inſuper, verbum DEI non ſcriptum, haud minus

verum

verum eſſe, minoriſve momenti, quam id quod ſcriptum: vtrunque enim Dei verbum eſt, & à Deo prolatum præceptumque. Neque ſcriptio quidquam vel addit, vel demit, maximè cùm conſtet verè DEI eſſe verbum, nullibique ſcriptum legatur, CHRISTVM Apoſtolis demandaſſe vt ſingulas res à ſe geſtas, ſcriptis poſteritati commendarent. Nō hæc mea, ſed omnium antiquorum Patrum, qui primis quingentis aut ſexcentis annis in Sancta Dei Eccleſia ſcriptis clari extiterunt, vnanimis eſt ſententia. Lege, ſi placet, *a* Dionyſium Areopagitam, *b* Irenæum, *c* Origenem, *d* Baſilium, *e* Gregorium Naziãzenum, *f* Tertullianum, *g* Hieronymum, & Auguſtinum, varijs quidem in locis, maximè tamen aduerſus Donatiſtas libris. Quemadmodum enim hæretici omnes cuiuſcunque generis ſint, Apoſtolicas ſemper traditiones, vtpote ſibi noxias, contemnere ac reijcere ſolent, (per has quippe fidei Catholicæ ab antiquiſſimis Patribus nobis traditæ vetuſtatem cōprobamus) Scripturas ſolummodo admittētes, eaſque ad placita ſua malè detorquētes: ita priſcæ Eccleſiæ Doctores tanquam auitæ fidei ſtrenui propugnatores, Apoſtolicarum traditionum veritate hæreticas nouitates nunquam non profligarunt, prout etiamnum vſitatum nobis eſt. Vnde ſanctiſſimus Mediolanenſium Archiepiſcopus Manſuetus, vna cum ipſo Mediolanenſi Concilio, anno Domini 681. celebrato, in hæc verba ad Con-

a *Cap. 1. Eccleſiaſt. Hierarch.*
b *Lib. 3. c. 4.*
c *Homil. 5. in Numer.*
d *Cap. 27. de Spiritu S.*
e *Orat. in Iulian.*
f *Lib. de Præſcript.*
g *Dial. contra Luciferianos.*

Digitized by Google

Conſtantinum huius nominis quartum Romanorum Induperatorem ſcribens; dicit, *illos dementiſſimæ mentis eſſe, qui Apoſtolicas Traditiones, & Venerabilium Patrum inſtituta deprauare feſtinant. Nos enim omnes vnà cum eorum ſancta deuotione pari deuotione & reuerentia Traditiones Sanctorum Apoſtolorũ, ſeu Reuerendiſſimorũ Patrum qui in ſupradictis Concilijs adfuerunt, omni cum reuerentia ſuſcipere, amplecti, defendere, prædicare, præcipuè ſanctæ memoriæ Leonis Apoſtolicæ Sedis Præſulis dicta, ſed etiã Orthodoxos Patres, qui per diuerſa loca zelo Dei feruẽtes, dogmata ſalutaria nobis reliquerũt: vt venerãdæ memoriæ Gregorius Nazianzenus, Baſilius, Cyrillus Alexandrinus, Athanaſius, Ioannes Chryſoſtomus, Hilarius, Auguſtinus, Ambroſius, & omni luce cõſpicuus Hieronymus Presbyter. Quicquid hi docuerunt, ſapuerunt, prædicauerunt, vel defenſores exſtiterunt, nos eorum acta vel ſtatuta omni deuotione ſuſcipimus.*

CAP. IX.

DEMVM vt ad obiectionẽ ſeu antitheſin tuã reuertamur, dico te in tota Scriptura ſacra nuſquã inuenire *Inprimis*, diuinas ſeu Apoſtolicas Traditiones nõ licere pro DEI verbo acceptare, quippe quæ potius diuinæ ſunt dicẽdæ inſtitutiones, quam traditiones humanę; *deinde*, nullibi eſſe ſcriptum, omnes humanas inſtitutiones ſeu præceptiones, cõtemnendas, ac pro nihilo ducendas eſſe. Docet enim CHRISTVS ipſe contrariũ, cùm de ſcribarum ac Phariſæorũ inſtitutis Apo-

Matt. 23. ſtolis diſſerens, inquit: *Omnia quacunque dixerint vobis, facite; ſecundùm opera verò illorum nolite facere*. Alias enim nemo patri aut matri hero aut heræ, Principi vel Magnati dicto obediens eſſet, eorumq; præceptis ac decretis morem gereret. *Tertiò*, licere ſine vllo conſcientiæ remorſu, ſanctæ inſtituta Eccleſiæ violare ac tranſgredi; quæ cùm mater noſtra ſit, atque in ſacri baptiſmatis lauacro nos regenerauerit, fas habet imperitandi nobis, eaque quæ ſaluti proficua ſunt, præſcribendi. *Poſtremo*, Eandem Sanctam Catholicam Eccleſiam quippiã hactenus nobis propoſuiſſe, aut etiã de cætero poſſe proponere, quod DEI verbo aliquatenus repugnet. Hæc etenim quatuor nullibi in Scripturis reperies: ſed illorum quæ ſubiungimus mentionẽ nonnunq̃ ibidem inuenies, ſcilicet *primò*, quod Scribæ ac Phariſæi in veteri Teſtamẽto nõnullas humanas inſtituerint cæremonias, verbo Dei cõtrarias: de quibus à Chriſto reprehẽſi ſint. *Secundò*, huiuſcemodi traditiuncularũ Præceptoribus obtemperandum nõ eſſe. *Tertiò*, Sanctam Eccleſiam Catholicã tale quid nunquã præſumpturam. Quę licet ex hominibus tantùm cõgregata ſit, & adunata, regitur tamen Sancti Spiritus inſtinctu ac prouidentia, qui docet eam omnẽ veritatem, ſemper ei fideliter atque inceſſanter adſiſtens, non minus quàm ipſe quoque ſponſus CHRISTVS IESVS Dominus noſter, cuius prouidẽtia, perpetuæ veri-

Matt. 15.

1. Tim. 3.

veritatis columna eſt effecta. Quæ idcirco nihil nos docere aliud poterit, quàm veriſſimam puriſſimamque CHRISTI ſponſi ſui doctrinam, nihilq́; aliud proponere, quàm quod proficuum ac ſalutare ſit, ipſiq́; ſponſo pergratum & acceptum. Videſnè ergo, amice mi, quanta in te ſit prudentia, quãta ſacrarum Scripturarum intelligẽtia, qui CHRISTI increpatoria verba de Scribis ac Phariſæis prolata, ad ſanctiſſimas Eccleſiæ Traditiones detorquere conaris, quæ iſta tempeſtate nec dum quidquam inſtituerat? Itaq; quę contra nos in medium adfers, haud quaquam Chriſti eſt Euangelium, ſed Lutheri *Eigenvvillium*, propria ſcilicet volũtas, atq; adulterinus veri Euangelij ſenſus.

CONCLVSIO ANTAGONISTAE.

Ex quo neceſſario ſequitur, vnicum Papatûs fundamentum hac ratione conuelli, ac penitus euerti. Quod eſt, Traditiones Romanæ Eccleſiæ, quas Põtifices pro ſuo arbitratu introduxerunt, pro verbo Dei, doctrinaqúe Apoſtolica inuiolabiliter, atque irreprehenſibiliter admittentas eſſe. E contra verò manifeſtum euadit. Reformatorum fundamentum

inconuulſum ac ſolidum permanere, nolentium in rebus fidei humanis inniti traditiunculis aut inſtitutionibus, ſed diuinæ ſolummodò voluntati, ſacris in literis euidenter apparenti.

CAP. X. APPARET ex hac Concluſione tua, mi chariſſime, te vel ſtupidum nimis, vel malitioſum eſſe. Si enim ita vt ſcribis ſentis, ſtupidus & indoctus es; ſi contra, malitioſus & improbus. Vos Lutheranicæ fæcis Prædicutij, Catholicos apud rudē plebeculā cauillis ac cōuitijs nequiter traducitis, emētientes nihil nos aliud præter humanarum inſtitutionum traditiunculas, admittere aut credere; hincq; exclamatis, Papiſticos meras habere Pontificū atque Epiſcoporū (qui eas pro ſuo beneplacito inſtituunt ac deſtruūt) inſtitutiones, quibus Eccleſia noſtra fundata ſit: vos autem puro ſolius DEI verbo niti, repudiantes humana hæc commenta, de quibus nec CHRISTVS, nec Apoſtoli quidquā olim elocuti ſint. Verum ſtupidum hoc eſt, immò fœtidum & abominabile mendaciū. Non inſiſtimus humanis (procul hoc à nobis) cōmentis, ſed diuinis documentis & ſinceriſſimo Dei verbo, quod CHRISTVS vel viua voce, vel per Sancti Spiritus miſſionem Apoſtolos ſuos edocuit: Apoſtoli verò, ſuæ diſciplinæ alumnos, à quibus quaſi per manus

mus ad nos inuiolabiliter peruenit. Itaque de hoc potius controuertitur: an ſcilicet omnia quæ CHRISTVS Apoſtolos hoc pacto edocuit, Scripturarum monumentis ad poſteros tranſmiſſa ſint: tum, an ſingula quæque, quæ præter Scripturas obſeruamus, humanæ ſint traditiones, ac hominum commenta. Hæretici quotquot ſunt, adfirmant; Catholici negant. Non enim vel vllum ex Scripturis vos profertis verbum, è quo conuincitis vel probatis, præceptum eſſe à CHRISTO, quod omnia ſcriptis cōſignarentur, vel quod actu omnia ſcripta ſint, & quod præter hæc quæ literis exarata sūt, nihil aliud credere aut obſeruare liceat. Quin potius è contra, tam in Scripturis, quàm in antiquiſſimorum Patrum, qui primis ſex ſeculis floruerunt, monumētis, tria hæc ad oculum conſtant. *Primò*, ſcilicet, non omnia de quibus CHRISTVS Apoſtolos inſtruxit, conſcribi calamo debuiſſe. Hoc etenim ipſius CHRISTI verba innuunt, dicentis: *Nolite ſanctum dare canibus, neque mittatis margaritas veſtras ante porcos: ne fortè conculcent eas pedibus ſuis, & canes conuerſi dirumpant vos*. Quod ſcriptis mandatum eſt, publici fit iuris atque ab omnibus legitur; adeo vt Ethnicorum plerique, ſacras etiam Chriſtianorum peruolutarint literas; nempe Galenus, Simplicius, Porphyrius, Alexander, Auerroes, Lucianus, & nonnulli alij, qui riſui ac contem-

Matth. 7. verſ. 6.

 ptui

ptui eas habuerũt. Quod ne in abditis ſacrarum rerum myſterijs, vtpote Eccleſiæ Sacramentis, ac ſupercœleſti Miſſæ ſacrificio, itidẽ eueniret, noluit CHRISTVS ea ſcribi, ſed potius ore ad os per idoneos cõmendari: vti Paulus olim præſcripſit Timotheo; *Bonum*, inquiens, *depoſitum cuſtodi per Spiritum*
2. Tim. 1. 14. *Sanctũ qui habitat in nobis*. *Et quæ audiſti à me*
2. Tim. 2. 2. *per multos teſtes, hæc commẽda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere*. Bonum
Lib. 3. cap. 3. hoc depoſitũ (interprete Irenæo) Apoſtolicę ſũt Traditiones. Atq; hinc apud veteres primitiuæ Eccleſiæ Patres, cõmuni conſuetudine receptum erat, vt parcè admodum & ſobriè in publicis ſcriptis & cõcionibus mẽtio de arcanis ſacrorum myſterijs, haberetur: idque tam propter Gentiles, quàm propter Catechumenos, nec dum ſalutaris vndę lauacro expiatos. De his enim tam arcanis myſterijs, quale eſt in primis tremendum ſacri altaris ſacrificium, ſi quæ fortè mẽtio in-
Tractatu 11. & 96. in Ioan. & in Pſal. 109. & Serm 46. de verbis Domini. cideſſet, occultioribus quibuſdam verbis diſſimulabatur. Vti varijs in locis videre licet apud B. Auguſtinum, qui de veritate corporis & ſanguinis Chriſti præſentibus catechumenis loquens, communiter ita ſolet di-
a Lib. 10. de ciuit. Dei, cap 6. cere: *a Sacramentum quod norunt fideles*. Et alibi: *b Sacrificium verum, quod fideles norũt*. *c Nam Catechumenis*, inquit, *Sacramenta fidelium non produntur*: Itaque Gentiles noſtro-
b in Pſal. 39. c Tract. 96. in Ioan. rũ ignari myſteriorũ, acriter nos quandoq; ſuis inuadebant calumnijs, obiectãtes Chri-
ſtianos

ſtianos humanas deuorare carnes, infantes occidere, ac Presbyterorum pudẽda adorare: vidẽtes nimirũ cõfeſſionis tempore, multos Sacerdotum pedibus aduolui, ijſque adgeniculari. De quo videndus Tertullianus, nec non & Minutius felix in octauio, in conflictu illo, ſeu diſputatione, quam cũ Cecilio Ethnico hac ſuper re habuit, ad annum circiter Domini 211. Atque ideo fit, vt rariſſimè in Antiquorum Patrum ſcriptis reperiatur illorum verborum forma, quibus Sacramẽta conficiuntur; & maximè Confirmationis, Extremæ Vnctionis, ac Sacræ Ordinationis: Non enim, vt Dionyſius ait Areopagita, fas erat, tam arcana ſacrorum verba myſteriorum in publicum proferre. Beatus quoque Innocentius iſtius nominis primus Romanæ Eccleſiæ Pontifex, loquens de Confirmationis Sacramento, ſcribit ſe minimè auſum fuiſſe, verba illa quibus confertur, litteris commendare; ne, quæ celata oportet, omnibus fiant manifeſta. Adde, quod præfatus Areopagita Dionyſius, ſcribens in præfatione ad Timotheum Epiſcopum de occultioribus Chriſtianorum myſterijs Sacramentorũ vſum præcipuè concernentibus, eundẽ ſerio commonefacit, ne publicari ea ſinat, vel ad aliorum peruenire notitiam, præterquam Epiſcoporum Presbyterorumque; quibus pro ordinis ſuſcepti ratione competit ea adminiſtrare, populoque diſtribuere. Atque hæc potiſſimum cauſa, cur

Tertull in Apologet.

Cap. 7. Eccleſiaſt. Hierarchia.

Epiſt. 1.

Cap. 2. Ecclеſ. Hierarchia.

ſanctiſſima huius eiuſdem Dionyſij literarũ monumenta, primis iſtis gentilium ac hæreticorum temporibus non tam in propatulo apud omnes fuerint: ſecretiſſimis enim referta ſunt myſterijs infidelibus iſtis ethnicis, atque hæreticis perfidis irriſoribus nullatenus patefacienda. Quamquam penes Romanum Pontificem, tanquã primarium Catholicæ Eccleſiæ Doctorem, ac Paſtorẽ, præfati B. Dionyſij (vti ex Diuo Gregorio manifeſtum eſt) libri ſemper fuerint.

Homil 34. in Euang.

CAP. XI.

SECVNDO, conſtat tam ex Patrum antiquorũ ſcriptis, quã ex ſacris literis, quod Apoſtoli Chriſti præcepto inſiſtentes, non omnia cõſcripſerint. Maior etenim illorum pars, ne gry quidẽ ſuorũ nobis ſcriptorũ reliquit. Alij verò ſat pauca, ſi ad iſta conferas, quæ fidei myſteria ac Chriſtianæ Reipublicæ ſtatum concernunt. Quæ autem in ſcripta redegerunt, præſtita ſingulari aliqua occaſione fecerunt, nõ autem vt omnia fidei documenta ſcriptis traderent, aut explicarent. Si enim hoc cordi ipſis fuiſſet, debuiſſent communicato conſilio integrũ aliquod volumen confeciſſe, vel alijs conficiendum demandaſſe; idque adeo manifeſtis indicijs, ne quis forte his quidpiam ſuperaddere potuiſſet. Matthæus Chriſtianis Hebręis Hebraicè Euãgelium, ſeu res à Chriſto præclarè geſtas conſcripſit: Lucas Gręcis, Gręcè: Marcus Latinis, primo latine (vti in templo S. Marci Venetijs anno ſuperiori oculis ipſe

Ipſe conſpexi meis) poſtmodum Græcè. Ioanni Euangeliſtæ cum Cerintho ac Ebione peſſimis ſuæ ætatis hæreticis res fuit. Paulus ſimiliter, maiorem Epiſtolarum ſuarum partem aduerſus eoſdē elucubratus eſt, nēpè Simonem Magum, Cerinthum, Ebionem ac ſceleſtiſſimos Gnoſticos: licet nonnullas interim pro pace concilianda conſcripſerit, vtpotè ad Romanos, Corinthios, Philemonem. Cæteri quatuor Apoſtoli, nempè Iacobus, Petrus, Ioannes & Iudas cum indoctis quibuſdam atque inſtabilibus (vti B. Petrus ipſe teſtatur) conflixerunt, ex Pauli epiſtolis probare conantibus, fidem ſolam ſine vllis operibus (quod proh dolor etiam noſtræ ætatis hæretici adſerunt) ſaluare. Fecêre ergo Apoſtoli in Eccleſia Catholica, quod in qualibet benè conſtituta Republica fieri paſſim videmus, vbi præter Statuta literis conſignata, etiam nonnullæ conſuetudines non ſcriptæ obſeruantur. Liquet hoc ex ipſa Sacra ſcriptura, vbi Apoſtolus Theſſalonicenſes hiſce adhortatur verbis: *State,* inquit, *& tenete traditiones, quas didiciſtis: ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam noſtrā.* vbi manifeſtè indicat, multa ſe ijs mandata non ſcripta reliquiſſe, ſed oretenùs inculcata: adeo quidem, vt Chryſoſtomus dicat, Apoſtolos non quæcunque egerunt, illa eadem & ſcripſiſſe. Quin immò, lege Patres omnes ſuperiùs à nobis citatos, omneſque qui aduerſus hæreſes manus conſeruerunt, & in-

2. Petr. 3.

Ita D. Auguſtin. lib. de fide & operibus: ſeu potius Fulgentius cap. 14.

2. Theſſ. 2.

Homil. 4. in 2. ad Theſſ.

uenies ita ſe rem habere. Ioannes quippè Apoſtolus in ſecunda & tertia ſua epiſtola, dicit ſe multa intacta reliquiſſe, atque in ſuum aduentũ reſeruaſſe, nolẽs ea per chartam & atramentum manifeſta facere. Quæ tamen omnia, dubio procul, diuinæ erant inſtructiones, taliaq́; documenta, quæ tales decebant Apoſtolos, hoc eſt viros ſanctiſſimos, ac Spiritu ſancto pleniſſimos.

CAP. XII. TERTIO, In ſcriptura datur manifeſta ratio, quare non omnis CHRISTI doctrina ſit calamo & atramento exarata, immò & exarari prohibita: nempè quod cœleſtis ille paracletus certiori ac faciliore in Eccleſia Scripturas explicandi tradendique methodo vtatur; inſculpendo ſingula efficatius Chriſti fidelium cordibus, prout per Prophetã Ieremiam à B. Paulo citatũ, ſe facturũ pollicitus erat, dicẽdo: *Hoc erit pactum quod feriã cum domo Iſrael, poſt dies illos dicit Dominus. Dabo lege meam in viſcerib⁹ eorum, & in corde eorum ſcribam eam*. De quo ſcribendi modo etiã ab Apoſtolo ad Corinthios diſſertũ eſt, aiente: *Vos* CHRISTI *epiſtola eſtis, miniſtrata à nobis, & ſcripta non atramento, ſed ſpiritu Dei viui: non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus*. Quæ quidem ſcriptio, Dei omnipotentis eſt cognitio, quàm Spiritus ſanctus per vniuerſum terrarum orbem Catholicis elargitur, vt in vna fide concorditer perſeuerantes, iiſdem Sacramentis vnanimiter ad Dei ſolius ſerui-

Hier. 31. v. 33.
Hebr. 10. verſ. 16.
2. Cor. 3. verſ. 3.

ſeruitium vtantur. Propter quod à Prophetis (Chriſto cõteſtate) vocãtur *docibiles Dei.* Hæc eſt etenim vnctio illa de qua Ioannes: *Vos vnctionem habetis à Sancto, & noſtis omnia. Et non neceſſe habetis vt aliquis doceat vos: ſed ſicut vnctio eius docet vos de omnibus, & verum eſt, & non eſt mendacium. Et ſicut docuit vos, manete in eo.* Hîc nobis B. Apoſtolus diuinam Spiritus ſancti ſcriptionem explicat; nempè quod fiat *inprimis* nõ virtute humana, ſed vnctione ſeu gratia Sancti Spiritus, Chriſtianorum cordibus fidem (quæ teſtante Paulo donum Dei eſt) infundentis. Quæ quidem gratia vnctio quædam eſt, corda noſtra emolliens, ſenſuſque inflectens ad credendum ea quæ humanum tranſcendunt intellectum. *Secundò*, hanc ſcriptionem per vniuerſam Eccleſiam diffuſam eſſe, ita quod omnes per Orbem Catholici (ne pueris quidem exceptis) norint modum Deo ſeruiendi, ob vnanimem illam ac concordem Catholicæ fidei vbique obſeruatam ac traditam doctrinam. Interrogati namque de Chriſtianæ religionis myſterijs, nempe de Sacroſancto Miſſæ officio, Sacramentorum numero, inuocatione Sanctorum, cultu imaginum, de indulgentijs, atque ad loca ſancta peregrinationibus; item de cœlibatu Eccleſiaſticorũ, religioſorũ votis, purgatorio; de auriculari denique confeſſione, &cæt. vno eodemque modo incunctanter reſpondent; idque ideo, quod

Eſai. 54. ver. 13.
Ioan. 6. v. 45.
1. Ioan. 2. v. 20. & v. 27.
Epheſ. 2.

quod vbique antiquus rerum diuinarũ frequentandarum ritus, per Patrum traditionem introductus, vniformiter obſeruatur. Illud autem vnum ex illis eſt, quæ Deus in veteri inſtrumento promiſit, ceu peculiare aliquod noui Teſtamenti munus, donumq́; eximium. Sic enim ait: *Non docebit vltra vir proximum ſuum, & vir fratrem ſuum, dicens: Cognoſce Dominum. Omnes enim cognoſcent me à minimo eorum, vſque ad maximum.* Hæc ſcriptio Dei, multo eſt perfectior illa quæ in codicibus exſtat. *Primò*, quia antiquitate excellit: ſic enim ſuperiùs à nobis demonſtratum eſt, dicentibus Diuum Matthæũ Euangeliſtam primum noui Teſtamenti ſcriptorem fuiſſe, qui ſeptẽ ad minus annis poſt Chriſti in cœlos aſcenſum, literis ſua conſignauit, cùm interim hæc Dei ſcriptio in omnium cordibus vbique viguerit. Quin immò, ne ipſi quidem Apoſtolorum atque Euangeliſtarum libri, ſtatim poſtquam ſcripti fuêre, ad omnium mox peruenerunt manus: quippè cùm B. Irenæus, qui circa annum Domini 180. floruit, dicat multas Chriſtianorũ prouincias, Traditiões potius in vſu habuiſſe, quàm literis exaratos codices. adeò vt à multis de varijs noui inſtrumenti libris dubitatum fuerit, nempè de Epiſtola Diui Iacobi, nec nõ & Pauli ad Hebræos, alijſque nonnullis: quoadusque temporis ſucceſſu, paulatim de his ſcriptis plenior enituit cognitio. *Secundò*, quod conſcripti libri, ex prio-

Hierm. 31. verſ. 34. Hebr. 8. verſ. 10.

priori procedant ſcriptione. Nihil enim aliud Apoſtoli & Euangeliſtæ ſcriptis commendarunt ſuis, quàm quod in Sancta Eccleſia à CHRISTO, ipſoque Spiritu ſancto in Pentecoſte viuæ vocis oraculo edocti erant; adeo quidem, vt Traditio ſit origo, ac quaſi genitrix Scripturarum. *Tertiò*, quod diuina hæc Dei ſcriptio latius ſeſe extendens, plura comprehendat: Omnia enim complectitur, quæ ſacris continentur Biblijs, & multò plura; cùm diuinas omnes Traditiones complectatur. Quemadmodum enim per Traditionem Sacræ ſcripturæ libros habemus, illoſque pro verè autenticis ſuſcipimus; ita & per eandem, reliqua Chriſti præcepta ac inſtitutiones non ſcriptas accepimus. *Quartò*, quod hæc viua Dei ſit ſcriptura, & ſui ipſius interpres, quæ à nemine per adulterinas expoſitiones queat corrumpi, atque alio (vti paſſim de ſacro Bibliorum textu fieri prôh dolor videmus) detorqueri. Facilè namque eſt malitioſis hominibus, ac perfidis hæreticis, ad ſcriptum Dei verbum quidquam addere, demere, mutare, corrumpere &c. quo illud ad ſuæ confirmationem hæreſeos in peruerſum ſenſum inflectant. Vti videre eſt, non in Arrio ſolùm, alijſque primitiuæ Eccleſiæ hæreticis, verum etiam noſtris iſtis nouatoribus, Luthero ac Caluino, eorumq; diſcipulis. Lutherus quippe diuinam illam B. Iacobi epiſtolã, tot ſalutaribus ſcatentem inſtructionibus, tanquam ſtramineam, exploſit.

Tertullian. Lib. de Præſcript. cap. 17. & 38.

ploſit. Caluinus etſi hanc quidem ſuſcipit, Machabæorum tamen libros conuitiatur. Et ſic de alijs; qui vt quos volunt libros reijciunt; ſic quos admittunt, falſa explicatione pro libitu deprauant.

CAP. XIII. CHRISTVS itaque niſi alio modo diuinum ſuum nobis reliquiſſet Verbum, quàm in exaratis codicibus reperitur, nō ſat præſidij ſponſæ ſuæ Eccleſiæ, aduerſus irruentes tot hæreticorum phalangas tuliſſet, nec ſufficienter ei conſuluiſſet. Scriptura enim ceu mortua litera, ſe ipſam tueri aut explicare non poteſt, quando à varijs vario ſenſu ventilatur atque exagitatur. Quæ ſi pro ſupremo iudice in omnibus fidei rebus dubijs ac controuerſis haberi deberet, iam profectò ipſa Sancta mater Eccleſia, quouis pupillo ac viduæ miſerior eſſet ac deſolatior. Hi enim ſi ab aduerſa parte vim patiantur ratione teſtamenti, quod vel maritus, vel parens condidit, mox ad magiſtratus confugiunt præſidium, qui ſinceram teſtatoris intentionem eruentes, afflictis oppreſſiſque opem ferunt. Verùm (eheu) miſera Chriſti ſponſa, diuturna ſponſi ſui orbata præſentia, relicto ſibi teſtamento, horrendos aliquot ſuſtinet inuaſores ac contradictores. Sunt enim ei tot capitaliſſimi hoſtes, quot vnquam in orbe peſtilentiſſimi fuerunt, ſunt, aut erunt hæretici. Quorum quilibet ſuo pro arbitratu aut malitia, miſerrimè hoc teſtamento ad ſuam

vtilitatem abutitur. Vnus enim dicit, quod prauum quid adiectum ſit, alius nonnulla deſiderari nugatur: nonnulli malè hactenus interpretatum eſſe dicunt: adeò vt quot in mundo ſunt homines, tot ferè ſint diuerſæ inter hæreticos hac de re ſententiæ. Quid igitur afflictæ CHRISTI ſponſæ in tam arduo, vbi de æterna periclitatur ſalute, faciendum erit negotio? Nunquid iuſtè ſuo valebit exprobrare ſponſo, quod omni deſtituta ſolatio, neminem ſibi adſignatum habeat, qui aduerſus hoſtilem inuaſionem eam tueatur, quique in his vbi ab hęreticorum prauis interpretationibus vim ſuſtinet, verum diuinorum verborum ſenſum propugnet? Haud dubium, quin plurimis ſponſam ſuam expoſuiſſet periculis CHRISTVS: nec æterna Patris ſapientia ac ſumma bonitas, ſat benignũ ſe erga eam exhibuiſſet. Verùm quia tale quid de pijſſimo ac benigno Saluatore nefas eſt cogitare, ac nimis ſacrilegũ affirmare, fatẽdum eſt, nolimus, velimus, vnũ eſſe in Eccleſia conſtitutũ Iudicem, qui de Scripturis ſententiã ferens, manifeſtè decernat, qui nam Sacrę Scripturę libri pro Canonicis ſint habendi, & quo pacto Catholicè eos intelligere oporteat.
Hic autem iudex, eſt verbum DEI, Chriſti fidelium cordibus per totum terrarum Orbem inſcriptum inſculptumque: hoc eſt diuina Traditio, ab Apoſtolis vſque ad nos deriuata. Ad cuius normam ſacram ſcri-

ſcripturam, & quicquid religionem cõcer-nit, dirigere oportet: non quidem pro humana ſed pro diuina diſpoſitione, ſine ſcriptura de manu ad manum nobis tranſmiſſa.

SEXTA CATHOLICORVM PROPOSITIO.

Porrò ad huius confirmationem Propoſitionis, petitur vt Martiniſtæ, Caluiniſtæ, alijq́ ſectarij oſtendant, vbinam ſcriptum inueniant, Matthæi nimirum Euangelium, potius ſacram eſſe Scripturam, quàm Nicodemi. Quod cùm facere non valeant, credentes tamẽ interim Matthæi Euangelium verum eſſe Dei verbum, fateantur neceſſe eſt, ſe nonnulla credere ac tenere, quæ in Scripturis non inueniuntur.

CAP. I.

HAEC Propoſitio vt ſectarijs omnibus, ſic noſtri præſertim ſeculi hæreticis multas ſæpè faceſſiuit moleſtias ac difficultates. Et quamquam varij varia moliantur, nihil tamen quod alicuius ſit momenti in medium adferunt: quippè qui non poſſint contrà hiſcere, nec ſolidi quid reſpondere ad Ca-

ad Catholicorum, hoc modo argumentantium Syllogiſmum.

Euangelium ſecundùm Matthæum eſſe verbum Dei, nuſquam ſcriptum eſt.
Euangelium autem ſecundùm Matthęum eſſe verbum Dei, certò nos oportet credere.
Ergo certò aliquid oportet credere, quod nuſquam ſcriptum eſt.

Vnde manifeſtè conſequitur, falſum eſſe hæreticorum fundamentum, dicentium nõ habendam eſſe fidem iis, quæ ſacris nõn continẽtur literis. Quo tamen fundamẽto nixi, oẽs penitus Traditiones petulanter reijciũt, ſiue diuinæ illæ ſint, ſiue Apoſtolicæ, aut etiam humanæ. Meus verò Antagoniſta hæſitabundus vacillans, quantum ego opinor, ſeipſum non intelligit, atque ideo ne tacuiſſe omninò videatur, hæc quæ ſequuntur, impudenter atque ignoranter effutit.

ANTITHESIS AD SEXTAM CATHOLICORVM PROPOSITIONEM.

Quamuis autem in Sacra Scriptura non tam expreſſis verbis habeatur, Euangelium Matthæi ſcripturam eſſe ſacram, perſpicuum tamen eſt,

hoc ex eodem Euangelio, & conſequenter ex tota Scriptura ſacra certius & melius probari poſſe, quàm ex Eccleſiæ teſtimonio. Quod lubenter in vero ſenſu aut vſu agnoſcentes, haud tamen ſufficiens iudicamus, quò liquidò probari poßit hominibus, quempiam Sacræ ſcripturæ librũ, vel tota Biblia eſſe verbum Dei.

CAP. II.

Quatuor ebalbutit Antagoniſta.

QVID faris amice? vigilaſnè, an ſopore deprimeris, qui hæc tã ineptè ebalbutis? Tenebricoſa eſt hæc tua antitheſis. Atq; ideo etſi vix ſciam quid velis, videris tamen mihi quatuor velle dicere. Quorum *primũ* eſt, *in* *Primum eſt.* *Scriptura Sacra nõ tam expreßis verbis haberi, Euangeliũ Matthæi Scripturã eſſe ſacrã.* Quod cùm verũ ſit, dico te rem acu attigiſſe. Nuſq; enim hoc in toto Bibliorum corpore reperies, nõ ſolum de B. Matthęi Euãgelio, ſed ne de Marci quidem, aut etiã Ioannis. *Secundũ,* *Secundum.* Conſequenter *tamen ex tota Scriptura ſacra certius & melius probari poſſe, quàm Eccleſiæ teſtimonio.* Hanc conſequentiam audire affecto. Fateor quidẽ argumentis ex Scriptura oſtendi poſſe, oẽs Veteris ac Noui teſtimonij libros, quibus etiamnum vtimur, verbũ eſſe Dei, & Scripturam ſacrã; verùm conſequentia quæ inde conſequitur, vti tua non eſt, ita nec tibi (vt equidem arbitror) placebit. Sic ergo eam Syllogiſticè inſtituo.

Quic-

Quicquid Catholica nobis pandit Eccleſia, hoc ſine dubio verum eſt: quippe quæ columna & firmamentū eſt veritatis, edocta à Spiritu S. omnem veritatē: cui ſub pœna æternæ damnatiōis credere oportet. Qui enim Eccleſiā non audierit, erit nobis ſicut Ethnicus & Publicanus. *1. Timoth. 3.* *Ioan. 16.*

Atqui Eccleſia Catholica pādit nobis, ꝙ libri veteris ac noui Teſtamēti, quib. etiamnū vtimur, ſit verbū Dei & Scriptura Sacra. *Matth. 18.*

Ergo pro talibus neceſſariò eos habere oportet.

Hæc concluſio bona eſt, ſacræ teſtimonijs Scripturæ fundata, cui contradici nō poteſt. Nec eſt hîc aliud quid, quod inferri conſequenter oporteat.

CAP. III.

TVAM autem ſi conſtabilire velis conſequentiam, debebis quatuor ad minus è Scripturis probare. *Primò*, Eſſe aliq̃ noui Teſtamenti ſcripturā. Si enim hoc ex Apoſtolica aliqua ſcriptura mihi perſuadere velis, incumbet tibi probare talem Apoſtolicam ſcripturam, diuinam eſſe. In quo, dic quæſo, quo pacto te habebis cū Caſparo SWencfeldio, Coppino, & Quintino: qui cùm Libertiniſtæ ſint, Scripturas omnes contemnendo reijciunt? *Secundò*, cùm hoc euidenter iam probaueris, nimirum eſſe aliquam diuinam Scripturam, oportebit etiam probare, quænam illa ſit; vtrum Euangeliū Matthæi, Marci, Ioānis, an verò Nicodemi, Bartholomæi, aut Thomæ: ſiue etiam *Aduerſario quatuor è Scripturis probanda incumbunt.* *I.* *II.*

Hebræorum,aut Nazaræorum,quorum apud Diuum Hieronymum nonnunquã eſt mentio.Cupio namq; ſcire, cur potius velis me credere Marci Euangelio, qui non fuit è numero duodecim,quã Bartholomæi,Thomæ, Andreæ,Barnabæ,Thaddæi:itẽ quæ ſit ratio, quod potius fidem adſcribere debeã epiſtolæ Pauli ad Romanos, quàm illi quæ eſt ad Laodicenſes? Huius etenim ipſe ad Coloſſ. meminit,ſuperioris verò,nuſquã. Addo inſuper, probandum tibi, cur magis credere debeam Apoſtolorum Actis,à B.Luca literis conſignatis,quàm ijs quæ ſub nomine Petri, Philippi,Andreæ, aut Thomæ circumferuntur?Simili modo dicere licebit,de Apocalypſi B.Ioannis Apoſtoli, & Hermetis; *a* quem Paulus ſalutat,& antiquiſſimi nonnulli Patres,vt ſunt *b* Irenæus,*c* Tertullianus,nec nõ & *d* Clemens Alexandrinus olim magni fecerunt. *Tertiò*, his iam omnibus ad oculum demonſtratis,nempè Matthæi,Marci, Lucæ, & Ioannis Euangelium vnà cum B. Pauli ad Romanos & Corinthios epiſt. pro ſyncero Dei verbo habẽdum,adhuc probare tibi incumbet, an hi libri ſint ijdẽ illi, quibus nos nunc vtimur,& nõ alij. Poſſem enim dicere, horum Apoſtolorum ac Euangeliſtarum authẽtica ſcripta(vti de epiſtola ad Laodicenſes conſtat)intercidiſſe.Et cur quæſo non licebit mihi pro Matthæi Euãgelio Hebraicè ſcripto,amplecti illud Hebræorũ Euangelium, quod Sebaſtianus Munſterus ante annos aliquot

Coloſſ. 4. v.16.

a *Rom 16. ver.14. Hieron. de viris illuſtribus. Orige. in 16. ad Roman. Euſeb. Hiſtor.li.3.c.3.*
b *Lib.5.c.9.*
c *De Orat. cap.12.*
d *Lib 1. & 6. Stromatum.*

aliquot in Germania pro Authentico publicauit? *Quartò*, Vbi hoc tibi elargitus ero, libros noſtros veram eſſe Scripturam, ac Dei verbũ; reſtabit tibi ex Verbo Dei adhuc probandum, quod puri ſint, ac nullatenus per adulterinas additiones, detractiones, aut prauas explicationes ſiue ab Ethnicis, ſiue etiam hæreticis corrupti: quod probatu omninò neceſſariũ erit. Nullã namq; mihi producere poteris ſcripturam, quam non eadẽ facilitate queam repudiare: allegando, eam additione, aut detractione deprauatam eſſe. Quibus quidẽ difficultatibus, nos Catholici vna reſponſione facimus ſatis, inſiſtẽtes firmiter Apoſtolicæ Traditioni: per quã Sacræ Scripturæ codices ad nos ſinceri permanarunt, idq; per Dei verbum non ſcriptum, ſed Eccleſiæ viſceribus à Spiritu S. impreſſum. At verò vos hæretici, oẽs Sanctæ matris Eccleſiæ diuiniſſimas Traditiones repudiãtes, nihilq; quod non chartaceis ſcriptis exaratũ ſit, admittentes, quo pacto id euidenter demonſtrabitis? Non immeritò hæc res in magnas vos anguſtias adigit, vnde haud facilè queatis emergere. *IV.*

CALVINVS volens ſeſe extricare, duo nugaciter, ne dicam nequiter effutiuit. *Primò*, Scripturam per ſe manifeſtã fieri, ceu lucem è tenebris, ideoq; nullius egere illuſtratione. *Secundò*, quod quilibet Scripturã non agnoſcat, niſi afflatu Spiritus S. ſicuti lux à cæco conſpici non poteſt, ſed tantùm à viden-

CAP. IV. *Lib. 1. Inſtit. c. 7. Caluin. duobus ſeſe extricare conatur.* *I.* *II.*

Tria in Caluini reſponſione notanda.

videntibus. Vbi tria ſunt notanda. *Primò*, Scripturam, ſecundum Caluini reſponſum, lucem quidem eſſe, ſed non tam lucidma, à quouis queat conſpici. *Secundò*,
I. eandem hanc lucem ab his ſolum aduerti
II. & cognoſci, qui diuini Spiritus gratia ſunt adflati; cæteris namque cæcutientibus, hi ſolùm illam intuentur. Itaque qui hac Spiritus Sancti gratia donati non ſunt, ijs credere debent, qui eam habẽt, nempè Cal-
III. uino, Bezæ, eorundemque diſcipulis. *Tertiò*, quod ſi reſponſum hoc eſſet admittendum, ſequeretur cognitionem canonicorum librorum depẽdere ab ore illorum, qui ſe iactarent Spiritus S. gratia afflatos eſſe, Caluini ſcilicet & Bezæ aliarumque. Verum enimuerò, hîc iam quæſtio grauis oritur: quinam ſint illi, qui hunc Dei ſpiritum habent. Lutherus namque gloriabatur ſe tam certò hoc diuini numinis ſpiritu eſſe afflatũ, quàm certò ſciret Deum eſſe in cœlo: & tamen (ſecundum quod Zwingliani ac Caluiniſtæ de eo ſcribunt) magis ſpiritu diabolico, quàm diuino agitabatur. *Erat enim* (inquiunt) *Sathanatus, superſathanatus, perſathanatus; habens cor blaſphemum, & linguam mendacem.*

Naſus Cent. 1. Verita. 72.

Anabaptiſtæ quoq; nihil aliud crepãt, quàm ſe plenos eſſe Spiritu ſancto; licet alij interim è contra clamitent, nihil penitus eſſe in ijs diuini luminis, ſed potius obſeſſos eſſe ſpiritu libidinis, ſeditionis, & hypocriſeôs. Idem vno ore de Caluino & Beza cæteri o-

mnes

omnes vociferantur, conſtanter adfirmantes. plenos eos fuiſſe ſpiritu Sodomitę, ſuperbię, tyrannidis, rebellionis, ſeditionis, &cæt. Atque ideo ſcire non poteſt, quiſnam verè Spiritum ſanctum habeat; maximè cùm rectiſſimè nos B. Ioannes admoneat, non omni ſpiritui credendum eſſe. Omnes enim tam veteres, quàm hodierni hæretici iactitant ſe hoc ſpiritu præditos eſſe: cuius afflatu vnus Sancti Ioannis Euangelium reprobat, vti Alogiani: alius Marci & Lucæ, ſicuti Ebionitæ: nonnulli, omnes B. Pauli epiſtolas, quemadmodum Helcheſitæ: quidam Apoſtolorum Acta, vt Cerinthus, Cerdo, Titianus: Non nemo, Diui Iacobi epiſtolam ſicuti Lutherus: plerique epiſtolam ad Hebræos, quemadmodum Lutherani ferè oẽs. Sunt, quibus & Salomonis Sapientiæ liber, necnõ & Machabæorum vterque diſplicet, vtpotè tam Lutheranis, quàm Caluinianis, & omnibus qui huius fecis ſunt: idq; totum tamen adflatu Spiritus ſancti factitare ſeſe (ſi credere fas eſt) adſerunt. Verum nobis non fit veriſimile, quod ſpiritum queant habere diuinum, qui adeo abſurda, immò & longè inter ſe contraria, effutiunt. Caluinus epiſtolam Pauli ad Hebręos, ſicuti & Iacobi pro vero Dei verbo habet: Lutherus vti illam reijcit, ſic hanc ſtramineã ignominioſè nominat. Itaque horum alterum mentiri & errare (quod procul abeſt ab his qui ſpiritu Dei ſunt præditi) oportet. Videſnę *1. Ioan. 4.*

iam, amice mi, in quantas detrudaris abſurditates, cum hac tua tam inſulſa conſequentia? Non tibi Sanctæ matris Eccleſiæ teſtimonium ſatis eſt, cui tamen ex Dei omnipotentis voluntate, obaudire quilibet noſtrum debet, cùm ſit *columna & firmamentum veritatis*, cui veritas ipſa innititur, quæ extra hanc nuſquã alibi queat reperiri. Quæ quidem columna nunquam concidet; fundata namque eſt à Chriſto, & Spiritu ſancto: de quorum vtroq; Scriptura nos certos reddidit, quod in æternum ſuam nõ ſint deſerturi Eccleſiam: cuius CHRISTVS ipſe ſpõſus eſt, & Spiritus S. vita. Hanc Eccleſiam tu deſerens, fidem tuam fundare conaris ſuperignoto Spiritu, innitendo neſcio cuius Scripturæ conſequentiæ.

Matth. 18.
1. Timoth. 3.
Matt. 28.
Ioan. 16.

CAP. V.

TERTIÒ dicis *te libenter Eccleſiæ teſtimonium in vero vſu & ſenſu agnoſcere.* Quin & hic obſcurè loquens, non exprimis quam nam intelligas Eccleſiam; veſtramnè an noſtram. Forſitan intendis dicere cum Brentio & Kemnitio Lutheranis, nimirũ hanc ſolam Eccleſiæ Traditionem acceptandam, in qua Scripturam nobis tradit. Non enim opinor de veſtra Eccleſia ſermonem tibi, quæ ad annos plus mille quingentos adeò conſepulta fuit, vel ad minus occultata, vt à nemine agnoſci quiuerit, tantum obeſt, quod Scripturã tradere cuiquam potuerit. Noſtra autem Eccleſia à quolibet veſtrũ pro impudentiſſima mẽdace reprobatur, de qua dicitis, quod pro puro

puro Dei verbo, meras offerat nænias, Deo prorſus exoſas; nempè Miſſæ Sacrificiũ, Sanctorũ inuocationẽ, cultum imaginũ, preces pro defunctis, indulgentiarũ condonationẽ, 7. Sacramentorũ vſum, & id genus alia; quæ vobis nugæ ſunt mendaciſſimæ. Hinc enim eſt, quod in ſecunda tua Antitheſi affirmaſti, *Eccleſiam noſtram funditus eſſe collapſam*. Qui tuo iudicio ergo fieri poterit, vt huic mẽdaciſſimæ Eccleſiæ in hoc articulo fidẽ habeas? Si in alijs rebus omnibus, tuo iudicio, mentita eſt, an nõ & hîc mentiri audebit? Atq; ideo quarto loco ſubiungis: *eius teſtimonium te non ſufficiens iudicare, quo manifeſtè probari poßit hominibus, quempiam Sacræ Scripturæ librum, vel tota Biblia eſſe verbum Dei.* Hic clarius aliquod à te teſtimonium deſidero; vt enim omnes Sanctiſſimi Patres, qui primis ſexcentis aut ſeptingentis annis floruerunt, nullum alium hiſce in rebus iudicem quam Eccleſiam inueniunt, ſic nec ego; adeò vt ipſe B. Auguſtinus conſtanter adſeueret, *ſe non crediturum Euangelio, niſi* ECCLESIAE *eum commoueret auctoritas*. Vide hac de re Euſebij *a* Cæſareenſis Eccleſiaſticam hiſtoriam, in qua ipſe leges, quomodo ante ſua tempora id factitauerint Serapion, Clemens Alexandrinus, ipſeque Origenes cum alijs ſexcentis: neque inter Catholicos vllus eſt, qui aliter ſentiat.

Cap. 5. cõtra Epiſt. Fundamenti.

a *Lib. 6 cap. 10. 11. & 12.*

CONCLVSIO ANTAGONISTAE.

Liquet ergo, quod antecedens ſextæ Propoſitionis nullo prorſus nitatur fundamento, neq; ad rem vllam conducat, quam ad Euangelicæ Doctrinæ fundamentum labefactandum, diuinarumq; ſoliditatem ſcripturarum in dubium reuocandum.

CAP. VI. DVo hîc adſeris: quorum vt primum verũ eſt, ſic falſum alterum. Falſum etenim, immò craſſum eſt mendaciũ. *Antecedēs ſextæ propoſitionis nullo niti fundamento*, quippe cùm ne nunc quidẽ probaueris, vbi ſcriptum reperiatur, S. Matthæi Euangeliũ cæterorumq; Euangeliſtarũ, nec nõ & Apoſtolorũ libros, ſeu epiſtolas, verũ eſſe verbũ Dei: vnde cõſequentia tua, prætextus tantum excuſationis eſt, ne omnino tacuiſſe videare. Itaque apertius eam profer, vt exactius à nobis diſcutiatur. Iam enim retuli quid veſtri præceptores, Caluinus, Brentius & Kemnitius de hoc ſentiãt: vnde nõ opinor quod vos qui eorundẽ eſtis diſcipuli, ipſis ſuperiores eſſe velitis. Alterum autem verum eſſe videtur, ſcilicet argumentum meum in ſexta Propoſitione allatum ad hoc ſpectare, vt veſtri merito queant de Sacris Scripturis ambigere. Itaque velim mihi ad hunc ſyllogiſmũ categoricè reſpõdeatis. Quicquid in diuinis literis

expreſſè

expreſsè ſcriptū non eſt, credi omninò nō debet. Atqui nuſquā legitur Euangeliū Matthæi, Marci, cæterorumque Euangeliſtarum, prout nec Pauli, nec aliorum Apoſtolorum epiſtolas verbū eſſe Dei Ergo credi id non debet. Si vera eſt vtraque propoſitio, debet & cōcluſio neceſſariò eſſe vera. Nos tamen Catholici quia Maiorē negamus, ſcilicet nihil credendum eſſe quod non expreſſo Dei verbo præcipiatur, idcirco concluſioni huic non aſtringimur. Vos verò hæretici verā eā eſſe fatemini, nec ſimpliciter verā, ſed & pro fundamento habetis totius doctrinæ ac diſputationis veſtræ, nunquā non quæritādo, *vbi hoc vel illud ſcriptum eſt?* vnde nihil vobis cordi eſt, quod nō expreſſo Dei verbo comprobetur; licet nos tamē interim ſingula quæque noſtra ex ſcripturis roboremus ſolidemuſque. Si ergo vera eſt Propoſitio Maior, debet minor eſſe falſa, vt cōcluſio negetur. At verò vos etiam minorē verā eſſe vultis, etſi demonſtrare nō valeatis, præſcriptos diuinarum literarū libros verbū eſſe Dei. Vnde & concluſio ſecundū ſententiā veſtram neceſſariò vera eſt, nimirū neminē obligari vt credat Euāgeliſtarum ſcripta ac Apoſtolorū literas, ſacram eſſe ſcripturam, purumq; ac putum Dei verbum. An nō ergo vacillat fides veſtra? Senſit hanc inconuenientiā iam dudū ipſe D. Baſilius re ac nomine Magnus: cuius hac de re hęc ſunt verba: *Si,* inquit, *inſtituta conſuetudinesq́, non ſcriptas tanquam in eis vis magna nō inſit, ſemel repudiare aggrediemur, clàm ac pedetentim ratas ipſas Euāgelij ſententias improbabimus, aut potius ad inane nomē eius prædicationem contrahemus.* Itaque ex ſola Traditione cōſtat Euāgeliſtarū Apoſtolorumq; ſcripta verum eſſe verbum Dei. Sed & illud verū eſt, chariſſime, quæ cuius iam in ſuperioribus

Libro de Spir. S. c. 27.

non-

nonnunquam memini, ſcilicet vos hęreticos non habere fidem veram aut ſolidam, ſed opinationem tantum ac electionem, quâ id quod placet adſciſcitus; quod diſplicet, reijcitis. Quod quidem non ſolum liberè in diuinis Apoſtoliciſque Traditionibus factitatis, verùm etiam in ipſis ſacrarum literarum monumentis. Intra primos ſexcentos annos, nempe anno Domini 364. Patres Concilij Laodicæni pro Canonicis omnes habuêre noui teſtamenti libros, quos modò nos. At verò vos Lutherani excluditis epiſtolam Iacobi, iuxtà ac Petri ſecundam, nec non & Ioannis ſecundam & tertiam, ſimulque & Apocalypſin eiuſdem. In tertio Carthaginienſi Concilio, cui ipſe Diuus interfuit Auguſtinus anno 397. cæteris ſacræ ſcripturæ libris annumerantur quinque Salomonis, vti & Iudith, Tobiæ, ac Machabæorum duo. Hi autem vobis hæreticis in vſu non ſunt, adeò pro voto modò hoc modò illud eligitis: quippe cum veſtra fides non ſit niſi libera quædam electio, quam pro commodo veſtro ac emolumento in horas mutatis.

Canone 59.

Canone 47.

SEPTIMA CATHOLICORVM PROPOSITIO.

Oſtendi etiam non poteſt, Catholicum aliquem virum totis his mille quin-

quingentis annis extitiſſe, qui Romanum Pontificem Antichriſti loco habendum duxerit, aut ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium conuicijs inſectatus fuerit; aut denique inuocationem Sanctorum, ſuffragia quæ pro defunctis fieri aſſolent, & ſimilia pietatis opera, ad fidem, & religionem apertè ſpectantia, quæq; per mille quingentos annos vniuerſus Orbis laudabiliter coluit, reprehenderit.

QVARE Martiniſtas, Caluiniſtas, alioſqúe Sectarios impiè agere manifeſtum eſt, dum ea criminari non verentur.

LVBENS Catholicorum viderim quempiam, cuiuſcunque etiam ſtatus aut conditionis ſit, qui hæc vnquam quæ paſſim & vbique Catholica ac Romana fides veneratur, reprehẽderit aut deteſtatus ſit. Scio quidem pro hæreticis ac excommunicatis iam à multis retro annis à Catholicis habitos illos, qui de his fidei noſtræ articulis ita ſenſêre vti vos. At verò pios omnes hęc ſemper in ſummo fuêre honore ac veneratione. Vnde Antagoniſta meus neminẽ in arenã producẽs, ſuam ipſius prodit ignorantiã, dũ ait, CAP. I.

OBIE-

Digitized by Google

OBIECTIO AD SEPTIMAM PROPOSITIONEM.

Nullatenus demonſtrari poteſt primis quingentis aut ſexcentis poſt natum Chriſtum annis, vllũ fuiſſe Catholicum ac probatæ fidei Doctorem, qui Romanum Epiſcopum pro Oecumenico ac generali totius Chriſtiani ouilis capite agnouerit, quique de abominabili Miſſæ ſacrificio quicquam ſciuerit, aut de inuocatione Sanctorum, orationemq́ pro defunctis ita docuerit & ſenſerit, vt nunc docent ſentiuntq́ Papiſtæ.

CAP. II.

AH quanta ſtupiditas ac inſcitia. Sex etenim hîc occurrunt, ad quæ ſingulatim reſpondendum.

Primum à quingentis aut ſexcentis primis poſt Chriſtum natum annis, nullum fuiſſe Catholicum, ac probatæ fidei auctorem, qui Romanum Epiſcopum pro Oecumenico ac Generali totius Chriſtiani gregis Paſtore ſeu Epiſcopo agnouerit.

Cur nõ inquis à primis ſexcentis aut ſeptingentis annis, vti in antitheſi ad primam propoſitionem feciſti? nunc etenim paſcendis

dis ad quingentos & ſexcẽtos annos, adeò vt in cẽtenis aliquot adſignãdis annis paruum nobis ſit diſcrimen. Quæ quidẽ mutabilitas Catholicorum plurimum roborat conſtantiam, qui, vt ipſimet fatemini, iam ab annis mille aut nongentis ſolidam fidei ſuæ obtinuêre poſſeſſionem, Romanumque Pontificem pro ſuo legitimo agnouêre paſtore: vnde ſerò nimis acceditis, vt eum ſua exuatis poſſeſſione. Quippe qui diuina conſtitutus ordinatione eã ab annis mille vt ipſi etiam affirmatis quietè poſſedit. Docebo tamen nihilominus, atque euidenter demõſtrabo, primis quingentis aut ſexcentis annis hunc Romani Epiſcopatus Primatum apud omnes Catholicos vſitatũ ac ſummo in honore habitum fuiſſe. Nec quidem replicabo id quod ad primam propoſitionem dictum eſt de ſingulis Pontificibus, qui de ſuo Præſulatu in prænominatis epiſtolis ſuis idem teſtati ſunt: ſed illos tantummodo in medium adducam, qui intra quingentos aut ſexcentos primos annos eadem de re quicquam ſcriptis mandarunt: vt ſic oſtendam vobis vigilantius ſtudijs incumbere, neque tam impudenter effutire talia, quorum cognitionem exactiorem non habetis, cùm hoc nullatenus virorum ſit prudentium. Inſpiciamus ergo quod antiqua Concilia quib. multi pietate ac eruditione præſtantes interfuêre Epiſcopi, de Romano Põtifice ſenſerint ſcripſerintque. In primis autem id omnibus

eſt

eſt commune Concilijs, maximè verò Oecumenicis, vt ſcilicet rerum ibidem pertractatarum confirmationem ab ipſo Romano expetant Pontifice; vtpote quem pro Primate ac Superiore inuiti agnoſcunt, ſine cuius auctoritate approbationeque omnia alioquin inualida ac nullius æſtimationis forent; quã ipſi Pontificij Legati ſæpe his interfuerint atque etiam præfuerint, adeò vt vel ſimplices tantum Presbyteri Epiſcopis ac Patriarchis antelati ſint. Ipſa ergò prima Nicæna Synodus ita ſcribit ad Beatum Syluestrum Pontificem: *Quicquid autem conſtituimus in Concilio Niceno, precamur veſtri oris conſortio confirmetur*. Statuit quoque eadem Synodus, vt ſine conſenſu ac ſcitu Romani Pontificis nulla iudicij aut haberi poſſint Concilia, neque Epiſcopi deponi, ſed potius vt quilibet eorum liberè Romam queat, vti B. Athanaſius teſtatur, appellare. Quod & dudum ante ceu Apoſtolicam Traditionem agnouerũt prænominati Pontifices ſimul ac Martyres Sixtus, Higinus, Eleutherius & Victor. Conſtantinopolitanum Concilium II. in hunc modum ſcribit ad Damaſum Põtificem: *Rebus omnibus tanquam legitimè & ſecundùm Eccleſiæ Canones conſtitutis, obſecramus veſtrã Reuerentiam, vti congratuletur*. Fatentur quoque huius Concilij Patres, quod iuſſu Damaſi Cõſtantinopolim ſe contulerint, quodque Romana Eccleſia caput ſit cæterarum, ipſique membra. Tertium Concilium Epheſinum,

In Epiſt. Epiſc. ad Felicem Papam.

Theodoretus lib. 5. cap. 9.

ſinum, vt eſt apud Euagrium, dicit ſe depone- *Lib.1. Hiſtor.cap.4.*
re Neſtorium ex mãdato Celeſtini Papæ, cuius iuſſu hoc indictum erat. Vnde in epiſtola ad eundẽ Celeſtinum idẽ Concilium ſcribit, ſe cauſam Ioãnis Patriarchę Antiocheni, quę magis dubia erat quàm Neſtorij, non fuiſſe auſum determinare, ſed potius Celeſtini iudicio reſeruaſſe. Quæ quidem omnia perſpicuè ſupremam Romani Pontificis auctoritatem comprobant.

Quarta Oecumenica Synodus Chalcedone ſub B.Leone I. celebrata, ita ad eundẽ pro confirmatione ſcribit. *Omnem vobis geſtorum vim inſinuauimus, ad comprobationem noſtræ ſinceritatis, & ad eorum quæ à nobis geſta ſunt, firmitatem & conſonantiam. Hæc dignare complecti, Sanctiſſime & Beatiſſime Pater.* Idem quoque petiêre Martianus ac Valentinianus Imperatores, dum ad B. Leonem ſcribentes, hiſce vtuntur verbis. *Quapropter veſtra Reuerentia ſuas literas mittere dignetur, per quas omnibus Eccleſijs & populis notum ſit, vniuerſa quæ in Sancta Synodo geſta ſunt, à Tua Beatitudine confirmata.* Et paulo poſt. *Propter quod & Tua Venerabilis paternitas, proprias & ſpeciales literas velociſſimè mittere dignetur, per quas confirmare vos ipſam quæ in Chalcedone eſt Synodum, manifeſtiſſimè oſtendatis; vt illi qui eam deſiderant ignominioſam, non poſſint habere ſuſpicionem de iudicio Paternitatis Tuæ.* Nominat etiam eadem hęc Synodus Leonem Epiſcopũ *Vniuer-*

ſalu Eccleſia Pontificem, cui vinea cuſtodia à Saluatore commiſſa eſt.

Synodus Conſtantinopolitana, quæ ante quintã Synodum in cauſſa Anthimi hæretici congregata eſt, per Menam Patriarchã Concilij Præſidem, ita loquitur: *Nos*, inquit, *Apoſtolicam ſedem ſequimur, & obedimus, & ipſius communicatores, communicatores habemus: & condemnatos ab ipſa, & nos condemnamus.*

Action. 4.

Vniuerſi Aegyptiorum & Lybiorum Epiſcopi, qui Alexandrino vnà cum ſuo Patriarcha Athanaſio interfuêre Concilio, in hũc modum ad Felicem Papam II. ſcribunt. *Ideo Pater beatiſsime, quia ſemper anteceſſores noſtri, & nos à veſtra Apoſtolica ſancta ſede auxilium hauſimus, & noſtri vos curam habere agnouimus, præfatam Apoſtolicam & ſummam expetimus, iuxta* Canonum *decreta, Sedem; vt inde auxiliũ capiamus, vnde prædeceſſores noſtri ordinationes & dogmata, atq; ſubleuationes ceperunt: ad eam quoq; quaſi ad matrem recurrimus, vt eius vberibus nutriamur: quoniam non poteſt obliuiſci mater infantem ſuum, ſic & vos nolite obliuiſci nos vobis commiſſos.* &c. Concilium Mileuitanum cui Beatus interfuit Auguſtinus, ſcribens ad Innocentium Pontificem, eum de Pelagiana hæreſi certiorem reddit, paternum implorans auxilium, vtpote membra capitis. Inſuper & alia tria Aphricana Concilia, cum Stephano Archiepiſcopo Damaſum Papam his cõpellant

Extat Tom. 1. Concil.

pellant verbis, *Beatiſſimo Domino, & Apoſtolico culmine ſublimata, Sancto patri patrum Damaſo Papæ, & Summo omnium Præſulum Pontifici, Stephanus Archiepiſcopus Concilij Mauritaniæ, & vniuerſi Epiſcopi de tribus Concilijs Africanæ prouinciæ. Notum veſtræ facimus beatitudini, quod quidam fratres in confinio nobis poſiti, quoſdam fratres noſtros venerabiles videlicet Epiſcopos, nobis inconſultis à proprio deijciunt gradu, vel deijcere moliuntur, cùm veſtræ Sedi Epiſcoporum iudicia, & ſummorum finem Eccleſiaſticorum negociorum, in honore beatiſſimi Petri, patrum decreta omnium, cunctam reſeruauêre ſententiã, inquirendi reuerẽtia de Dei rebus, quas omni cura & ſollicitudine obſeruare debemus, &c.* Eſt in Epiſt. 92. S. Auguſt & Tõ. 1. Concil. edit. Colon. pag. 462.

In Sardicenſi Concilio anno Domini 343. celebrato, trecenti Epiſcopi decreuerunt, quod omnes Epiſcopi iniuſtè damati, liberè queant ad Romanum appellare Epiſcopum, tanquam ad ſuum cæterorumque omnium Superiorem. In Romano quoque Concilio anno 501. ſub Symmacho habito, inſignis extat Apologia S. Eunadij, tunc quidem Diaconi, poſtmodum verò Ticinenſis Epiſcopi; in qua ita ait. *Aliorum hominum cauſſas Deus voluit homines terminare, ſed ſedis iſtius* (Romanæ) *Præſulis, ſuo ſine quæſtione reſeruauit arbitrio. Voluit B. Petri Apoſtoli ſucceſſores cælo tantum debere innocentiam. &c.* Itemque, *Sanctorum voce patet, Pontificum dignitatem Sedis Apoſtolicæ factam* Tom. 2. Concil. edition. Colon. p. 327.

toto orbe venerabilem, dum illi quicquid fidelium eſt vbique ſubmittitur, dum totius corporis caput eſſe deſignatur, de qua mihi videtur dictum per Prophetam: Si hæc humiliatur, ad cuius confugietis auxilium, & vbi relinquetis gloriam veſtram?

Eſa. 10.

Hunc itaq; in modum Sancti Patres, ipſaque adeò Catholica Concilia de Romano Pontifice, Petri ſucceſſore, Summóq; Chriſti in terris Vicario ſcribere ſoliti ſunt, multo certè ſecius quã vos occæcati hæretici, qui horrenda blaſphemia faſtuque incredibili Chriſtum in eius vicario proſcinditis. Præfata Concilia intra ſexcenteſimum annum habita ſunt, in quibus ad liquidum cernitis non vnius, ſed centenorũ aliquot doctorum Epiſcoporumque hac de re ſententiam.

CAP. III.

ET quamquam hæc teſtimonia ad tuam labefactandam Antitheſin ſatis eſſe queant, accipe tamẽ nihilominus qui eadem illa tẽpeſtate, etiam alij Sancti Patres de Summo Pontifice ſcriptis mandarint. Diuus Irenæus Lugduni Galliarum Epiſcopus, Sanctique Ignatij, qui à Beato Ioanne Euangeliſta edoctus erat, diſcipulus, ita ait: *Maxima & antiquiſſima & omnibus cognita, à glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro & Paulo Romæ fundata & conſtituta Eccleſia, eam quam habet ab Apoſtolis traditionẽ & annunciatã omnibus fidẽ per ſucceſſiones Epiſcoporum, peruenietem vſq; ad nos, indicantes; confundimus, qui quoquomodo vel per ſui placentiam malam, vel vanam gloriam*

Lib. 3. cap. 3.

gloriam, vel per cæcitatem & malam ſcientiam præterquam oportet, colligunt. Ad hanc enim Eccleſiam propter potentiorem principalitatem, neceſſe eſt omnem conuenire Eccleſiam, hoc eſt eos qui ſunt vndique fideles, in qua ſemper ab his qui ſunt vndique conſeruata eſt ea, quæ ab Apoſtolis eſt traditio. Sanctus Cyprianus epiſtola * quinquageſima quinta ad Cornelium Romanum Epiſcopum, iuxta ac Martyrem, *Non aliundè*, inquit, *obortas eſſe hæreſes, aut enata ſciſmata, quàm inde quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Eccleſia ad tempus Sacerdos, & ad tempus iudex vice Chriſti cogitatur*. Idem quoque in alia epiſtola ad eundem Conciliũ *Romanam Eccleſiã pro radice ac matrice agnoſcit*: quẽadmodum & ipſi AEgyptiorum Epiſcopi, verbis ſupra allegatis agnouêre. Diuus Ambroſi⁹ Archiepiſcopus Mediolanẽſis, *cùm totus*, inquit, *mũdus Dei ſit, tamen domus eius Eccleſia dicitur, cuius hodiè rector eſt DAMASVS*. Dionyſius Alexandrinorum ſanctus Epiſcopus, à Sixto Romano Pontifice vtpote Catholicæ Eccleſiæ capite conſiliũ expetens, quid acturus eſſet cum quodam, ab hæreticis præter Eccleſiæ conſuetudinem baptizato, *veritus*, inquit, *ne per errorem labar, conſilium quæro, tuamq́ vehementer expoſco ſententiam*. Sic etenim conſueuêre Epiſcopi oẽs, rebus in dubijs ad Pontificis cõfugere conſilium, quem Chriſtianorũ omnium Magiſtrum nõ inuiti agnoſcunt. Baſilius Magnus in Epiſtola ad

* *alias libr. 1. Epiſt. 3.*

Epiſt. 45.

In cap 3. primæ ad Tim.

Euſeb. lib. 7. cap. 8.

Epiſt. 52.

Athanaſiũ, ſuadet vt in Arriana propulſanda hæreſi Romani Pontificis imploretur auxiliũ. ſic enim ait: *Viſum eſt cõſentaneũ ſcribere ad Epiſcopum Romanum, vt videat res noſtras, & iuditij ſui decretum interponat. Vt quia difficile eſt, a iquos inde de Concilij ſententia mitti, ipſe auctoritatem rei tribuat, &c.* S. Gregorius Nazianzenus in carmine de vita ſua, dicit, *Romanam Eccleſiam ſemper cõſeruaſſe veram de Deo ſententiam, vt decet vrbẽ, quæ toti præſidet orbi*. Epiphanius hæreſi 68. quæ eſt Meletianorum, inquit *Vrſatiũ & Valentẽ pœnitentiam agẽtes Epiſcopos, vna cùm libellis ad B. Iulium Romanum Epiſcopũ pro ratione de ſuo errore ac delicto, eſſe profectos*. Quid autẽ his cũ Romano negotij erat Epiſcopo, niſi quod eum pro capite habebant? Sanctus Ioannes Chryſoſtomus aurei oris ac ſummæ eloquẽtiæ vir, iniuſtè à Theophilo Patriarcha Alexandrino in quodã ad hoc ſpecialiter cõuocato Conciliabulo, ſua deturbatus Sede, rogat Innocentiũ Papam, vt eorum irritet ſententiam, eoſq; puniat potius quàm excõmunicationis fulmine feriat. B. Hieronymus Damaſum pro legitimo Petri ſucceſſore cẽſet, dũ ait: *Quanquã me tui terreat magnitudo, inuitat tamen humanitas, à Paſtore præſidium ouis peto. Cum ſucceſſore piſcatoris & diſcipulo crucis loquor. Ego nullum primum niſi Chriſtum ſequens, beatitudini tuæ, id eſt Cathedræ Petri communione conſocior. Super illam Petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicunque*

Epiſt. 1. Ad Innocẽt. & epiſt. 2. ad eundem.

Epiſt. 57. ad Damaſc.

extra

extra hanc domum agnum comederit, profanus eſt. Idem quoque alibi, *Dum ante annos,* inquit, *plurimos, cùm in chartis Eccleſiaſticis iuuarem Damaſum, Romanæ Vrbis Epiſcopum, atq; Orientis atq; Occidentis ſynodicis conſultationibus reſponderem. &c.* Ex quibus ſufficiēter ſatis patet, Romani Pontificis Primatus. S. Auguſtinus Afer, atque adeò Hipponenſis Epiſcopus, fatetur ſe vna cum nonnullis Africanis Epiſcopis iuſſu Zoſimi Pontificis Cæſaream Mauritaniæ recepiſſe, pro cogendo ibidem Concilio. Quod & Poſſidius in eius vita teſtatum reliquit. Non enim cum ſuis collegis potuit aut voluit Romani detrectare imperium Epiſcopi: cui ideo tanquam Superiori dicto obedientes fuêre. Cyrillus Alexandrinus epiſt. 10. ad Neſtoriū, & epiſt. 11. ad clerum & populum Conſtātinopolitanum, ſcribit Neſtorium, niſi intra terminū à Celeſtino Papa Romano præſcriptū, hęreſes ſuas reuocet, ab omnibus vt excōmunicatū & depoſitū debere euitari. Itē ſcribēs ad ipſum Celeſtinū, eū *Sāctiſſimi Patris titulo dignatur.* Quæ quidē omnia magnā vtiq; præ ſe ferunt Romani Prȩſulis authoritatem. De qua ita Proſper Aquitanicus c. 2. de ingratis.

Epiſt. 11. ad ageruchiam de Monog.

Epiſt. 157. ad Optatum, Cap. 14.

Epiſt. 18. ad Celeſt.

Sedes Roma Petri, quæ paſtoralis honoris
Facta caput mundo, quicquid nō poſſidet armis,
Religione tenet.

Qui idē & alibi, *Roma,* inquit, *per ſacerdotij principatū amplior facta eſt arce religionis, quā ſolio poteſtatis.* Huic ſententiæ conſonat quod

Lib. 2. de vocat. Gent.

Serm.1. de Petro & Paulo cap.1.

S.Leo adſerit, *Romam, per ſacram Beati Petri ſedem caput orbis effectam, latius præſidere religione diuina, quã dominatione terrena.* Theodoretus Aſię Epiſcopus de ſuo eiectus prçſulatu, opem à Leone Papa popoſcit, ſcribens ad Renatum Romanum presbyterum, vt pro ſe intercedat, dicens, *Sanctam iſtam Sedem gubernacula regendarum cuncti orbis tenere Eccleſiarum*. Et hic quidem Theodoretus Aſianus erat, & nongentis præerat Eccleſijs, vt ipſemet fatetur, & tamen Romanum Pontificẽ ſupremum iudicem ſuum agnoſcit. Paſchaſinus Lilybetanus Epiſcopus, cui Leo Papa ſuam de ſupputatione feſti paſchalis reſcribere iuſſerat ſententiam, hiſce id auſpicatur verbis.

Eſt in Tom. 1. Concil. Colon. edit. fol. 776.

Domino verè beatiſſimo ac Apoſtolico, mihiq; poſt Dominum plurimum colendo Papæ Leoni &c. Domine venerabilis Papa, iubere dignata eſt corona veſtra, vt quod paſchalis ſupputationis veritas anni poſt hunc futuri haberet, ſacroſanctis auribus veſtris exiguitas mea intimaret. Cui præcepto inobediens exiſtere non potui omninò, nec debui. Hunc in modum omnes totius orbis Epiſcopi ad Romanũ ſoliti ſunt ſcribere Pontificẽ. Lege, ſi placet, Euſebij Mediolanẽſis aliorumq; tredecim Epiſcoporũ ad B. Leonẽ epiſtolã: Nec nõ & Rauennij cęterorũq; quadraginta duorũ Galliarũ Epiſcoporũ, quã ad eundẽ ſcripſerũt, in qua *Imperatorem Papæ filium nuncupant*. Totius quoq; Græciæ Epiſcopi, ad Symmachũ, immò Imperatores ipſi ſumma cum reuerentia ac de-

Tom.1. Concil. pag. 762. Eſt Tom.1. Concil. pag. 760.

ac debito honoris titulo ad Romanos ſemper Pontifices ſuas miſêre epiſtolas: vti teſtantur Honorij, Iuſtiniani, ac Iuſtini Imperatorum ad Bonifacium, Ioannem & Hormiſdam Pontificem exaratæ. Noſtri verò Lutherani hæretici haud quaquam id factitarent, quippè qui nullam Pōtificis obedientiam agnoſcunt. Sophronius Hieroſolymorum Patriarcha *vocat Leonem Papam ſanctiſsimum Romanæ Eccleſiæ, immò omnium quæ ſub ſole ſunt luminare*, cuius ad Flauianum epiſtolam *firmamentum rectæ fidei appellat atque definit, dicens ſe eius epiſtolas & dogmata, tanquam prolata ex ore Petri Apoſtolorum principis amplecti & oſculari*. Victor Africanus, *Eccleſiam Romanam omnium Eccleſiarum caput nominat*. Vincentius Lerinenſis in libello ſuo aureo, quem aduersùs Prophanas omnium hæreſeôn nouationes cōſcripſit, idem facit. Quidnam Philippus Presbyter Cardinalis in Epheſino Concilio, cui vti Pontificis Legatus anno Domini 430. interfuit, dixerit; ſedens ante duos Epiſcopos, qui & ipſi Pontificis erant legati, tāquam Cardinalis, licet ibidem legere. In quo & reuerenter admodum Iuuenalis Hieroſolymorum Patriarcha de Romanę ſedis authoritate eſt locutus. Proteruis quoque Alexandrinus Patriarcha, quàm humillime Pontifici pro confirmatione ſua ſupplicat: nec non & Maximus, Antiochenus, mittēs ſuper hac re duos ad eundem Pontificem legatos, Marianum

Epiſt. ad Sergium Patriarch. Conſtāt. vide 6. Synod. actio. 11.

Lib. 2. perſec. Wandal.

Action. 4. & 5.

Action. 6.

Inter epiſt. Leonis 68.

Ibid. epiſt. 62.

Digitized by Google

nimirum Præsbyterum, & Olympiũ Diaconum, idq; pro confirmatione priuilegiorum ſedis Antiochenæ aduerſus Anatolium. Inſuper & Presbyteri ac Monachi Conſtantinopolitani Anno Domini 475. ad Simpliciũ Papam ſupplices mittebant litteras, vt eius, tanquam ſupremi Paſtoris auxilio, ab hæretico Timotheo liberarentur. Idem quoque fecêre Syriæ Monachi ad Hormiſdam Pontificem anno 517. Acatius, Conſtantinopolitanus Patriarcha anno 478. ad Simplicium Papã ita ſcribit: *Beatiſſimo ſanctiſſ. moq; Patri Archiepiſcopo, Acatius: Gerens Eccleſiarum omnium curam, hortaris nos, &c.* Eodem quoque anno Timotheus Alexandrinus Patriarcha, eundem rogat Põtificem, pro delicti ſui remiſſione; ꝙ cõmiſerat, dum recitando Dioſcori hęretici nomen in Miſſæ ſacrificio: mittens Romam nõnullos ex hęreſi cõuerſos, vt eo facilius abſolutiõis beneficium cõſequeretur. Eulalius Syracuſanus Antiſtes, in quodam Romano Concilio, anno Domini 501. ſub Symmacho celebrato, ita aiebat. *Romano Pontifici, qui per prærogatiuam B. Petri, totius orbis Summus eſt Sacerdos, Conciliorum omnium approbatio competit. &c.*

Vide epiſt. Simplic. ad eoſdem.

Inter epiſt. Simplicij.

Ibidem epiſtol. 1.

Quàm demiſſe aũt ac reuerenter inſignes aliquot Epiſcopi, nempè Aluminus, Auitus Viennæ Galliarũ Epiſcopus, Ioãnes Neapoleos in Epiro, Andreas Priualitanus, Fulgentius Ruſpenſis in Africa Epiſcopus, nec non & Poſſeſſor, item Epiphanius Conſtantino-

poli-

politanus Patriarcha cum 20. alijs Epiſcopis in Concilio iſtic cōgregatis, Caſſiodorus Senator, Pōpeius I. in aula Iuſtini Imperatoris: imò Iuſtinus ipſe, & Iuſtinianus, alijque complures, de Romano Pontifice, eiuſq; authoritate ſcribant, longū nimis foret recenſere. Legito eorum ſaltem litteras, quæ inter litteras Pontificales reperiuntur, & indoctā tuam blaſphemiā ipſemet cognoſces. Cùm anno Domini 519. Hormiſdæ Pontificis legati, Germanus nimirum, & Ioannes Epiſcopi; itē Felix, & Dioſcorus Diaconi, vnà cum Blando Presbytero Conſtantinopolim contenderent, in vrbe quadam Græciæ Scampina, à Troilo Epiſcopo vniuerſiſque ciuibus cum crucibus accenſiſque facibus ſolenniter introducti ſunt, prout ipſi ad Hormiſdam Papam ſcribunt, & poſt illos Andreas Priualitanus Antiſtes, eodem nimirum anno. Introducti enim celebriter ſunt ad ædem primariam, in qua Germanus more Romano ſacris operabatur, cum totius plebis applauſu. Inde verò vlterius Lignidum peruenientes, etiam magna cum celebritate ibidem à Theodoreto Epiſcopo, eiuſque ſubditis, vti ipſe ad Pontificem teſtatur, ſunt excepti. Poſſem de anno in annum referre, quid Catholicæ fidei Patres de Romani Pontificis authoritate, infrà primos ſexcentos annos litteris commendauerint, ſi neceſſum foret, quippè cum hiſce rebus refertiſſimi ſint.

Vnde

Vnde mirum admodũ eſt, amice mi, te tanta cum audacia dicere, nullum infrà primos ſexcentos annos Catholicum exſtare ſcriptorem, qui Pontificem pro vniuerſalis Eccleſiæ capite agnouerit. Ignoſcendum tibi eſt, vtpotè indocto ac maleuolo hæretico: qui vti parum in litteris es verſatus, ſic lympidiſſimæ veritati fidem non aſſcribis. Aperito, quæſo, nunc oculos; &, vt hominem decet, ratione vtere, neque beſtiarum more, ſine intellectu maneto. Vides. n. hic apertiſſimè, infrà primos ſexcẽtos annos Romanum Pontificem pro capite omnium Epiſcoporum, immò totius Chriſtianæ Reipublicę eſſe habitum honoratumque, ad quem veluti ad Primatem legitimumque Superiorem confugiebant, cuiuſque mandatis lubentes libenteſque parebant, idque omni cum reuerentia. At interim tamen de nomine *Oecumenici ſeu generalis Epiſcopi*, in quinto articulo ſermo nobis erit, dum Gregorij verba quæ vos in alium detorquetis ſenſum, pro genuino ſenſu elucidabimus.

CAP. IV.

SECVNDÒ inquis, *infra primos quingentos aut ſexcentos annos, nullum Catholicæ fidei ſincerum repertum Doctorem, qui de abominabili Miſſæ ſacrificio vllam cognitionem habuerit*. De hoc iniuſſo anonymo, ſimul ac collegis eius, olim Diuus Petrus locutus fuiſſe videtur; dicens in nouiſſimis diebus, exorituros impudentiſſimos quoſdam homines: qui veluti irrationabilia pecora, naturaliter in ca-

2. Petr. 2. ver. 12.

in captionem & in perniciem, in his quæ ignorant blaſphemantes, in corruptione ſua peribunt, percipientes mercedem iniuſtitiæ. Verum enimuerò ſi tu, mi amice, huius tremendi ac Sacroſancti officij myſteria exploratè cognita haberes, non tam iniquè neque tam imperitè illud calumniareris, veritus nimirum diuinæ vltionis vindictam, Heli, eiuſque liberis minorem ob culpam inflictam. Illi enim populum à pecudum tantùm ſacrificio abalienabant, vos autem verum corpus ipſius filij Dei blaſphematis, quod vt reale ſacrificium patri cœleſti immolatur, ab illo ſcilicet, *qui eſt Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech*: qui id nobis loco veterum omnium ſacrificiorum, quorum dignitatem ac excellentiam vnicum hoc longè exſuperat, reliquit. Vnde nobis Catholicis ſummo in honore idem ſacrificium eſt; qui id non ſcādalosè, ſed reuerenter quotidiè concelebramus, exhibentes ſacramento huic ſanctiſſimo eundem prorſus honorem, qui Deo debetur, vos autem hæretici non ita; quippè qui impudenter irreuerenterq; vt ad hoc, ſic ad alia Sacramenta acceditis.

1. Reg. 4.
1. Reg. 2.
Pſalm. 109.

In Scotiæ ac Hollandiæ partibus Puritani Caluiniſtæ, dum cœnam peragunt, menſæ accumbunt, ſibique mutuo inſignem nonnunquam propinant hauſtum; quin & de vini vilitate ſubinde ſtomachantur. Nam cùm miſeris Miniſtris illud ſuppeditare incum-

cumbat, fit vt largiori aqua vinum interdum ita permiſceant, vt vix quicquã ſaporis permaneat. In Anglia, adeoque Geneuæ ipſa inambulantes ſuas deuorant buccellas, Iudaicum phaſe, quod tranſitum denotat, repræſentantes. Germaniæ quibuſdam in locis Miniſter ſcutellam per Eccleſiam defert, vnicuique ſuum inde fruſtum porrigens: vbi quandoque accidit, vt ſenex aliquis edentulus cruſtatam buccellam deglutire vix queat. Alibi verò Caluiniani ruſtici vino ac pane non contenti, ad minus partem ſibi caſei ſuperaddi voluêre, dicentes panem ſiccum ſine alio vllo obſonio non eſſe prandium aut cœnam. Micæ autem hinc inde decidentes, remanenteſque, canibus vſui eſſe queunt; & vinum, qui primus illud inuaſerit arripueritque. Vt liquidius autem conſtet quanta cum irreuerentia vos hæretici veſtra adminiſtretis ſacramenta, referam hic recentem hiſtoriam, quæ anno ſuperiori in Scotiæ pago *Cargil*, haud procul ab vrbe S. Ioannis, accidit. Ibi enim anno 1593. cùm tempore cœnæ cæteri menſæ accumberent, ſeni cuidam oſtij demandata eſt cura, ne ſcilicet plures cõiunctim templum ingrederentur, quàm ſimul vni poſſent aſſedere menſæ. Inter cæteros autem ante oſtium præſtolantes, fœmina vterum gerens reperta eſt, quæ cum primis introitum moliens (moleſtum quippè ei erat diutius ibidem ſubſiſtere) ab oſtiario in ventre grauem

Caluiniſtarum cœna quanta cum irreuerentia peragatur.

Digitized by Google

nēm accepit ictum: vnde nocumentum timens fœtui rem ad maritum detulit. Qui ira in ſenem illum oſtiarium exardeſcens, apud Miniſtrum excuſari ſe petijt, quo minus poſſet adire cœnam, ad quam ſe non ritè ſatis diſpoſitum aſſerebat: quippè qui exſtimulatus ira vindictæ cupiditate flagrâret. Miniſter autem nullam omninò admittens excuſationem, ſub excommunicationis pœna coêgit hominem ad cænam accedere. Vnde menſæ accumbens (cui de more ſcutella bucceis plena impoſita erat) pręfatum ibidē ſenem iuxta ſe repperit. Quem ſtatim vt buccellam ſuam accepiſſet, ibidem transfodit, diſceſſitque. Proh pudor quanta hæc fuit Miniſtri huius importunitas ac irreuerentia, qui hominem graui commotum indignatione, ſine vllius pœnitentiæ expiatione ad ſuſceptionem cęnæ impulit.

CAP. V.

VERVM quia potior pars Caluiniſtici miniſterij magis in adminiſtratione verbi quàm in Sacramentorum vſu (in his enim non niſi figura tantum & vmbra eſt, in hoc autem clarius fides elucet) conſiſtit, tria hîc veracia commemorabo exempla, quæ diuerſis in locis accidêre. Primum quidem in Scotia in vrbe Diuæ Andreæ: vbi Miniſter ædis SS. Trinitatis, anno Domini milleſimo quingenteſimo octogeſimo quinto, antę cōcionem inſignem com-

Tria notatu digna exempla de Caluiniſtarũ concionibus.

agnitum, verùm etiam per totum terrarum orbem magna ſemper Generatione eſt habitum, habebiturque etiam ad mundi vſque finem: donec veniat Antichriſtus, qui iu-
Dan.11.v.31. xta Danielis vaticinium tollet iuge ſacrificium.

CAP. VI. *Dicis interim primis ſexcentis annis nõ fuiſſe veteribus in vſu Miſſæ ſacrificium.* Videamus itaq; an non craſsũ hoc & inſulſum ſit mendacium. Nam Martinus Kemnitius

Secunda par. exam. Conc. Trident.

Lutheranæ veſtræ doctrinæ primipilus, ſcribit pag. 827. Canonis, hoc eſt præcipuę Miſſæ partis, auctorem vixiſſe circa annum Domini quingenteſimum nonageſimũ, quod etiam repetit pag. 828. vbi vltimum Canonis auctorem facit Gregorium, primum huius nominis Pontificem; qui vixit anno 590. Quis ergo non videt falſum eſſe quod dicis? Quin immò, ipſimet Apoſtoli Miſſæ ſacrificium peregerunt, prout Beatus Epiphanius teſtatur, nec non & Lucas in Actis; vbi ordinationem Pauli & Barnabæ, *Miniſtrantibus*, inquit, *illis Domino, & ieiunantibus, dixit Spiritus ſanctus: ſegregate mihi Saulum & Barnabam, in opus ad quod adſumpſi eos*. Significari autem illa voce *miniſtrantibus*, ſacrificium, conſtat ex dictione græca λιτȣργȣντῶν, quod publicum ſacrificium ſignificat, adeò vt Eraſmus qui apud vos in pretio eſſe ſolet, veritate victus, hoc loco tranſtulerit, *Sacrificantibus illis*

Hæreſ.79. Act.13.

Digitized by Google

illis Domino. Atque hinc factum vt Græci Miſſæ ſacrificium λιτȣργείαν appellent. Sanctus Iacobus Minor, Apoſtolus & Hieroſolymitanus Epiſcopus Canonem compoſuit, quo etiamnum in ſuo ſacrificio vtuntur Græci, veluti conſtat ex Concilio Conſtantinopolitano, quod Trullanum dicitur. Exſtat quoque Liturgia Sancti Marci Euangeliſtæ, quæ hodiè in AEgypto Alexandrinis vſitatiſſima eſt. Diuus Andræas Apoſtolus, hiſce verbis AEgeam Achaiæ Proconſulem alloquebatur. *Ego*, inquit, *omnipotenti* DEO, *qui vnus & verus eſt, omni die ſacrifico, non thuris fumum, nec taurorum mugientium carnes, nec hircorum ſanguinem: ſed immaculatum agnum quotidiè in altari Crucis ſacrifico: cuius carnes poſteaquam omnis populus credentium manducauerit, agnus qui ſacrificatus eſt, integer perſeuerat & viuus.*

Canon. 32.

Tom. 6. Biblioth. ſacra.

Præclarum Miſſæ teſtimonium & veri corporis Christi in Euchariſtia.

Hæc quidem ſunt quæ nobis Presbyteri ac Diaconi Achaię, qui ſupplicio B. Andreæ interfuêre, ſcriptis reliquerũt. Eodem quoque modo ſcribit Titus Boſtrenſis in Syria Epiſcopus, quod Sacerdotes diebus ſingulis in altari ſoliti ſint Agnum Deo omnipotenti immolare. Similiter & S. Martialis vnus è Septuaginta duobus diſcipulis, in hunc modũ loquitur. *Quod*, inquit, *Iudæi per inuidiã immolauerunt* (Chriſtũ nimirũ)

In cap. 2. Lucæ.

Epiſto. ad Burdeg. c. 3.

putantes ſe nomen eius à terra abolere, nos cauſa ſalutis noſtræ in ara ſanctificata proponimus; ſcientes hoc ſolo remedio nobis vitam præſtandam, & mortem effugiendam: hoc enim ipſe Dominus noſter iuſsit nos agere in ſui commemorationem. D. Ignatius dicit *non licere ſine Epiſcopo vel offerre, vel ſacrificium immolare, aut Miſſas celebrare.* Irenæus quoque adfirmat, Chriſtum *nouam noui Teſtamenti docuiſſe oblationem; quam Eccleſia ab Apoſtolis accipiens, in vniuerſo mundo offert Deo, ei qui alimenta nobis præſtat, primitias ſuorum munerum, &c.* Nec non & ipſe Alexander Pontifex & Martyr, *qui* inquit *in ſacrificijs nihil maius eſſe poſſe, quàm corpus & ſanguinem Chriſti: his enim domino oblatis ſacrificijs, crimina atque peccata deleri.* S. Teleſphorus Papa itidem & martyr præſcribit, *vt media nocte dominica Natiuitatis* (quemadmodum & ſuprà meminimus) *Miſſas Presbyteri celebrent, quòd tempore illo Chriſtus ex vtero matris prodierit.* Tertullianus quoque adſerit, *Chriſtianos pro ſalute Imperatoris ſacrificare conſueſſe.* Gregorius Nazianzenus, Miſſam *incruentum vocat ſacrificium, per quod nos Chriſto ipſiuſquè paſsionibus & diuinitati cõmunicamus.* Eodem nomine etiam ab Anaſtaſio Sinaita Patriarcha Antiocheno, multiſq; alijs Sanctis Patribus nuncupatur. Gregorius Nyſſenus

Epiſt. 7. ad Smyrnenſ.

Lib. 4. cap. 32.

Epiſt. 1. ca. 4.

Epiſt. ad omnes fideles cap. 2.

Lib. ad Sap. cap. 2.

Orat. 1. in Iulian. Imp.

Serm. de Cõmunione.

ſenus fratrem ſuum Baſilium cum Samuele Propheta comparat, quòd vterque ſacrificium Deo, diuerſo licet modo, obtulerit, idque ad liberationem populi. Scribit Beatus Hieronymus *Romanum Epiſcopum ſuper Petri & Pauli veneranda oſſa, offerre Domino ſacrificia, & tumulos eorum arbitrari altaria.* D. Ambroſius refert S. Laurentium Diaconum Sixtum Pontificem ad martyrij palmam properantem, hiſce compellaſſe verbis: *Quò progrederis ſine filio Pater? Quò Sacerdos ſancte, ſine Diacono properas? nunquam ſine miniſtro ſacrificium offerre conſueueras.* Quin & idem Ambroſius alibi nonnulla verba ſacri Canonis recitat. Cyrillus quoque Hieroſolymitanus magnam partem Liturgiæ Græcorum explicat. S. Chryſoſtomus in diuerſis ad populum Antiochenum homilijs, ſuos edocuit ſubditos, Sacerdotes offerre Deo ſacrificium pro viuis ac defunctis, saluteque omnium. Quod & ipſe diuus fatetur Auguſtinus; qui in libro de Ciuitate Dei vigeſimo ſecundo, refert prædium Heſperij cuiuſdam per oblationem ſacrificij Corporis Chriſti, à malignorum ſpirituum, quorum detinebatur infeſtatione omninò liberatum fuiſſe. Similiter dum obitum Monicæ parentis ſuæ commemorat, dicit illam agonizantem inter cætera ſtudioſè flagitaſſe, vt ad ſacrum altare eius fieret mentio, pro cuius animæ ſa-

Orat. in laudem Baſil.

Aduerſus Vigilant. c. 3.

Lib. 1. offi. c. 41.

Lib. 4. de Sacra. c. 5. & 6.

Catech. 4. num. 5.

Homil. 69. ad pop. & 26. in Matt.

Lib. 22. de Ciuit. cap. 8.

Lib. 9. Confeſſ. cap. 12.

luce etiam ad oſtia Tiberina piè litatum eſſe, idem teſtis eſt. Poſſidius quoque ſcribit pro ipſo Auguſtino poſt obitum idem eſſe factum. Ephrem verò Syrus teſtamento ſuo inſtituerat, ſacrificium altaris pro anima ſua offerri. Inſuper & Auctor libri de fide ad Petrum, quem vt nonnulli Fulgentio Ruſpenſi, ſic S. Hildefonſus Auguſtino adſcribit, inquit Eccleſiam Catholicam per vniuerſum mundum inceſſanter panis ac vini ſacrificium Sanctiſſimę Trinitati in fide & amore immolans, prout in veteri teſtamento idipſum pecudum oblatione fieri ſolitum erat. Macarius AEgyptius hac de re ita ſcribit: *Illo*, inquit, *tempore Magnates nouerant venturum eſſe Redemptorem: ſed paſſurum eſſe non nôrant: nec in animum eorum adſcenderat, offerendum eſſe in Eccleſia panem & vinum, exemplar exhibens carnem ipſius & ſanguinem, ſumenteſqúe de pane non viſibili modo, & eo quo editur alia caro: ſed ſpirituali & inuiſibili ſpiritaliter Domini carnem edere.* Optatus Mileuitanus grauiter cum Donatiſtis, qui ſacra demoliti erant altario (in quibus tamen antequam hæretica imbuti eſſent labe, immolauerāt) hiſce verbis expoſtulat: *Quid enim*, inquit, *eſt tam ſacrilegum, quàm altaria Dei (in quibus & vos aliquando obtuliſtis) frangere, radere, remouere? vnde à multis pignus ſalutis æternæ, & tutela fidei, & ſpes reſurre-*

In vita B. Auguſtini cap. vlt. per Poſſidium.
Tom. 1. Sur. 1. Febru.
Homil. 27.
Lib. 6. c. 1.

ctionis

ctionis accepta eſt? Quid enim eſt altare, niſi ſedes corporis & ſanguinis Chriſti? Hęc ille. Porrò Sebadius Agennæ Galliarum Epiſcopus, luculentis aliquot probationibus Chriſtum non minus Deum eſſe demonſtrans quā Patrem, id pro argumento adfert: quod filio quoq; quotidiè ſacrificemus, cùm ſacrificare ſoli vero competat Deo. Martinus Braccarenſis ſcribit in ſacrificio nihil præter panem, vinum, & aquam offerendum: hæc enim in cruce fuêre: nimirum Chriſti corpus & eius pretioſiſſimus aqua permiſtus ſanguis, ex latere profluens. *Hoc enim*, inquit, *ſacrificium, odor coram Deo ſuauiſſimus eſt.* S. Cæſarius Arelatenſis Epiſcopus, vt populum ſuum moneret ſingulis dominicis ac feſtiuis diebus ex præcepto ſanctæ matris Eccleſiæ integrum audire ſacrum, inſignem conſcripſit Homiliam. In Concilio Matiſconenſi præcipitur Sacerdotibus vt ieiuni Miſſæ ſacrificio operentur, vtque Chriſtianus quilibet ex præcepto Domini quolibet dominico die huic interſit ſacrificio. Similiter & in tertio Aurelianenſi, vt nullus ante finem Miſſæ domum ſe recipiat, priuſquam Epiſcopalis factus ſit particeps benedictionis. In primo proinde Niceno Cōcilio ita legimus. *Nec regula, nec conſuetudo tradidit, vt Diaconi, qui offerendi ſacrificij nō habēt poteſtatē, Sacerdotibus, qui offerunt, Chriſti corpus porrigāt.* Teſtis eſt Euſeb. Cæſarieſ. Cōſtantinū Magnū Epiſcopos oēs qui Tyri ꝓ habēdo

Lib. contra Arrianos.

Lib. de Synodis Græc. cap. 55.

Homil. 12.

Cap 6.

Cap. 4.

Cap. 28.

Can. 14.

Digitized by Google

Concilio congregati erant, Hieroſolymam ad martyrij dedicationis celebritatem inuitaſſe; qui & ibidem incruentis ſacrificijs & myſticis conſecrationibus diuinum numen placarunt, & ſupplices Deo preces pro ipſo Imperatore harum preclariſſimarum rerum authore, proque eius liberis obtulerunt. Tum quoque poſt Conſtantini obitum, pro ſalute animæ eius preces ac Miſſæ ſacrificium oblatum eſſe, idem adſerit. Concilium Valentinum in Hiſpania celebratum decreuit, *vt poſtquam Epiſcopus è ſeculo migrauerit, alius exequias celebret, poſtq́3 oblatum in eius commendatione ſacrificium Deo, mox ſepultura commendat.* In Secunda denique Turonenſi Synodo cautum, *vt laici ſecus altare, quo ſancta myſteria celebrantur, inter clericos tam ad vigilias quàm ad Miſſas, ſtare penitus non præſumant*; idq́ue ob maiorem tanti ſacrificij reuerentiam. Poſſem & alios innumerabiles antiquorum Patrum atque Epiſcoporum Conciliorumq́ue variorum ſententias ac decreta huc adferre; verùm quia hæc ad tuam labefactandam obiectionem, qua adſeris intra quingentos aut ſexcentos primos annos nullum ex veteribus extitiſſe, cui Miſſæ ſacrificium cognitum fuerit, ſatis eſſe queunt, ſuperſedeo. Etenim ſi accuratius *a* Lutheri tui, *b* Caluini libros euoluiſſes, non hæc tam leuiter effutijſſes; Quip-

Euſeb. in vita Conſtan. lib 4. c. 43. & ſeq.

Ibid. cap. 71.

Tom. 2. Cōc. pag. 358. cap. 4.

Tom. 2. Cōc. pag. 642. cap. 4.

a *Lib. de captiui. Babyl. & de abrogāda Miſſa.*
b *Lib. 4. Inſtit. cap. 8.*

Quippe qui ingenuè fatentur, ante centenos aliquot annos per totum terrarum orbem, Miſſam pro ſacrificio habitam, Deoq́ue oblatam; quodque vniuerſus populus ſimul ac Reges à minimo vſq; ad maximum ita ſemper crediderint.

CAP. VII.

TERTIO obijcis, *intra quingentos aut ſexcentos primos annos, Inuocationem Sanctorum in vſu non fuiſſe*: in quo Melanchtonis inſcitiam ſequeris, dicentis ante Gregorij Magni ætatem, neminem Sanctorum implorasse auxilium. Martinus quoque Kemnitius dicit auctorem inuocationis Deiparę Virginis Petrum fuiſſe Gnaphæum, qui vixit circa annum Domini 480. At verò Magdeburgenſes Centuriatores, qui aliquanto plus legiſſe videri volunt, rem multò faciunt vetuſtiorem, quod & ſtomachando nonnunquam vel inuiti fatentur; dum inquiunt, Vigilandum priſcæ ætatis hæreticum, Sanctorum negaſſe inuocationem, quem & ideo damnant. Superius quidem in antitheſi ſecũdæ propoſitionis puncto tertio, decem vel duodecim antiquorum Patrum, inter quos Auguſtinus, qui vixit anno Domini 430. recentior fuit, ſententiam recitaui; qui quidem omnes & Sanctos inuocarunt, & eoſdem ab alijs inuocari debere docuerunt; nihilominus tamen ad maiorem melioremq́ue tam tui quàm illorũ qui hæc noſtra lecturi ſunt inſtructionem, rem aliquanto lucidius demõſtrabo. S. Cornelius

Apolog. Confeſ. Auguſt.

In Exam. Seſſ. 25.

Centur. 4. c. 4. & centur. 5. cap. 4.

nelius Pontifex iuxta ac Martyr ſcribens de corporibus Beatorũ Petri ac Pauli Apoſtolorum, quæ ex catatumbis in vrbem tranſtulerat, ita loquitur: *Orãtes* inquit, *Deum & Dominum noſtrũ Ieſum Chriſtũ, vt intercedentibus ſanctis eius Apoſtolis maculas purget peccatorum noſtrorum.* S. Athanaſius hiſce verbis B. Virginis Mariæ patrociniũ implorat, *Ad te clamamus, recordare noſtri ſanctiſſima Virgo, quæ etiã à partu virgo permanſiſti. Intercede hera & domina, & regina, & mater Dei, ora pro nobis.* D. Baſilius Magnus de quadraginta Martyribus, eorumq; ſubuentione ſermonem inſtituens, inter cætera ita ait; *Hi ſunt qui noſtram obtinẽtes regionem quaſi quædam turres contra aduerſariorum incurſum refugium exhibent,* &c. Itemq;: *Sæpè,* inquit, *operam dediſtis, ſæpè laboraſtis vt vnum pro vobis orantem inueniretis: quadraginta ſunt hi, vnam orationis emittẽtes vocem. Qui aliqua premitur anguſtia, ad hos confugiat: qui rurſus lætatur, hos oret: hic vt à malis liberetur, ille vt duret in rebus lætis.* Refert Gregorius Nazianzenus Cyprianum adhuc gẽtilem ac magum, ſuis lenocinijs magiciſque artibus virginem quandam eximiæ pudicitiæ ſollicitãtem, conuerſum eſſe ad fidem: quod puella Beatam Virginem ſupplex obſecrans, dæmonis inſidias expugnarit, atq; ad nihilum redegerit. S. Gregorius Niſſenus Baſilij Magni germa-

Epiſt. 2. ad omnes fideles.

In Euang. de ſanctiſ. Deipara.

Homil 20. quæ eſt de 40. Martyr.

Orat. in laudem Cypr.

germanus,cõmemorans pium Chriſtianorũ zelum quod ad S. THEODORI Martyris reliquias quotãnis magna hominum frequẽtia inuiſendum,eiuſq; opem precib. implorandum,cateruatim confluebãt,tãdem & ipſe eundẽ inuocãs,hiſce vtitur verbis: *Nos, inquit, ô Beate* THEODORE, *anni circulo benignitate creatoris peracto, ſacrum hunc martyrumq́ ſtudioſum cœtum congregauimus, cõmunem adorantes Dominum, certaminumq́ tuorũ præconium mirabile celebrantes. Tu verò celebritatis author, quæcunq́ te ora tenet, huc ad nos veni. Multis beneficijs indigemus. Tu legationis munere fungere apud communem Regem pro patria tua. Martyris enim patria eſt locus, vbi ille paſſus eſt. Calamitates metuimus, pericula formidamus. Haud procul abſunt Scythæ, qui contra nos machinantur bellum. Vt miles propugna, vt Martyr pro conſeruis dicendi vtere libertate. Impetra nobis pacem, nè ipſæ celebritates intermittantur, nè rabidus & ſacrilegus barbarus in templis & altaribus comeſſetur, nè ſancta profanus conculcet. Quod ſi maiore ſit opus auxilio, fratrum tuorum chorum adhibe, & vnà cum omnibus ſupplica. Multorum preces iuſtorum, nationum & populorum crimina diluãt. Petrum admone, Paulum excita, Ioannem Theologum dilectum diſcipulum aduoca, vt Eccleſiarum* quas

Gregor. Nyſſenus orat. in S. Theodor. Martyrem.

Sancti non ignorant res noſtras.

quas conſtituerunt; pro quibus cathenas pertulerunt, pro quibus pericula & cædes perpeſſi ſunt, ſoliciti curam ſuſcipiant. Hæc quidem ille, Chryſoſtomus verò dignitatem Chriſti ex Apoſtolorum veneratione comprobans, ita ait. *Chriſtus omnium terrarum orbem ad ſe traxit adorandum, cùm mortuus fuiſſet. Et quid de Chriſto loquor, cum & diſcipulos poſtquam obierunt, tunc effulgere fecerit? Quid dico diſcipulos? nam & eorum loca & ſepulchra & tempora perenni memoria celebrari curauit. Nam & ipſe qui purpuram indutus eſt, accedit illa complexurus ſepulchra, & faſtu depoſito, ſtat Sanctis ſupplicaturus, vt pro ſe apud Deum intercedant.* Alibi verò ſubditos hortatur ſuos, vt Sanctorum preces deuotè expetant, ſuaſque ijs iungant. Cyrillus Hieroſolymitanus, Miſſæ ſacrificium exponens, *cum hoc,* inquit, *ſacrificium offerimus, mentionem facimus nominatim eorum qui ante nos obdormierunt: primum Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum: vt Deus orationibus illorum & deprecationibus ſuſcipiat preces noſtras.* Idem & B. Auguſtinus loco in margine citato facit; vt nimirũ hinc quãta ſit ſacrificij huius, in quo Sanctorum imploramus auxilium, vetuſtas, perdiſcas. B. verò Ambroſij verba ſunt hæc, *Obſecrandi,* inquit, *ſunt Angeli pro nobis, qui nobis ad præſidium dati ſunt: Martyres obſecrandi, quorum videmur nobis quod-*

Hom. 66. ad pop. Antioc.

Imperatores Sanctis ſupplicant, vt pro ſe apud Deum intercedant.

Homil. 44. in geneſ.

Catecheſi Myſtagogica 5.

Tract. 84. in Ioan. & Ser. 17. de verb. Domini.

Libro de Viduis.

Obſecrandi Angeli & Martyres.

quoddam corporis pignore patrocinium vindicare. Poſſint pro peccatis rogare noſtris, qui proprio ſanguine etiam, ſi qua habuerunt peccata, lauerunt. Iſti enim ſunt Dei Martyres, noſtri Præſules, ſpeculatores vitæ actuumque noſtrorum. Non erubeſcamus eos interceſſores noſtræ infirmitatis adhibere: quia ipſi infirmitatem corporis, etiam cùm vincerent, cognouerunt. D. Hieronymus Paulam inuocatis, ait. *Vale ô Paula, & cultoris tui vltimam ſenectutem orationibus iuua. Fides & opera tua Chriſto te ſociant: præſens faciliùs quod poſtulas, impetrabis.* Victor Vticenſis dum atrociter perſecutio deſæuiret VVandalica, diuos omnes hiſce compellat verbis, *Adeſtote Angeli Dei mei, qui nunquam deeſtis, conſtituti in miniſterio veſtro propter eos qui hæreditatem capeſſuri ſunt æternæ ſalutis, & videte Africam totam, dudùm tantarum Eccleſiarum cuneis fultam, nunc ab omnibus deſolatam. Deprecamini Patriarchæ. Orate ſancti Prophetæ. Eſtote Apoſtoli ſuffragatores. Præcipuè tu Petre beate, quare ſiles pro ouibus & agnis, à communi Domino magna tibi cautela & ſolicitudine commendatis? Tu Sancte Paule gētium magiſter, cognoſce quid VVandali faciunt Arriani, & filij tui gemunt lugendo captiui. Vniuerſiq; ingemiſcite Sancti ſimul pro nobis Apoſtoli.* Beatus Leo, re ac nomine Magnus, omnes ferè quos in ieiunijs Quatuor temporum ſermones ad populum habuit, hiſce

Epiſt. 27. ad Euſtoch.

Lib. 3. perſec. VVand. circa finem.

hiſce concludit verbis. *Quarta & ſexta feria ieiunemus, ſabbatho autem apud beatiſſimum Apoſtolum Petrum vigilias celebremus, qui & orationes & ieiunia & eleemoſynas noſtras precibus ſuis dignabitur adiuuare* Theodoretus Cyrenſis Epiſcopus, ſcribens de inſigni Chriſtianorum in frequentandis Martyrum Eccleſijs deuotione, inter cætera ita ait: *Martyrum templa conſpicua cernuntur, magnitudineq́ præſtantia. Neque verò ad hæc per annum ſemel, aut bis, aut quinquies aduentamus: ſed in eis ſæpè numerò dies feſtos peragimus, ſæpè diebus ſingulis eorum martyrum Domino laudes hymnoſq́ue cantamus. Quiq́ homines proſpera ſunt valetudine, conſeruari eam ſibi à Martyribus petũt; qui verò ægritudinem aliquam patiuntur, ſanitatem expoſcunt. Inſuper & ſteriles viri & mulieres, dari ſibi filios petunt Qui verò parentes ſunt, integra ſibi & propria cuſtodiri quæ conſecuti ſunt dona. Qui peregrè aliquo proficiſcuntur, petunt Martyres ſibi comites eſſe in via, vel potius itineris duces. Qui verò ſoſpites redierunt gratias agunt, acceptũ beneficium confitẽtes. Non qui ſe ad Deos accedere arbitrẽtur, ſed qui orent Dei Martyres tanquã diuinos homines, interceſſoresq́ ſibi eos apud Deũ aduocẽt ac precẽtur. Piè verò fideliterq́ precatos ea maximè conſequi quæ deſiderãt, teſtãtur illa quæ votorũ rei dona perſoluunt, manifeſta nimirum adeptæ ſanitatis* indi-

Libr. 8. Græcar. affectiõ. qui eſt de Martyribus.

Implorantur à fidelibus Martyrum auxilia.

Non inuocãtur Martyres tanquam dij, ſed tanquã aduocati & interceſſores.

indicia. Nam alij quidẽ oculorum, alij verò pedum, alij porrò manuum ſimulacra ſuſpendunt ex argento auroue confecta. Gratiſsimè namq; accipit eorum Dominus qualiacunq; ſunt dona: nec exigua, nec vilia dedignatur, quippe qui ea pro ferentis facultate metitur. Andreas Hieroſolymorum Epiſcopus, ſcribit *Beatam Virginem honorari à Regibus, Venerari à Principibus, atq; à populis obſecrari.* S. Hildephõſus de eadẽ loquẽs Virgine, vocat eã humani generis aduocatricẽ, ſtellã maris, ianuã cœli, Virginũ omniũ præcipuã, Regum Dominã, populorum Reginã, lumen gentium, ſpẽ credẽtium; cuius tandẽ patrocinium implorãs, ita cõcludit, *Oremus,* inquit, *vt ſit protectrix in proſperis, ſubmoueat noxia, ſuggerat profutura, admittat preces ſupplicantium intra ſacrarium diuinitatis, nobiſq; impetret conſortium ſuæ beatitudinis.* Ecquid tandem de his tibi Sãctiſſimis Patribus qui quidem omnes intra primos 50. aut 60. annos floruêre, ſolò Hildephõſo, qui an. Dñi 660. in viuis fuit excepto, videtur? Atq; hîc tamen tantæ interim ſãctitatis extitit, vt B. Maria cuius virginitatis honorẽ aduerſus hęreticorũ impugnationes editis aliquot libris egregiè tutatus eſt, veſtẽ ei mirabilis pulchritudinis cãdoriſque qua ſacris operaretur cœlit⁹ attulerit, vti teſtatur Iulianus Pomerius Toletanus Archiepiſcopus in vita illius anno 680. Tuam itaq; iam nunc ipſius conſcientiam appello, num mendacij meritò argui debeas, adfirmando nemi-

Nota vſum ſuſpendendi ad ſepulchra Martyrum tabellas votiuas.

In Salutat. Angel.

Serm. 6. de aſſumpt.

Digitized by Google

neminem intra primos quingentos aut ſexcentos annos, qui diuorum inuocandorum adſertor fuerit, repertum. Immò ipſimet vos Lutherani Lutherum pro vobis orare veſtraque negotia perſpecta habere fatemini, quod ſi ita eſt, cur non ſinceræ ſanctitatis viri iam æuum cum Deo perpetuum agentes, id facere valebunt, quod vos de impuro Apoſtolico monacho adſeueratis?

Naſus Cent. 1. verit. 68.

CAP. VIII. QVARTO, *neminem infra prænominatos annos extitiſſe ais, cui orationes pro defunctis eo modo quo nunc apud Papiſtas in vſu ſunt, cognitæ fuerint.* At id quoque nihil cum veritate affinitatis habere, dilucidè comprobabo, idque ex ipſa antiquitate. Adeò enim manifeſtè Catholicæ religionis doctrina omnium fuit in oculis, vt ſancta Romana Eccleſia Aërium qui vixit an. Domini 342. negantem pro defunctis ſacrificia offerēdum, orandum, eleemoſynaſque dandum, tāquam inſignem hæreticum damnauerit. Teſtantur id Epiphanius & Auguſtinus. S. Iacobus Apoſtolus in ſua Liturgia aſtruit, orādum pro defunctis: idem confirmant D. Baſilius & Chryſoſtomus in ſuis Liturgijs hodie exſtātibus; quarum vſus etiamnum apud Græcos, tum Romæ in eorum Collegio, quàm alibi in Græcia, celeberrimus eſt. Eadem prorſus reperiuntur in S. Marci Euangeliſtæ, Alexādrinis conſcripta Liturgia; nec non & illa qua Chriſtiani æthiopes vtuntur, quam Canonem Vniuerſalem nuncupant: Tum quoque in

Hæreſ. 75. De Hæreſ. cap. 53.

Vide Tom. 6. Biblioth. Sacra.

que in Chaldæorum Liturgia à Ioanne Baptiſta Habaſciuo latinitate anno 1547. donatam. Exſtant & ritus Miſſæ Mozarabicæ, in Hiſpania ante annos mille introductæ tempore ſcilicet S. Leandri Hiſpalenſis Epiſcopi, cui ſumma cum Gregorio Magno interceſſit familiaritas. In quo quidem officio, ſpecialis defunctorum fit commemoratio, proque ijs preces ac oblationes ſingulares offeruntur. Dionyſius Areopagita ſepeliendorum Chriſtianorum ritus deſcribens, dicit *Epiſcopũ ſeu Presbyterum ante ſanctum altare inclinatum, Diuinam orare clemẽtiam, vt defuncto cuncta per humanã infirmitatem admiſſa peccata dimittat, eumq́; in lucem ſtatuat & regionẽ viuorum, in ſinibus Abrahæ, Iſaac, & Iacob, in loco vnde aufugit dolor, & triſtitia, & gemitus, &c.* Sanctus verò Clemẽs Papa & Martyr multò copioſius atq; accuratius hæc literis cõſignauit, ex Apoſtolorum conſtitutione ita pro defunctis orari iubet. *Oremus pro fratribus noſtris, qui in Chriſto requieuerũt, vt Deus ſumma erga homines charitatis, qui animã defuncti ſuſcepit, remittat ei omne peccatum voluntarium & inuoluntarium: & propitius ei factus, collocet eum in regione piorum* τῶν ἀνειμένων, *id eſt, ſolutorum.* Itaque ſingulos ritus ad longum proſequens, dicit primò omnium defuncto remiſſionem peccatorum à Deo poſtulari, vitamque ſempiternam.

Lib. de Ecleſ. Hierarchia cap. 7.

Lib. 8. Conſt. Apoſt. c. 41.
Orare pro defunctis, Apoſtolica eſt conſtitutio.

Lib. 8. conſt. Apoſt. c. 41. 42. 43. ternam. Tum tertia die, corpus ſepulturæ mandari, in ſignum reſurrectionis Chriſti, qui tertia die reſurrexit à mortuis. Nona verò & quadrageſima die, ac poſtmodũ ſequẽti anno eleemoſynarũ precumq; ſubuentione defuncto ab amicis proximiſq; ſuccurri ſolere, dato inſuper pauperibus, qui idẽ & facerent, prãdio. Atq; hoc eſt ꝙ Chryſoſtomus, *Hom. 3. in epiſt. ad Philipp.* vt ſuperius diximus, palã hortatur, *vt ex Apoſtolica conſtitutione in venerãdorum celebratione myſteriorum pro viribus & ipſi defunctos iuuemus, & alios qui pro ipſis orent, commonefaciamus.* Qui & alibi: *Hom. 32. in Matt.* *Cur*, inquit, *poſt mortẽ tuorum pauperes conuocas? Cur presbyteros, vt pro eis velint orare, obſecras?* In Concilio Arelatẽſi circa annum Domini 326. in Gallia abs quinquaginta plus minus Epiſcopis, aliiſque diuerſis Eccleſiaſticis perſonis, ex Germania, Italia, Hiſpania vnà cum B. Syluestri Põtificis legatis cõfluentibus, celebrato, vnanimiter *Can. 2.* cõcluſum eſt, vt pro defunctis, qui nõdum plenè anteꝗ̃ iniunctæ ſibi pœnitẽtię ſatisfacere poterãt, hinc euocati erãt, etiã oblatio fieret ac Miſſæ officium perageretur. Idem quoq; quartum Carthaginenſe cõciliũ, *Can. 79.* cui D. Auguſtinus, cum 214. Epiſcopis anno 398. interfuit, decreuit. Nec nõ & Vaſenſe in *Can. 2.* Gallia Narbonẽſi, ab 18. Epiſcopis anno 442. habitũ. At verò in tertio Carthaginenſi, cui *Can. 29.* B. Auguſtinus cum 44. Epiſcopis ſubſcripſit an. Chriſti 397. præcipitur, *vt ſi defunctorum aliquorum pomeridiano tẽpore faciẽda ſit cõmenda-*

mendatio, ſolis orationibus id fiat ſi illi qui faciunt, iam pranſi inueniantur. S. Cyrillus Hieroſolym. nonnulla quę ad Miſſæ ſacrificium pertinẽt, ſuis exponens auditoribus. *Cum hoc,* inquit, *ſacrificium offerimus, facimus mentionem etiam eorum qui ante nos obdormierunt. Primum Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrũ, vt Deus orationibus illorum & deprecationibus ſuſcipiat preces noſtras. Deinde pro defunctis ſanctis Patribus & Epiſcopis. Deniq; pro omnib⁹ oramus, qui inter nos vita functi ſunt, maximũ eſſe credẽtes animarũ iuuamen, pro quibus offertur obſecratio ſancti illius, & tremendi, quod in altari poſitum eſt, ſacrificij. An enim ſi Rex aliquis eos à quibus offenſus eſt, in exilium pepulerit, poſteà verò illorum propinqui coronã aliquam conficiẽtes, pro his qui ſunt in ſupplicio, exulibus, eidem offerrẽt, nonne condonationem aliquam ſuppliciorũ ipſis dederit? Ad eundem modũ & nos, pro defunctis precationes adhibentes, quãuis ſint peccatores, non quidẽ coronã plectimus, ſed Chriſtũ pro noſtris peccatis mactatum offerimus, vt & nobis & illis eũ qui eſt benigniſſimus, propitiũ reddamus.* Hęc quidẽ ille. At verò Ambroſius de ſacrificio & oratione pro defunctis ſcribẽs ad Fauſtinũ, cui⁹ ſoror in Dño obdormierat, ſic loquitur: *Nõ tã deplorandã ꝗ̃ proſequendã orationib⁹ reor, nec mœſtificãdã lachrymis tuis, ſed*

Catecheſi 5. Myſtagogica.

Memoria ſanctorum in Miſſa.

Memoria defunctorũ.

Lib. 2. Epi. 8.

orationibus animã eius Domino cõmendandam. Idem quoq; animã fratris ſui Satyri hiſce verbis Deo cõmendat: *Tibi,* inquit, *Omnipotens Deus innoxiã cõmendo animam, tibi hoſtiam meam offero: cape propitius.* Non aliter ſentit & ipſe Epiphanius, dũ ait: *Proſunt autem & preces quæ pro vita defunctis fiunt, etiamſi totam culpam non abſcindant.* Et paucis interiectis: *Eccleſia neceſſariò hoc perficit, Traditione à Patribus accepta.* vbi tria notatu digna reperiuntur; *Primò,* preces, quę defunctorum gratia promuntur, eorũ ſpiritibus prodeſſe, etiãſi non totã ſemper eorum culpã abſumãt. *Deinde,* pro defunctis orare, cęremoniam eſſe à Patribus, hoc eſt ab Apoſtolis, eorundemq; ſucceſſoribus acceptam. *Poſtremò,* Eccleſiã neceſſariò hoc pietatis officium defunctis impẽdere, vtpote Maiorum Traditione, & cõſuetudine cõpulſam. Ioannes autẽ Chryſoſtomus qui ſingularum vitæ ſanctimoniã admirabili quadã & doctrinæ abundantia & dicendi facultate cumularât, multa certè inſignia ad hanc rem ſpectantia teſtimonia, in ſuis paſſim ſcriptis ſuppetens, inter cætera alibi ſic ait. *Nõ temerè ab Apoſtolis hæc ſancita fuerunt, vt in tremẽdis myſterijs defunctorum agatur cõmemoratio. Sciunt enim inde illis multũ contingere lucrum, vtilitatẽ multã. Cùm enim totus conſtiterit populus extenſis manibus, ſacerdotalis plenitudo, & tremen-*

In orat. funeb.

Lib. 3. hæreſ. 78.

Homil. 69. ad po. Antioch.

mendum proponatur ſacrificium , quomodo Deum non exorabimus pro his deprecantes? Et alio quodam in loco; *Non fruſtra,* inquit, *oblationes pro defunctis fiunt, non fruſtra preces, non fruſtra eleemoſyna. Hæc omnia ſpiritus diſpoſuit, volens vt nos mutuum iuuemus. Vide enim, vtilitatem accipiet ille per te, & tu per illum, non temerè diaconus clamat. Pro his qui defuncti ſunt in Christo, & pro his qui memoriã illorũ faciunt. Non diaconus eſt qui talẽ illã vocẽ emittet, ſed ſpiritus: non ſanctus, inquã, ſed domum &c.* Auguſtinus quoque, *Non negandũ eſt*, ait, *defunctorum animas pietate ſuorũ viuentiũ releuari, cùm pro illis ſacrificiũ Mediatoris offertur, vel eleemoſyna in Eccleſia fiunt.* Itemque. *In Machabæorũ libris legimus, oblatum pro mortuis ſacrificium. Sed etſi nuſquam omninò in ſcripturis veteribus legeretur, nõ parua eſt vniuerſa Eccleſia, quæ in hac conſuetudine claret, authoritas: vbi in precibus Sacerdotis, quæ Domino Deo ad eius altare fundũtur, locum ſuũ habet etiã commendatio mortuorũ.* Rurſus eodẽ libro ſic: *Cùm itaq; recolit animus vbi ſepultum ſit chariſſimi corpus, & occurrit locus nomine Martyris venerabilis, eidẽ Martyri animam dilectã commendat recordantis & precãtis affectus: qui cũ defunctis à fidelibus exhibetur, eũ prodeſſe non dubium eſt.* Et alibi: *Pompa,* inq̃t, *funeris, agmina exequiarum,*

Homil. 21. in act. Apoſt.

In Enchir. ad Laurent. cap. 110.

2. Mach. 12.

Lib. de cura pro mortuis cap. 1.

Cap. 4.

Serm. 32 de verb. Apoſt.

rũ, ſumptuoſa diligentia ſepulturæ, monumentorum opulenta conſtructio, viuorum ſunt qualiacunq; ſolatia nõ adiutoria mortuorũ. Orationibus verò ſanctæ Eccleſiæ & ſacrificio ſalutari, & eleemoſynis quæ pro eorũ ſpiritibus erogãtur, nõ eſt dubitãdũ mortuos adiuuari; vt cũ eis miſericordius agatur à Domino, quã eorũ peccata meruerũt. Hoc enim à Patribus traditum, vniuerſa obſeruat Eccleſia &c. Simeon ſolus, pro matris ſuæ anima hiſce apud Deũ intercedebat verbis: *Domine mi, propter me ſeruũ tuũ ſuſcipe animã meæ bonæ matris. Memẽto Domine, laborũ eius quos ꝓ me ſuſcepit. Memẽto Domine, vberũ quibꝰ me lactauit humilẽ & abiectũ &c. Da ei Angelos, qui eius cõſeruẽt animam à ſpiritibꝰ, & feris huiꝰ aëris: & ſi quid vt mulier, vel facto, vel verbo, in hac vita peccauerit, cõdona eius animæ.* Refert quoq; Conſtantinus Presbyter, quod B. Germano Antiſiodorenſi Epiſcopo, ſpiritus defuncti cuiuſdã apparuerit, petẽs pro ſe ac ſocijs orari, vt è purgatorij pœnis eriperentur: quod & factum. Liceret & alios, idem fatentes vetuſtiſſimos, omniſq; ſanctitatis antiquitatiſq; Patres, qui intra primos 500. aut 600. annos literarum monumentis claruêre, huc adducere, niſi illorũ teſtimonijs ſatis iam declaratum eſſet, Antitheſin tuam eſſe falſiſſimam. At fortè dices, illos alio quam nos ritu modoq; pro defunctis orationes habuiſſe ſuas; ſed certè nulla

Quibus operibus certò iuuentur mortui.

Leontius in eius vita ca. 17 eſt apud Sur. Tom. 4. Iulij die 1.

Lib. 1. vitæ eius cap. 17 Tom. 4. Surij. 31. Iulij.

hîc

hîc inter nos & ipſos diuerſitas. Vt enim illi defunctorum animas, precum eleemoſynarumq́; elargitionem ac Miſſæ ſacrificio iuuari palàm fatentur, ſic & nos.

QVINTO, dicis *B. Gregoriũ Magnum primũ huius nominis Põtificem, exhorruiſſe titulum Oecumenici ſeu vniuerſalis Epiſcopi, eoſque pro Antichriſti habuiſſe aſſeclis, qui hunc ſibi vendicarent*. Hinc profectò tuã prodis ignorantiã, q̃ vt cernas clarius, tria proferam. Primò quidẽ appoſitè admodũ vos citare Gregorium, qui an. Dñi 590. claruit, hoc eſt intra annũ 600. dum nullo adhuc næuo obfuſcata fuit Eccleſia, neq; vllus Romanus (vt vos dicitis) Epiſcopus cæteris ſe prætulit. Fuit etenim Gregorius, vti ex ſcriptis eius patet, eximię eruditionis vir, qui Hildephonſo, quem coëtaneũ habuit teſte, Gręcorũ omniũ ne dũ Latinorũ libris peruolutârat: vnde eò magis tãti viri in omnib⁹ vos ſequi ſentẽtiã, vti nos Catholici facimus, conuenit. Quod quidem dum facietis, certiſſimè deprehendetis, Gregoriũ nullaten⁹ Lutheranum aut Caluiniſtã fuiſſe, ſed verè Papiſtã, id eſt ſyncerè Catholicum. Et ne de cæteris eius lucubrationibus mẽtionẽ hic faciã, quatuor tãtummodò Dialogorum libros, quos quarto Põtificatus ſui cõſcripſit anno, ſtudioſè peruolutate, in quibus pręcipua quęq; Catholicę religiõis dogmata reperietis, nẽpe de Purgatorio, de energia ſacrificij Miſſę ꝓ viuis & defũctis oblatę, de vſu aquæ luſtralis, ſacrarũ imaginũ cultu,

CAP. IX.

Serm. 1.

Sãctorum reliquijs,peregrinationibus,ieiunijs,cælibatu Sacerdotum, Diaconorum ac Subdiaconorũ,tẽplorum altariumq; dedicatione, de ſacro chriſmate tam in baptiſmo quã cõfirmatione, demum de vita ac cõuerſatione monaſtica,atque id genus alijs. Nam profugos in primis monachos qui fœminas ſibi iunxerãt,vel vt vos dicitis, legitimi matrimonij vinculo ſociauerant, ad monaſteria redire compulit; inſuper & præcipuas Romanæ vrbis ſtationes ipſe inſtituit; Tum quoq; vt ſacroſancto Miſſæ officio nonnulla adiecit,vtpote Kyrie eleyſon,& Alleluia;itẽ ad Canonẽ ſex haſce voculas, *Dieſq; noſtros in tua pace diſponas*, Inſuper & horas Canonicas meliori diſpoſuit ordine,&pſallendi introduxit modũ,qui etiãnũ *cantus Gregorianus* appellatur. Prætereà ſupplicatiões maiores, quas Græci litanias vocant, primus inſtituit. Septem virorũ monaſteria ex paternis facultatibus ędificauit;monialiũ autẽ ad tria millia in vrbe ſuſtẽtauit. Quotidiè etiã in honorẽ Sãctorum Martyrum ſacris operatum cõſtat. Fuit & imaginum cultor ſtudioſiſſimus: quippe qui Secundino ſolitariã agenti vitã, pro inſigni munere trãſmiſit imaginẽ Saluatoris, & Sãctæ Dei genetricis, Beatorumque Petri & Pauli, quas animo oculiſq; infigeret, ac genuflexus veneraretur, ſicq; in ſui creatoris amorẽ harum obtutu vehemẽtius inflãmaretur. Idẽ & Serenum Maſſilienſem Epiſcopum,eò quod indiſcreto quodã zelo nonnullas

Lib.7. Indic. 1. Epiſt. 29. Lib.7. Indic. 2. Epiſt. 53. ad Secũdin. incluſum.

nõnullas imagines quibus ſimpliciores abntebātur cõfregiſſet, ſeuerè increpat. *Idcirco enim*, inquit, *pictura in Eccleſijs adhibetur, vt hi qui literas neſciũt, ſaltẽ in parietibus vidẽdo legant, quæ legere in codicib⁹ non valent.* Vnde ſeruãdas potius ſuadet, quàm tollẽdas, imagines; iſta interim adhibita cautela, ne populus eas cultu latriæ adoret. Cõſueuerat etiam diuerſis trãſmittere, aureas & argenteas cruces, cũ clauibus, quibus Sanctorum inſertæ erãt reliquię; vtpotè particulæ aliquot crucis Dominicæ, limatura cathenarum D. Petri, aut modicum quid de craticula S. Laurentij; *quia multa*, inquit, *per hanc benedictionem miracula fieri cõſueuerunt.* Qua de re copioſiùs agit in epiſtola ad Conſtantiam Auguſtam, lectu ſanè digniſſimam. Et hæc quidem omnia de hoc Beatiſſimo Præſule Gregorio iam commemorata, ex diametro Caluiniſticæ ac Lutheranæ religioni veſtræ repugnant. Vnde, non admodum opportunè, mi amice in hunc virum, quem nobis obiectares, incidiſti. Nihil enim aliud in omnibus B. Gregorij ſcriptis, factiſque clariùs relucet, quàm quod illius æuo, hoc eſt intra primos ſexcẽtos annos, totus mundus ex aſſe fuerit Papiſticus, idem ſcilicet peromnina ſentiẽs, quod nos Catholici hodierna die ſentimus. Certè ſi alium quempiam tuis fauẽtem erroribus ad manum habuiſſes, Gregorium qui parum ad veſtrum facit palatum, domi vtique reliquiſſes, ne-

Lib. 7. Epiſt. Indict. 2. ca. 109. & lib. 9. cap. 9.

Lib. 11. epiſt. 47. ad Eulog.

Lib. 3. epiſt. 30. Indict. 12.

Digitized by Google

que tam inconſideratè ſtrenuum hunc Papiſticæ fidei athletam, qui in veſtris nullatenus militat caſtris in campum produxiſſes.

CAP. X.

SECVNDÒ, nego Gregorium vllum Romanũ, Epiſcopum aut Pontificẽ, arguiſſe, quod ſe ſupremũ Chriſtianæ Reipublicæ caput appellitarit: alias enim ſuos oẽs damnaſſet prædeceſſores, qui ad vnum vſq; hanc ſibi iure authoritatem, vti in prima Propoſitione ſatis ſuperq; demonſtratum, vendicauêre. Nihilominus tamen tibi vt morem geram, ſubiungam hic eiuſdem ſententiæ ſeptem aut octo ſanctiſſimos atq; omni exceptione maiores Pontifices: Quorum primus ſit S. Iulius I. qui in epiſtola ad Orientales, ita loquitur. *Dudum à ſanctis Apoſtolis, ſucceſſoribusq; eorum in antiquis decretum fuerat ſtatutis, quæ hactenus ſancta & vniuerſalis Apoſtolica tenet Eccleſia, nõ oportere præter ſententiam* ROMANI PONTIFICIS *Concilia celebrari, nec Epiſcopum dãnari: quoniam ſanctam Romanã Eccleſiam Primatem omnium Eccleſiarum eſſe voluerunt. Et ſicut B. Petrus Apoſtolus primus fuit Apoſtolorum: ita & hæc Eccleſia ipſius nomine conſecrata, domino inſtituente, prima & caput ſit cæterarum, & ad eam quaſi ad matrem atque apicem, omnes maiores Eccleſiæ cauſſæ, & iudicia Epiſcoporum recurrant, eiuſq; iuſta ſententia terminum ſumant, nec extra* ROMANVM *quicquã ex his debere decerni* PONTIFICEM. S. Damaſus omni ſcientiarũ genere excultiſſimus Põtifex, *Oportet nos*

Extat in apol. 2. S. Athanaſ.

Epiſt. 2. ad Steph. & ad Conc. Afric.

nos, inquit, *qui ſupra domū Domini, hoc eſt vniuerſalē* ECCLESIAM CATHOLICAM *ſuſcepimus miniſteriū, ſolicitè vigilare, ne quid de ſacris eius muneribꝰ, id eſt, Apoſtolicis viris, Apoſtolorumq́ ſucceſſoribus atq miniſtris, quisq̃ nobis dormitantibus valeat ſupprimi, atq iniuſtè nobisq́ inconſultis dānari.* B. Siricius, *Portamus*, ait, *onera omniū qui grauantur: quin imò hæc portat in nobis B. Apoſt. Petrus, qui nos in omnibus, vt confidimus, adminiſtrationis ſuæ protegit, & tuetur hæredes, &c.* S. Anaſtaſius ſcribit ad oēs Germaniæ ac Burgūdiæ Epiſc. vt in quauis occurrente aduerſitate liberi ad ſe confugiant: *Si enim*, inquit, *neceſſe fuerit ob has vel illas neceſſitates, quaſi ad caput mittere, charitatiuè non dubitetis.* S. quoque Innocentius ſcribens ad Concilium Mileuitanum. *Diligenter*, ait, *& congruè Apoſtolico conſulitis honori, honori, inquam, illius, quem præter illa, quæ ſunt extrinſecus, ſolicitudo manet omnium Eccleſiarum, ſuper anxijs rebus quæ ſit tenenda ſententia: antiquæ ſcilicet regulæ formam ſecuti, quam toto ſemper ab orbe meum noſtis eſſe ſeruatam.* Vide eundem epiſt. 3. ad Exuperium Toloſanum; nec non & 2. ad Victricium Rhotomagenſ. Epiſcopum, in quibus eadem inuenies. B. Leo eximiæ ſanctitatis ac ſummæ eruditionis vir, multis in locis hunc Primatum, quē Petri ſucceſſores à Chriſto adepti

Epiſt. 1. ad Himerium Taraconēſ. Epiſcop.

Epiſt. 1. ad omnes Germaniæ ac Burgund. Epiſc.

Exſtat apud B. Auguſt. Epiſtol. 93.

Solicitudo omnium Eccleſiarum incūbit Romano Pontifici, ad res dubias decidendas.

ſunt,

ſunt, agnoſcens, inter cætera alibi ſic ait. *Rationabili obſequio celebratur hodierna feſtiuitas, vt in perſona humilitatis meæ ille intelligatur, ille honoretur, in quo & omnium Paſtorum ſolicitudo cum commendatarum ſibi ouiũ cuſtodia perſeuerat, & cuius dignitas in indigno hærede non deficit. Vnde venerabilium quoque fratrum & conſacerdotum meorum deſiderata mibi & honoranda præſentia, hinc ſacratior eſt & deuotior, ſi pietatem huius officij, in quo adeſſe dignati ſunt, et principaliter deferunt, quem non ſolum huius Sedis Præſulem, ſed & omniũ Epiſcoporum nouerunt eſſe* PRIMATEM.

Serm. 2. de anniuerſar. aſſumpt. ſuæ ad Pontif.

Romanæ Sedis præſul omnium Epiſcoporum Primas.

Itemque. *De toto mundo vnus Petrus eligitur, qui & vniuerſarum gentium vocationi, & omnibus Apoſtolis, cunctiſque Eccleſiæ Patribus præponatur; vt quamuis in populo Dei multi Sacerdotes ſint, multiq; paſtores, omnes tamẽ propriè regat Petrus, quos principaliter regit & Chriſtus.* Nec non & alio in loco. *Roma,* inquit, *ciuitas Sacerdotalis & Regia, per ſacram beati Petri Sedem caput orbis effecta, latiùs præſidet religione diuina (id eſt in ſpiritualibus) quàm dominatione terrena.* Plura & alia in eius epiſtolis huc pertinentia reperiuntur; adeò vt etiam ipſis 630. in Chalcedonenſi Concilio congregatis Patribus, modũ quem in agendo obſeruare oporteret, præſcriberet, nempè vt in omnibus ROMANAM fidem tenerent ac ſequerentur. Idem quoque

Serm 3. de eodem.

Vnus Petrus Apoſtolis & omnibus Eccleſiæ Patribus præponitur.

Serm. 1. de Apoſt. Petr. & Paul.

Vide etiam epiſt. 89. 41. 51. 84. 93. 49. 58. 88.

Digitized by Google

quoque Leo acriter redarguit *a* Anatolium Epiſcopum Conſtantinopolitanum, qui in eodem Concilio inſcijs Legatis Romanę Sedis clanculum impetrauerat, vt Conſtantinopolitanus primus eſſet poſt Epiſcopum Romanum, ſicque Alexandrino atque Antiocheno præponeretur. Quam quidem clauſulam irritam fecit Leo, confirmans interim ea, quæ Catholicè in hac Chalcedonenſi Synodo à Patribus ſancita erant. Omnes quoque Paleſtinę *b* Epiſcopos, ſuos appellat filios, vtpotè omnium Pater. Depoſuit etiam Baſſianum *c* Epheſinum Epiſcopum totius Aſiæ Primatem, eumque ſede orbauit, eo quod ſe ipſum intruſiſſet. Fecit & Anaſtaſiũ *d* Theſſalicẽſem Epiſcopũ, ſuũ per Græciam vicarium, qui rebus omnibus quæ iſtic in remotiſſimis regionibus ab Epiſcopis gererẽtur, ſuperintenderet, eaque ſibi denuntiaret. S. GELASIVS Papa epiſtola ad Epiſcopos Dardaniæ, ſic ait: *Cuncta per mundum nouit Eccleſia, quoniam quorumlibet ſententijs ligata Pontificum Sedes B. Petri Apoſtoli ius habeat reſoluendi, vtpotè quæ de omni Eccleſia fas habeat iudicandi, neque cuiquam de eius liceat iudicare iudicio.* Similiter habet in epiſtola ad Anaſtaſium Imperatorem, quam conſulat Victor, & in tomo de vinculo Anathematis. Nec non in epiſt. 6. ad Epiſcopos per Lucaniam, Brutios, & Siciliam conſtitutos cap. 11. Hormiſda Sanctiſſimus Pontifex, qui rerum potitus eſt anno Domini 515. ſcribens

a *Epiſt. 53. ad Anathol.*

b *Epiſt. 85.*

c *Action 11. Conc. Chalc.*

d *Epiſt. 84.*

Epiſt. 2.

Epiſt. 10.

ad Remigium Remenſem Archiepiſcopum, eum ſuum per Gallias vicarium inſtituit, præcipiens vt Sanctorum Patrum decretis vigilanter inſiſteret, eaque ſtudioſè obſeruari faceret: vnde & ait: *Quoties vniuerſale poſcit religionis cauſſa Concilium, te cuncti fratres conuocante conueniant: & ſi quos eorum ſpecialis negotij pulſat intentio, iurgia inter eos oborta compeſce, diſcuſſa ſacra lege determinando certamina. Quicquid autem illic pro fide & veritate cõſtitutum, vel prouida diſpenſatiõe præceptum, vel perſonæ noſtræ auctoritate fuerit cõfirmatum, totum ad ſcientiã noſtrã, inſtructa relationis atteſtatione perueniat.* S. Agapetus vti præcipuũ Catholicæ Eccleſiæ caput, Anthimũ Patriarchã fauore Iuſtiniani & Theodoræ Auguſtæ pollentẽ, nullo cõuocato (vt moris fuit) antè Concilio, anno Dñi † 535 officio deſtituit, excõmunicauitq́; ſubrogato in eius locum Menna, quẽ & ipſe cõſecrauit. Vigilius Papa Aureliano Epiſc. Arelatenſi, ſuas per Galliam vniuerſam vices committens, iubet vt in pace ac vnitate Epiſcopos omnes contineat. S. Pelagius huius nominis II. cui Gregorius, quem nobis opponis, immediatè ſucceſſit, ſcribens ad Epiſcopos in Concilio Conſtantinopolitano à Ioanne Patriarcha ſchiſmatico anno 587. contra Gregor. Antioch. conuocatos, irrita reddit. Omnia quæ ibidem concluſa erant, propterea ꝙ citra Romani Põtificis iuſſu ac voluntate vlla indicere Concilia illicitum

Vide Hincmar. Archiepiſ. Remenſ. qui vixit anno 850. in vita S. Remig. tomo 1. Sur. 13. Ianu.

† Baron. anno 536.

Epiſt. ad illegitimam Synod. Conſtã.

ſemper

ſemper ſic habitum: vnde hæc illius ſunt verba. *Multis, inquit, Apoſtolicis & Canonicis atq; Eccleſiaſticis inſtruimur regulis, nō debere abſque ſententia* ROMANI PONTIFICIS *Concilia celebrari. Orate ergo, fratres, vt honor Eccleſiaſticus noſtris dieb⁹ non euacuetur, nec vnq̃ Romana Sedes, quæ (inſtituente domino) caput eſt omniū Eccleſiarū, priuilegijs ſuis vſq̃ careat, aut expolietur.* Itaque cùm oẽs hi Sanctiſſimi Pontifices B. Gregorij prædeceſſores Apoſtolicam ſuã authoritatẽ in gubernanda vniuerſa Eccleſia prout audiſti, agnouerant ac defenderant, putaſnè tu mi amice, quod ab eodem Gregorio tanquam Antichriſti præcurſores, damnati ſint?

CAP. XI.

Hoc ſi audes adſerere, age videamus num ipſe Grego. meritò ſit culpãdus, q idem de Romana Sede ſummaq; ſua Põtificia, qua in multis ſæpè vſus eſt authoritate, fatetur. In epiſt. ad diuerſos tã Eccleſiaſticos q̃ ſeculares deſtinatis, ita loquitur. *Nos qui Sedẽ Apoſtolicã vice Petri Apoſtolorũ Principis gubernandã ſuſcepim⁹, ipſo Põtificatus officio cogimur generali hoſti quib⁹ valemus niſibus obuiare.* Et alibi *Hortor, inquit, vt dum vitæ ſpatiũ ſupereſt, à B. Petri Eccleſia, cui claues cœleſtis regni cõmiſſæ ſunt, & ligãdi ſoluendiq; poteſtas attributa, veſtra anima non inueniatur diuiſa: ne ſi hic eius beneficiũ deſpicitur, illic vitæ aditũ claudat.* Scribens quoq; ad Ioan. Panormitanũ Siciliæ Epiſc. ita ait: *Illud autẽ admonemus, vt*

Lib. 2. epiſt. 33 ad epiſt. Numid.

Lib. 3. epiſt. 41. ad Bonif. Magnif. Africa.

Epiſt. 42. lib. 11. Indict. 6.

Apoſto-

Apoſtolicæ Sedis reuerentia nullius præſumptione turbetur. Tunc enim ſtatus membrorũ integer manet, ſi caput fidei nulla turbetur iniuria. Ecce hîc põtificiam ſuam authoritatem *caput fidei* nuncupat. Et alibi, *Apoſtolica Romana Sedes caput eſt omnium Eccleſiarum.* Itemque, a *Cunctarum Eccleſiarum iniuncta nos ſollicitudinis cura conſtringit.* Et rurſus: b *De Conſtantinopolitana Eccleſia, quis eam dubitet Apoſtolicæ Sedi eſſe ſubiectam? Quod & Dominus piiſſimus Imperator, & frater noſter Euſebius eiuſdem ciuitatis Epiſcopus aſſiduè profitetur.* Tum alio in loco, *Neſcio,* c inquit, *quis Epiſcopus Sedi Apoſtolicæ ſubiectus non ſit.* Neque hæc verbis tantùm cõmemorat Gregorius, ſed & re ipſa omnimodam totius Eccleſiæ auctoritatem ſemper, vti ex multis liquet, ſibi vendicauit. Primò, quia in diuerſis mundi oris ſuos conſtituit vicarios, qui Epiſcopos alioſque Eccleſiaſticos vti Superintendentes, viſitarent, atque officij ſui monerent. Sic Petro Subdiacono d intra Siciliam Prouinciam, vices ſuas commiſit; cui poſtmodum ſucceſſit Maximinianus Syracuſanus Epiſcopus, e quem cæteris omnibus Epiſcopis vniuerſoque Clero præpoſuit. Sic f Ioanni Epiſcopo primæ Iuſtinianæ, palliũ ex more tranſmiſit, Sediſque Apoſtolicæ vices in Græcia iterata innouatione decreuit. In Gallia verò Virgilium g Arelatenſem ad peti-

Lib. 11. epiſt. 54.

a *Lib. 7. Indict. 2. ep. 49*

b *Ibid. epiſt. 63 ad Ioan. Syracuſ.*

c *Ibidem ep. ſeq. ad eund.*

d *Lib. 1. ep. 1.*

e *Lib. 1. ep. 4.*

f *Lib. 4. epiſt. 15.*

g *Lib. 4. epiſt. 51. 52. 53.*

Digitized by Google

petitioné Childeberti Regis Legatum fecit ſuum; qui cauſas decideret Eccleſiaſticas, grauioribus interim ſibi reſeruatis. Cæterũ aliorum electiones Epiſcoporũ ſuo quoque comprobauit aſſenſu, mittendo *h* Anaſtaſio Antiocheno pallium confirmationis, Patriarcharũ ſcilicet Archiepiſcoporumq; inſigne. Quorundam cauſas malè deciſas, irritas pronunciauit; vti cõſtat de *i* Ioanne Chalcedonenſi Presbytero, qui ab Epiſcopo Conſtantinop. hæreſis iniuſtè dãnatus, à Gregori Romã eſt accerſitus, atq; vt innocens ibidẽ abſolutus. *k* Seculariũ etiã cauſſas Eccleſiaſticas nõnunquam in alijs prouitijs curãdas ſuſcepit. Excõmunicationis fulmen nõnullis adeò intẽtauit, *l* vt à ſolo Romano Epiſcopo abſolui debuerint. Epiſcopos de *m* Sede in Sedẽ tranſtulis. Cumanam & Muſitanã anteà diuiſas, vniuit. Legatos ac viſitatores ſuos ad diuerſas deſtinauit prouincias, magna certè cum authoritate, è quibus *n* Ioannes defenſor in Hiſpaniã eſt ablegatus. Cõ pluribus Monaſterijs inſignia impertitus eſt priuilegia; vti S. Martini in ſuburbano Auguſtodunẽſi, vna cùm Xenodochio à Brunichilda Frãcorum Regina ibidem cõſtructo: nec non & S. Medardi Sueſſionenſis, quod varijs auctum priuilegijs etiam Epiſcopali exemit iuriſdictioni: graues infligens pęnas, his qui loci huius incolas vllatenus inquietare aut moleſtare præſumerent, hiſce vtens verbis. *Si quis autem Regum, Antiſtitum, Iudi*

h *Lib.1.epiſt. 26.*

i *Epiſt. 15. lib.1.*

k *Libr. 1. epiſt.60.*

l *Libr. 2. cap.46.ep 7.*

m *Lib. 2. ep. 11.ad Ioan. Velitran.*

n *Lib 10.ep. 30.Indict.6.*

Lib.11.ep. 8.

Lib.12.poſt epiſt.31. Indict. 7.

Digitized by Google

cum vel quarumcunq; ſecularium perſonarum huius Apoſtolicæ auctoritatis, & noſtræ præceptionis decreta violauerit, aut contradixerit, aut negligenter duxerit, vel fratres inquietauerit, vel cõturbauerit, vel aliter ordinauerit, cuiuſque dignitatis vel ſublimitatis ſit, honore ſuo priuetur. Hinc vides Põtificis Romani eſſe ſancire leges, quibus ſi ipſi Reges non pareant, regno priuentur. Inſuper idem Gregorius q Hilario Monacho præcepit de conuocando in Africa Concilio, quo Argentij Lemigenſis Epiſcopi, qui Donatiſtis fauere dicebatur, cauſſa diſcuteretur. Dedit quoque in mandatis r Ioanni Syracuſano Epiſcopo, vt Lucillum Miletinum ſede priuet. Commiſit & Ioanni Epiſcopo primæ Iuſtinianæ vicem ſuas agenti, vt Paulum Diaclinæ vrbis in Græcia Antiſtitem in carnis prolapſum peccatum, ab Epiſcopatu deponat, atque ad obitum vſque in Monaſterium ad perpetuam pœnitentiam agendam detrudat, corporis & ſanguinis Domini communione priuandum. Habes hîc integram rerum à Gregorio geſtarum decadem, & amplius, vt vel ex his cognoſcas, quid de Romani Pontificis auctoritate ſenſerit, quodq; prædeceſſorum ſuorum arguerit neminem, qui à Chriſto conceſſam Petro ſummam in vniuerſalem Eccleſiam prærogatiuam ſibi vſurparunt.

q *Lib.x.epiſt. 82.*

r *Lib.7.Indict.2.epiſt. 61.*

Lib. 10. Indict. 5. ep. 35.

CAP. XII.

TERTIÒ, dico B. Gregorium iuſtè ac debitè animaduertiſſe in illũ qui nõ illegitimè

timè ac faſtuoſè nomen Oecumenici Epiſcopi ſibi arrogauit. Qui quidem non Romanus fuit Pôtifex, ſed Ioannes Patriarcha Côſtantinopolitanus. Hic ex Monacho ad Sedis huius euectus Præſulatum, dum ſecum animo agitaret, Conſtantinopolim non minus Imperialem eſſe vrbem quàm Romam (quippè quę noua ſit Roma adpellari ſolita) nô ſatis habuit primas agere poſt Romanũ Pontificem, q̀ Anatholicis in Concilio Chalcedonenſi, vt ſuprà dictũ, molitus erat, verum etiã ipſi ſe ęquare authoritate voluit; ratus ad loci dignitatem Epiſcopalis quoque præeminentiæ ſubſecuturũ nomen. Atq; eam ob rẽ tẽpore Pelagij II. cui Gregor. eſt ſubrogatus, côuocatis ad Conciliũ Conſtant. Epiſc. Gręcis, OEcumenici Patriarchæ titulum popoſcit, impetrauitq́;. Quod dum ad Pelagij perlatũ eſt aures, irritũ fecit hoc conciliabulũ, acriterque increpauit inauditum Ioãnis Faſtum. Qui licet propriæ manus ſubſcriptione pollicitus eſſet (quod & cæteri omnes Conſtantinopolitani Patriarchæ ante Confirmationem ſoliti ſunt facere) nihil ſe vnquam aduerſus Apoſtolicam Romanam Sedem moliturum, neque in minimo eius priuilegia imminuiturum, voluit tamen & dignitate ac nominis honore Romano eſſe par. Quod certè prorſus iniquum ac ſuperbum erat: quippè cum CHRISTVS Petrum vniuerſo præpoſuerit mundo, neque Eccleſiæ ſuæ duo, ſed vnum tantum

 adſigna-

aſſignauerit caput, cui & oues & agnos ſuos omnes quotquot vbiq; ſunt, regendos nutriendoſq; commiſit, dicens nimirum ſoli Petro: *Paſce agnos meos, paſce oues meas.* Itaque Pelagio ſuccedens in pontificatu Gregorius, pro viribus laborauit, ad confringendā prę- fati Ioannis ſuperbiam, ſcribendo nimirum hac ſuper re non ſolum ad Mauritiū a Imperatorem, ſed & ad Conſtantiam Auguſtam, b nec non & Anaſtaſium c Antiochenū, itemque Eulogium d Alexādrinum Patriarcham, imò ad ipſum etiam e Ioānem ſuas dirigens literas, in quibus inter cætera ſic ait: *Veſtra autem ſanctitas agnoſcat quantum apud ſe tumeat, quæ illo nomine vocari appetit, quo vocari nullus præſumpſit, qui veraciter ſanctus fuit. Nunquid nam, ſicut veſtra ſanctitas nouit, per venerandum Chalcedonenſe Concilium huius Apoſtolicæ Sedis Antiſtites, cui Deo diſponente deſeruio, Vniuerſales oblato honore vocati sūt? Sed tamen nullus vnquā tali vocabulo appellari voluit, nullus ſibi hoc temerarium nomen arripuit, ne ſi ſibi in pōtificatus gradu gloriam ſingularitatis arriperet, hanc omnibus fratribus denegaſſe videretur. f Quia videlicet ſi vnus Patriarcha vniuerſalis dicitur, Patriarcharum nomē cæteris derogatur Sed abſit abſit hoc à Chriſtiana mente id ſibi quempiam velle arripere, vnde fratrum ſuorum honorem imminuere ex quantulacunque parte videatur.* Hęc quidem Gregorius, quæ ſimilitudine aliqua latiùs explicanda ſunt. Non enim vt in regno vno vnus eſt

Ioan. 21.

a Lib. 4 ep. 32.
b Lib. 6. epiſt. 30.
c Lib. 4. epiſt. 34.
d Lib. 6. epiſt. 31.
e Lib. 4. epiſt. 38.

f Epiſt. 36. lib. 4.

Digitized by Google

eſt conſtitutus rex, qui multos ſub ſe habet vicarios & gubernatores, vaſallos ſcilicet & ſubditos ſuos, ita in ſancta conſtitutum eſt Eccleſia: Nam in hac quilibet Epiſcopus, verè, & (vt Cyprianus loquitur) *in ſolidum* eſt Epiſcopus, nullius agens vicarium, licet Romano interim ſubiectus Pontifici. Non ſecus ac in ſacro Romano Imperio: in quo etſi quilibet Dux & Comes ſuæ habeat imperiũ ditionis, paret tamen Imperatori, à quo dum delinquit puniri poteſt. Atque hoc eſt quod Grego. dicere intendit; quem tu interim, mi amice, nec accuratè legiſſe, nec probè ſatis intellexiſſe videris; vtpote nõ diſtinguẽs inter Supremũ & inter OEcumenicum Epiſc. Etenim Supremus is eſt, q alios oẽs ſibi habet ſubiectos; ſubditorum inſtar. Oecumenicus verò ſeu vniuerſalis, qui ſolus & vnus in cæteros omnes Imperium ſibi vendicat, nullos ſub ſe Epiſcopos habet, ſed Vicarios tantum, quemadmodum Suffraganei veris ſubſunt Epiſcopis. *In ſuo Concilio.*

CAPVT XIII.

SExtò adſeris *à multis eruditione atq; auctoritate præſtantib. viris, tum ſcriptis tum cõcionibus Pontificum Romanorũ faſtum, adeoq́ue eorum doctrinã ac conſtitutiones ex Sacræ ſcripturæ teſtimonijs egregiè eſſe confutatum.*

Atqui neminem certe adhuc Catholicorum vel vidi vel legi, qui Romanum Põtificẽ nomine Antichriſti (quod vos factitatis) appellarit, vel eum ſupremum Eccleſiæ eſſe caput, atq; tàm Eccleſiaſticorum quàm ſeculariũ

larium Chriſtianorum omniũ Paſtorem primarium, negauerit. Nam nimis apertè Chriſtus Petro eiuſq; ſucceſſoribus oues atq; agnos omnes regendos commiſit, dicens, *Paſce oues meas, paſce agnos meos*. Adeò vt nullus omninò Chriſti ouis aut agnus cenſeri aut haberi queat, qui non Petrum pro ſuo legitimo Paſtore ac Primate agnoſcit: quemadmodum ſuperiùs B. Leonis teſtimonio comprobatum eſt. Sed interim, dic amabo, qui nam ſunt iſti eruditione atq; auctoritate prętantes viri, qui & calamo & viua voce Romani Pontificis faſtũ retuderunt. Noui etenim cõplures eximiæ eruditionis Scriptores, qui poſt tempora B. Gregorij fidei ſinceritatem, ac vitæ ſuæ ſanctimoniã, variorum exhibitione miraculorũ demonſtrarunt; quorum tamen ne vnus quidẽ ſeſe Romano opponere Pontifici, aut eius labefactare doctrinam vel in minimo conatus eſt. Gregorius intra primos ſexcentos annos in viuis fuit; cui in 7. ætate ſucceſsêre Auguſtinus & Mellito cũ ſocijs, in Angliã gentiliũ cõuertendorũ gratia ab eodem ablegati. Octauo aũt ſeculo S. Cuthbert⁹ & Ioãnes in eadẽ inſula (Beda teſtante) claruêre. Nono, Tharaſius Cõſtantin. Patriarcha. X. S. Romualdus, nec non & S. VVenceslaus Bohemiæ rex, Martyrij palma inclytus. X I. S. Eduardus, Angliæ Rex, ac B. Anſelmus Cantuarienſis Archiepiſc. X I I. S. Malachias Hiberniç Præſul, & D. Bernhardus Clareuallenſis. X I I I. S. Franciſcus, Domini-

Ioan. 21.

Serm. 3. de Anniuer. aſſumpt. ſua.

Digitized by Google

minicus, Petrus Martyr, Thomas Aquinas, Bonauentura. XIV. S.Bernardinus Senenſis, Nicolaus Tollentinus & alij. XV. S.Vincētius Valentinus, cognomento Ferrerius, qui potens in opere & ſermone Sarracenorum octo, Iudæorum verò 2500. ad fidem Chriſti conuertit. Inſuper & peccatorum millia cētum ad meliorem reduxit frugem, adeoque miraculorū gloria fuit illuſtris, vt inter cæteras innumerabiles ab eo res præclarè geſtas, octo admodum triginta vita functis, lucis huius vſuram reddidiſſe, pro comperto habeatur. Refert enim hoc ipſe S. Antoninus, qui eodem viuens ſeculo, ſcriptis clarus extitit. Noſtris præterea temporibus, hoc eſt decimo ſexto ſeculo, fuêre Franciſcus de Paula, Ignatius Loyola, Frāciſcus Xauerius, multique alij vt eruditionis laude, ſic miraculorum virtute inſignes. Et tamen omnes hi Pontificiam auctoritatem aduerſus omnium ſeculorum hæreticos acriter defenderunt, non minus quàm ipſa ſacra Concilia, tum Generalia tum Prouincialia, ſuperius à nobis allegata. Qui ergò ſunt iſti eruditione atque auctoritate præſtantes, quos commemoras? Scimus hæreticos omnes ſemper Romanam oppugnaſſe Sedem, idque iam olim factitatum ab ipſo primo hæreſiarcha Simone Mago, indeque vſque ad Lutherum eiuſque aſſeclas, Melanchtonem, Bucerum, Caluinum, Swenckfeldium, Anabaptiſtaſque perſeueraſſe.

Part. 3. hiſto. Tit. 33.

Teſtatur Guitmundus Berengariũ Sacramentariorum primum, ſolitum Romanum Epiſcopum non pontificem ſed ponpificem cõtumeliæ cauſa appellare, quaſi hominem aliquem pompæ ac faſtui deditum. Gelaſius quoque Pontifex cõqueritur hæreticis nunquam non in ore fuiſſe ſuperbiam atque arrogantiam Romani Pontificis, propterea quod ad Orthodoxam conuerti nolint fidẽ, ad quã eos pertrahere magnoperè pontifices adlaborant. Itaque quod ſeculorum omnium hæretici tanto niſu Romanæ obſtrepunt Sedi, duabus potiſſimum de cauſis fit. *Primò* quidem, quod cùm animo ſint elati, detractent vllius ſe imperio ſubdere, ac potentiori cedere, ſed Luciferi inſtar ſuperiores ſemper videri appetant. *Secundò*, quod ob priuilegium ſeu prærogatiuam Romano Pontifici à Chriſto conceſſam, impoſſibile ſit, vllam ſubſiſtere ac conualeſcere hæreſim. Nam cùm Chriſtus promiſerit nec in- inferorum quidem portas aduerſus hanc ſuam Eccleſiam præualituras, ideo huic diuinæ certitudinis voci inhærens Pontifex, mox vbi recentem aliquam exoriri conſpicit hæreſim, illicò nouitatem eſſe proclamat orthodoxæ fidei contrariam, repugnantem ſcilicet tàm ſacrarum litterarum monumentis, quàm Apoſtolicis ſanctorumque Patrum Traditionibus. Itaq; haud quaquam mirum, vos Lutheranos qui quaſi in vnam camerinam antiquas oẽs conflatis hæreſes, tan-

Epiſt. ad Anaſtaſium Auguſt.

Digitized by Google

tantoperè execrari Põtificem, eiuſq; doctrinam, adeò vt quaſi pro firmiſſimo fidei articulo habeatis, Papam & Antichriſtum eſſe vnum idemq́;. Quo quidem ſtante (ſtabit autem, nî Chriſtum ipſum mendacem dicere velimus) omnis veſtra nouitas, omnis recens introducta hereſis, omniſq́; reformati Euangelij veſtri vanitas euaneſcit, atq; in fumum abit. Nam per vicarium ſuum, id eſt, Romanum Pontificem, Chriſtus nos edocet, omnia religionis veſtræ dogmata diuinis repugnare mandatis, ſacris contrariare ſcripturis, Apoſtoliciſque Traditionibus repugnare. Quippe quæ nulllam ad rem aliam ſpectant, quàm ad Orthodoxam labefactandam fidem, virtutem omnem profligandám, ſacrarum cæremoniarum ritus abolendos, omnem denique religionem exterminãdam; quibus omnibus eradicatis, atque in perpetuum exilium religatis, pro fide ſuccedat perfidia; pro virtute, nequitia; pro pietate impietas; quoadvſque tandem pro Chriſtianiſmo introducatur Turciſmus aut Mahometiſmus. *Aurifaber Tit. 27.*

CONCLVSIO ANTAGONISTAE.

Inferimus ergô, quàm rectiſſimè Reformatos agere, qui diuuinis humanisq́;

 ratio-

rationibus conuincunt male hæc in Papatu fieri, atque ideo meritò, ea redarguunt.

CAP. XIV. CVR tam infenſo in Pontificem ſitis animo, iam dictum. Verùm nihil omninò vobis veſtrum in Pontificiam Sedem vatinianum odium proderit: hanc enim nullo euertetis conatu, prout Lutherus male ſibi perſuaſum habuit, dicens.

Peſtis eram viuens, moriens tua mors ero Papa.

Primum quidem verum, ſcilicet Lutherum noxiam quandam peſtem fuiſſe non Pontifici ſolùm, verùm & orbi vniuerſo, falſum autem alterum; hic enim iam obijt, & Papa interim magis vires ſuas conſolidat amplificatque, non ſolum in orientem ſed & occidentem palmites extendens ſuos. At verò ſi tantoperè te affligit nomen iſtud *Oecumenicum*, quod Gregorio mirum in modum diſplicuiſſe adſeris, cur non idem arguis in Miniſtris Tubingenſibus, qui hoc eodem titulo Conſtantinopolitanum condecorarunt Patriarcham? Cùm enim Auguſtanam ſuam Confeſſionem eidem obtuliſſent, cupientes hac ratione eum ad Lutheraniſmum pellicere, atque ſub vmbra alarum eius deliteſcere, hac vſi ſunt inſcriptione: *Sanctiſſimo, ſummæq; authoritatis Principi, ac Domino, Domino Hieremiæ, Archiepiſcopo*

Con-

Conſtantinopolitano, noua ſcilicet Roma, nec non Oecumenico Patriarcha, cuius ſanctiſsimis manibus hac tradantur. Si itaque omnes illi ſunt pro Antichriſti habendi præcurſoribus, qui Oecumenici vocãtur, cur ergo Magiſtri veſtri Patriarchã Conſtantinopolitanũ, quẽ ſibi in protectorẽ adſciſcere conantur, hoc nomine compellant? Et cur quæſo eidem *Sanctiſsimi* adſcribunt titulum, ſi Antichriſti eſt prodromus, cur ſummam auctoritatem tribuunt, ſacratiſſimiſque manibus honorem deferunt? At forſitan dices te Caluiniſtam (vt reor) agere, atque ideo Lutheranorum placita non ſuſcipere. Verùm interim mihi reſpondeas velim, cur Beza Hugoniſtarum primus Apoſtolus, ac Caluini in Sede Geneuenſi ſucceſſor, *Miniſter Generalis* nuncupari voluit, ac publicè fateri fratres in India degentes, ſolitos ad ſe tanquam ad religionis ſuæ Antiſtitem ac Primatem quæſtionum Eccleſiaſticarum dubia tranſmittere, earundemque reſolutiones præſtolari? Qui quidem inter cæteras, etiam hanc eidem propoſuerunt; vtrum ſcilicet in regionibus vino deſtitutis, cęnam Dominicam ſolo pane citra calicis vſum adminiſtrare liceret. Quam quæſtionẽ Pontificia ſua auctoritate determinans, reſpondit nullatenus id fieri poſſe (hoc etenim in Papiſtis merito reprehendi) ſed tali caſu licere vti potu vulgari, qui iſtis in locis in quotidiano habetur vſu: Nõ enim Chriſtũ tã abſolutè de vi-

de vino locutum, quàm de potione. Sed certè nullus vnquam Romanorum Pontificum tam inſulsè vnquam reſpondit, immutans ſcilicet contra expreſſum Dei verbum Chriſtique inſtitutionem ipſorum materiam Sacramentorum. Arguito itaque, amice mi, Papam hunc Geneuenſem, qui ſuæ auctoritatis nullum dabit euidens documentum, ac ſinito interim Romanum Pontificem in ſua Sede; quam à Chriſto ſibi datam vltra mille quingentos annos vniuerſo approbante orbe, omniq́ue populo Chriſtiano reuerenter agnoſcente, quietè hactenus occupauit.

OCTAVA CATHOLICORVM PROPOSITIO.

RPIMI auctores fidei Chriſtianæ, tam in Germania inferiore, quàm in Italiâ, Hiſpaniâ, Francia, &c. aliam fidem nec agnouerunt, nec in has regiones induxerunt, nec Maiores aliam vel edocti ſunt, vel receperũt, quàm ſanctam CATHOLICAM ROMANAM: quàm eandem à parentibus noſtris accepimus, acceptamq́ hactenus conſeruauimus.

IMPIE

IMPIE igitur faciunt Martiniſtæ, Caluiniſtæ, alijq́; Sectarij, qui aliam quandam ſuam excogitatam opinionem, tanquam certiſsimam fidei regulam, & purum ac putum verbum DEI, populo obtrudunt, quàm vel vniuerſus Orbis agnouerit, vel ipſi à Maioribus ſuis didicerint. Scriptum enim legimus: Sicut prædiximus, & nũc iterum dico. Si quis vobis euangelizauerit, prętèr id quod accepiſtis, anathema ſit; *hoc eſt, à DEO ſit ille maledictus.*

IPSI diuini verbi præcones Apoſtoli, quã quam meliorem orbis partem Euangelici luminis face illuſtrauerint, multis tamen in regnis ac prouincijs id facere nequiuêre, quibus illorum potius diſcipuli verbum veritatis annunciauerunt. Belgium enim Chriſtianæ fidei dogmata partim anno Domini 562. partim 680. aut circiter ſuſcepit, Dania aliquanto poſt, hoc eſt anno 760. Bohemia 800. Hungaria 990. Noruuegia 1150. & ſic de cæteris. Nullus autem vel locus, vel prouincia de Lutherana religione quidquã ſciuit; ſed omnes ipſam Catholicam amplexi ſunt religionem; cuius quidem proſeminatores plerique fuere monachi; eorum nimirum, qui diui Benedidi inſtitutum profitentur, CAP. I.

tur, quinque de Romani mandato Pontificis, huic ſeſe agriculturæ dedidêre. Itaque ſi Catholica noſtra religio eſt impia, illicita, profana, ſequitur oẽs haſce iam nominatas Prouincias, aliaſque quam plurimas, nunquam ſincere Chriſtianas fuiſſe, & per conſequens ipſæ ſacræ mentiuntur literæ, ſæpè ſæpius Prophetarum vaticinijs nobis annunciantes, per totum fore terrarum orbem Euangelicæ veritatis lumen diffundendum. Sed reſpondebis forſitan, adhuc meſſem eſſe in herbam, & aliquãto poſt purum putum Dei Euangelium ſupradictis in regionibus prædicandum: quod quidem vt nunc in Francia, Anglia, Scotia, Germania, Belgioque viget, ſic & aliquando illic vigebit. Verùm ad hoc duo potiſſimum infero. *Primò* quidem, ſupra modum deplorandum, neminem omninò prædeceſſorum noſtrorũ verè fuiſſe Chriſtianũ, ſed paganos omnes, infideles, idololatras, ac perpetuo damnatos; per quos tamen ad veræ fidei cognitionem peruenimus. Itaque malè ſibi cauiſſent, qui orthodoxam fidem pro cacodoxam eſſent amplexi. Eſtne hoc Saluatoré agere (quærit Bernardus) ob pauculos homines rerũ nouarũ auidos totum damnare mũdum? *Secundò*, feſtinãdum vobis, ſi toto orbi veſtram velitis innoteſcere doctrinam. Superſunt enim plurimæ adhuc integræ regiones Lutheraniſmo imbuendæ: quæ niſi accelerauëritis, verendum ne mundi appropinquet

Serm. 66. in Cantic.

pinquet terminus, neue ſerius ipſa multis modis adulterata fides veſtra in tam varias ac longè diſſitas regiones perueniat. Quippè quæ ſæpè ab ipſis veſtris diſcipulis noua atq; alia quotidiè excogitantibus, variatur. At quę tamen hiſce verbis noſter reſpondit Antagoniſta.

ANTITHESIS AD OCTAVAM PROPOSITIONEM.

Conſtat quidem Apoſtolos, vt Paulum, Petrum, &c. alióſque ſanctiſſimos Deum timentes viros, primos fuiſſe in Hiſpania, Italia, Gallia, Chriſtianæ religionis fundatores; at verò nullam hos aliam præter ſuperſtitioſam atq; Apoſtolicam Romanam docuiſſe fidem, nullo vnquam tempore probabitur. Et licet ipſi proaui noſtri in hiſce Belgicis prouincijs præter Romanam nullā fortaſſis aliam agnouerint, ſiue quod malè eſſent inſtructi, ſiue tēporis vetuſtate in errorē prolapſi, nihilominus tamē illorū ignorantia priſtinæ Chriſtianæ fidei ſinceritati nihil præiudicat.

CER-

CERTE hîc, mi amice, admirari libet, tuam ſiue inſcitiam, ſiue (quod potius reor) malitiam, qui haſce affanias effutire non erubeſcis. Sunt enim in his notanda potiſſimum duo, quorum primum: *Primos ſcilicet Chriſtianæ fidei initiatores, vt Petrum, Paulum &c. non habuiſſe eandem illam ſuperſtitioſam atq; Apoſtolicam religionem, quam nos Catholici hodiè profitemur*. Conſidera hic primò, ſtudioſè cauere hęreticos, ne Petrũ Paulo pręponant, cùm cęterorum Apoſtolorum fuerit vertex, prout Sancti Patres edocent, ipſiq́ue Euangeliſtæ omnes Petrum, cæteris anteferunt, atteſtante id Matthæo ac dicente, *Duodecim autem Apoſtolorum nomina ſunt hæc, Primus Simon, qui dicitur Petrus &c.* Conſidera ſecundò, non ſine inſigni blaſphemia nominari ab hæreticis Catholicam noſtram fidem. *ſuperſtitioſam Apoſtolicamq́ue*. Verùm ignoſcatur hoc picis loquaribus, quæ vt roſtratæ ſunt, ſic cantilenam obganniunt ſuá. Cùm etenim hæretici ſint, hæreticè garriũt, Chriſtumq́ue ac ſponſam eius Eccleſiã, horrendis impetunt blaſphemijs. Verùm ad fidem interim priſtinam quod attinet, dic amabo, cuius nam fidei initiatores ac profeſſores primi illi Apoſtoli fuerint, Lutheranæne, an Caluinianæ, an verò Anabaptiſticę, vel alterius factionis? qualis eſt Puritana, Melanchtoniana, Buceriana, Oecolampadiana, Zuuingliana, Carolſtadiana; quippe quæ omnes Sacramentariorum ſunt membra,

Matt. 10. verſ. 2.

brã, licet malè conuenientia ac mutuo ſeſe oppugnantia. An potiùs fuêre Illiricanorũ partium fautores, vel Stancarianorum, Brẽcianorum, Heshuſianorum, aut etiam Vbiquitariorum. Omnes enim hi Auguſtanæ Confeſſionis profeſſores dici ac haberi volunt, etiamſi atrociter inter ſe diſſideant, ac hoſtiliter digladientur. Et certe cùm quælibet harum factionum ſuum crepet Euangelium, quælibet verbum Dei ebuccinet, quælibet propriorum propugnatori ſit dogmatum, propriæ fidei nundinatrix, fare age, quorumnam Euangelium Apoſtoli tradiderunt? Fortè vulgares Caluiniſtæ aſtruent fuiſſe ſuum. At vnde id liquidò cognoſcam, cùm idem etiam nobis obſtrepent Puritani, Zuingliani, ac cęterę factiones omnes? Certè id veriſſimè conſtat, omnes horum Sectariorum partes, nouas eſſe adinuentiones, ac nuper admodum, hoc eſt ante octoginta plus minus annos, è tenebris erutas: quarum ne vna quidem ſinceræ fidei nomẽ meretur; quippe cum noua ſint figmenta, atque excogitata turbulẽtorum hominum nullius momenti phantaſmata, riſu omnino ac cachinno digna, ideoque merito explodenda. Nullatenus enim dubiũ, quin primi iſti, de quibus loqueris fundatores, eam nobis fidem reliquerint, quæ per totum diffuſa terrarum orbem, veſtra hac cum rabie nihil communionis habet. Nam & prudenter admodum Auguſtinus, *Si quid per orbem*, inquit, *frequẽ-* *Epiſt. 18. c. 5.*

tat Eccleſia, de hoc vlterius diſputare, inſolentiſſima eſt inſania. Et quia ſuperius ſatis efficacibus demonſtratum eſt rationibus, ab Apoſtolorum temporibus, vſque in diem hodiernum, nullam in rebus fidei apud nos factã immutationẽ, haud quaquã neceſſarium opinor, ea hic denuò repetere.

CAP. III. ALTERVM quod notandum occurrit, eſt illud, *non ideo ſcilicet quicquam præiudicatum inſinceriori religioni, quod proaui noſtri ſiue malè inſtructi, ſiue aliâs in errorem prolapſi, aliter ſenſerint*. Sed an nondum etiã ſapis, mi amice, tuamque obcæcatam cõfideras malitiam, impiamque crudelitatem aduerſus auos & proauos: qui etſi puram putamque ſint amplexi religionem, ſacris diuinorum Euangeliorum ac ſanctæ matris Eccleſię decretis conformem, à vobis tamen in tartarum atque ad perpetuæ gehennæ ſuſtinendæ flammas abligantur. Idque nullam aliam ob cauſſam, niſi quod fucatas noui à nobis excogitati Euangelij adiuuentiones ſuſcipere detrectent? Itaque haud quaquam ad erroris veſtri arbitrium, primus Chriſtianæ fidei eruendus eſt initiator, ſed potius ex vero Euangelio, ac peruetuſta Eccleſiæ vniuerſalis conſuetudine: vnde ſatius foret, atque ad ſalutem animarum veſtrarum vtilius, ſi hoc vel ſimili modo ratiocinaremini. Parentes ac prædeceſſores noſtri tam in belgicis hiſce Prouincijs, quàm alijs Chriſtiani orbis regionibus infra primos

Digitized by Google

mos ſexcentos aut ſeptingentos annos ad fidem conuerſi, iſtud omnino amplexi ſunt Euangelium, quod cum Lutherano recentiori nulla in re penitus conueniens, per vniuerſum mundum prædicatum fuit. Ergo nos qui & tempore iuniores ſumus, & aliam fidem introducere conamur, ab ipſo primario Chriſtianæ religionis capite deſciſcimus, & in periculum ſalutis noſtræ, à recto veritatis tramite, quàm longiſſimè deuiamus. Scio tamen hanc vobis conclùſionem non magnoperè placituram, quòd vitiorum tenebri, ac mentis malitia obcæcati aduerſus quoſuis conſcientiæ ſtimulos obdurueritis. Nam & ſæpius à me repetitum licet, nos Carholici ne latum quidem vnguem à ſaniori diuinarum litterarum ſenſu declinemus, arguimur tamen hoc nomine à vobis; idque ideo quia excogitatis recentioris Lutherani Euangelij hæreticis adinuentionibus non adhæreſcimus.

CONCLVSIO ANTAGONISTAE.

Hæc itaqne de cauſſa referimus nos ad prioris ac vetuſtioris fidei dogmata, à Chriſto eiusq; Apoſtolis prædicata: quibus ſi quis inhæſerit, pax ſup illos

& miſericordia. Maledictio autem his qui aliud Euangelium annunciauerint. Hoc autem faciunt omnes illi qui humanas adinuentiones ac conſtitutiones, ſimplicioribus pro Dei verbo obtrudunt, nimirum alicuius Apoſtolicæ Traditionis.

CAP. IV. AD quod non inuiti reſpondemus, *amen, amen*, id eſt, fiat fiat: ſunt enim omnia quæ proponis, veriſſima, ſcilicet, *Nullum aliud prædicandum Euangelium, quàm quod Chriſtus prædicauit; Qui contrarium fecerit, maledictio ſit ſuper illum*. Conuenimus ergò, amice mi, in his omnibus: ait non in aſſumptione, in qua quidem conſtituendum eſt, qui nam illi ſint, qui aliud Euangelium prædicantes, humanas adinuentiones ſimplicioribus obtrudunt. Vos hæretici id de Romanis affirmatis, nos Catholici id pernegantes, hęc in vos vtpote hæreticos, ſciſmaticos, ac nouos dogmatiſtas regerimus. Quod vt probetur manifeſtius, rẽ accuratius inſpiciamus. Nos enim quotquot Catholici ſumus, vt nihil prædicamus vel docemus aliud præter id quod Chriſtus docuit ac prædicauit; ſic nullo modo humanas adinuẽtiones pro Dei verbo vlli obtrudimus. Illud verò non imus inficias, quin plurima ſint, quæ ſacrarum literarum monumentis expreſ-

expreſsè non contineantur, ſed potius in ſinu Sanctæ matris Eccleſiæ ſint repoſita, prout ſuperius ex Hieremia, Paulo Apoſtolo, alijſque Doctoribus qui infra primos quingentos extitêre annos conuicimus. Quod & vos vel inuiti fatemini, qui lubentes agnoſcitis quatuor Euangeliſtarum ſcripta, nec non & 14. epiſtolas, &c. Eſſe autem eadem illa quæ omnium iam in manibus ſunt, purum ac putum Dei verbum à Spiritu ſancto dictatum, non autem ab vllis excogitatum hominibus. Sed vbi quæſo hoc in ſacris reperies literis? aſſigna ſi potes vel minimum locum, & facilè tibi victoriæ palmam tradidero. Si itaque religionis veſtræ fundamentum in eo conſiſtet, vt nimirum credatis illud omninò eſſe ſincerum Dei verbum, quod nobis in vſu eſt, licet id nuſquam ex ſacris comprobari queat ſcripturis, certè neceſſario ſequitur, vos nonnullis fidem adhibere, quæ diuinis non ſunt tradita literis. Verùm de his alibi copioſius. Inſuper nos Catholici aſtruimus, hominum conſtitutiones ac præſcriptiones pro humanis conſtitutionibus ac præſcriptionibus habendas, non autem pro diuinis aut Apoſtolicis Traditionibus, quæ tamen cum omni reuerentia, tanquam à legitimis ſuperioribus noſtris, quibus obedientiam debêmus, relicta obſeruamus. Si enim Chriſtus ſuis præcepit diſcipulis, Scribarum ac Phariſæorum inutilibus parêre præceptis, quan-

Hier. 31.
2. Cor. 3.
Hebr. 8.
Matt. 23.

quanto magis à nobis requirit, ſtudioſè obſeruare ea quæ nobis à Prælatis noſtris, ac ſpiritalibus magiſtris præſcribuntur? Quorum dictis iuſſiſque vt morem geramus, ipſe iubet Apoſtolus, dicens; *Obedite Præpoſitis veſtris & ſubiacete eis. Ipſi enim perui gilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri.*

Hebr. 13.

CAP. V. ADDIMVS præterea, nonnulla inueniri ſacris litteris nobis non tradita, quæ tamen non vt humanas, ſed potius vt Chriſti inſtitutiones obſeruamus, licet ſine ſcriptura ad nos delata. Quorum quidem cognitionem ab ijs hauſimus, qui vt Apoſtolicis vicini temporibus, aliquot annorum luſtris vos, qui poſt mille quingentos annos in mundum veniſtis, atque heſterni eſtis, præceſſerunt; ita maiorem hiſce in rebus quas ab ipſis edidicêre Apoſtolis, fidem merentur, quàm nouelli ac malè feriati hæretici. Vetuſtiſſimi ac Sanctiſſimi Patres, qui primis quadringentis vixêre annis (hoc enim ſuperius multis euicimus teſtimonijs) vno ore fatentur, per manus nobis traditum, pro viuis pariter ac defunctis, ſacroſanctum Miſſæ peragere officium, Chriſti ac diuorum colere imagines, Sanctorum opem precibus implorare, orare pro defunctis, ſacro inungi chriſmate tum baptiſmi tum Confirmationis tempore, adgeniculari Sacerdoti, atque apud

apud eum commiſſa deponere peccata, quadragintale nec non quatuor temporum, vti & qualibet hebdommada duorum dierum ieiunium, atque id genus alia in pretio habere. Quæ quidem à vobis vt humanæ Deiq́ne verbo repugnantes conſtitutiones, floccifiunt. Sed quorum ſententiæ magis ſtandum, quibuſq́ue maior commodanda fides? vobisnè qui tot ſeculorum luſtris ab Apoſtolorum abeſtis temporibus, quique nil niſi ex ſacris petitum literis (quæ tamen non omnia quæ Apoſtoli factitarunt aut inſtituerunt, in lucem proferunt) pro autentico habetis, atque ideo plurima ignoratis? An verò ipſis antiquiſſimis, ſanctiſſimis, eruditiſſimiſq́ue Patribus, qui vt ſincerum Dei verbum magna in veneratione habuêre, ſic Apoſtolorum æuo propinquiores, multa hęc quàm vos accuratius integriuſq́ue ſcire potuerunt? Horum etenim plerique Chriſti Apoſtolos oculis conſpexêre ſuis, ac coram affati ſunt: vtpote Martialis, Dionyſius Areopagita, Ignatius, Policarpus, Clemens; nonnulli verò horum diſcipuli extitêre; nempe S. Irenæus, Ignatij; primi autem Romani Pontifices, Clementis. Alij verò qui his ſucceſsêre, quicquid litterarum monumentis nobis tradiderunt, ab illis ſeu quaſi per manus, ſeu viua voce acceperunt. Itaque multò plus fidei hiſce oculatis habendum eſt teſtibus, quàm ijs qui æuo longiſſimo abfuêre.

CAP. VI. INTERIM tamen, vos hæretici ſimplici plebeculæ multa phantaſmata, hæreſes plurimas, excogitatas adinuentiones varias, verbi Dei prætextu obtruditis, recenſque quod nuſquam in rerum natura extitit Euangelium, proponitis: cuius vt nec ſcriptura vſpiam meminit, nec vlla rerum diuinarum inſtitutio Apoſtolicaque Traditio, aut Patrum memoria, ita nec his mille quingentis annis, vel minima vſpiam huius extant veſtigia, aut tenues ſaltem ſcintillæ. Veſtrum habet Euangelium, Papam eſſe Antichriſtum, nihil credendum quod non expreſſo Dei verbo præcipiatur, totum eſſe figmentum humanum, quod non ſacris literis contineatur, quemlibet cibum quolibet ſumi licere tempore, Monachis ac monialibus, non minus quàm Presbyteris, non obſtante ſolemni caſtitatis, quod Deo promiſerunt, voto, fas eſſe ad matrimonium conuolare. Imagines quoque Chriſti ac Sāctorum, vt inanes ſtatuas ac idola confringere, fidem ſolam ſine vllis operibus, vtpote inualidis iuſtificare: Diuinorum mandatorum obſeruationi inſiſtere, eſſe omninò impoſſibile, quin potius in quolibet nos actu peccare, ac perpetua gehennæ ſupplicia promereri: In ſacramento altaris nudum exhiberi panem (vel vt Lutherani aſſerunt) panem cum corpore Chriſti, hominem libero carere arbitrio, nullum ſacramentum ad ſalutem neceſſarium; paruulos ſine baptiſmi lauacro

uacro (hanc etenim ſententiam veſter tuetur Magiſter, Caluinus) ſaluari, quemadmodum & Chriſtum *a diuinæ vltionis ſeueritatem ſenſiſſe*, *atque cum inferorum Copijs* (obſtupeſce quæſo ad execranda blaſphemi hominis verba) *æternaque mortis horrore, quaſi conſertis manibus colluctatum*. Miſſam proinde idololatricum eſſe ſacrificium, nullum extare expiatorium ignem, atque ideo fruſtraneas fieri pro defunctis preces; Epiſcopis, alijſque Eccleſiaſticis Prælatis, nullam eſſe præter verbi prædicationem poteſtatem; omnes Miniſtros ac Concionatores, licet nullis interim initiati ſint Ordinibus, Eccleſiæ tamen ſacramenta conficere, ac populo diſtribuere: & id genus alia, abſurda prorſus, ac Chriſtianorum auribus hactenus inaudita, quæ neque apud vllum Euangeliſtarum, neq; in vllo ſacrorum Bibliorum codice ab annis mille quingentis exarata inueniuntur. Et tamen hæc ex malè ſano veſtro tenebro deprompta figmẽta, veri Euangelij ac diuini verbi loco habetis; nõ quidẽ quod ſacris litteris prodita ſint, ſed quod fuco quodam verborum, ac non ſatis probe diuinarum intellectis ſententijs, ea obtorto collo ad veſtram ſtabiliendam hæreſin protrahatis, ad ſignificandum, nimirum id quod omninò non ſignificant, vt ſic ſimplici plebeculæ fumum vendatis, ac morbida pro ſanis obtrudatis.

a Lib. 2. Inſtit. cap. 16. §. 10.

Et quamquam nos Catholici manibus pedibuſ-

dibuſq; reluctantes, ex ſanctis Patribus qui infrà primos ſexcentos aut ſeptingentos annos vitam miraculorũ gloria illuſtrem exegêre, luce clariùs demonſtremus, falſas eſſe interpretationes veſtras, ac ſano ſcripturarum ſenſui contrarias, veritatis tamen nomine eas dignamini ac tuemini: Quippè qui textum per ſe euidentem eſſe, priſcæ ætatis Patres, quantumuis ſanctos, quãtumuis eruditione præſtantes, vt homines errare potuiſſe & erraſſe, cõfingitis; Catholicos quoque verbum Dei adulteraſſe. Et vt vnico verbo ſimul omnia; quicquid adſtruitis, purum putúmque Dei verbum eſt, cuius genuinum ſenſum vt toti mundo incognitum, ſic vobis exploratiſſimum eſſe vultis. quod quidem paucis hic demonſtrare exemplis licebit. Sincerum Dei verbum eſt, *vt Epiſcopi ac Presbyteri ſint vnius vxoris viri*. Horum verborum ſecundùm Lutheri Euangelium ſenſus requirit, vt nullus omninò Epiſcopus ſit aut Presbyter, qui non vxorem vel habeat, vel paulò pòſt habiturus ſit; non obſtante quod vel ex Sacerdoti Tharactere, vel monaſtica profeſſione ad perpetuam caſtitatem cõſectandam Deo obligatus ſit. Eſt enim Dei, inquit, verbum ac prçceptum, immò plus quàm præceptum. Verùm nos interim Catholici, Lutheranam hanc expoſitionem explodentes, potius recurrimus ad ipſos antiquiſſimos Orthodoxos Patres: in quo-

quorũ ſcriptis nihil omninò quod huic erroneæ patrocinetur ſententiæ, inuenitur: quippè qui pari conſenſu affirmant, Pauli mentem non eſſe, vt Epiſcopi vel Presbyteri matrimonij ſeſe vinculis implicent, ſed vt nullus ad hanc promoueatur Eccleſiaſticæ dignitatis functionem, qui plures quàm vnã olim vxorem habuerit; alias enim & Ioannes Euangeliſta, & Paulus ipſe, cæteriq́ue Apoſtoli omnes (ſolo excepto Petro) qui cœlibem tranſegère vitam, diuinæ iuſſioni reluctati eſſent, vxorij inexpertes thori. His tamen nullatenus obſtantibus, adhuc ſanum ſibi ſenſum tribui volunt Lutherani, rerum ſuarum adſertores tenaciſſimi.

Inſuper cùm ſcriptura Sanctæ Euchariſtiæ Sacramenti mentionem facit, ac panem nominat, mox ipſi verbum hoc ad piſtorium referunt panem, non conſiderantes vocari panem viuum qui de cœlo deſcendit; quem qui manducauerit in æternum ſit victurus. Et licet tam ſcriptura ipſa, quam orthodoxi priſcæ ætatis Pàtres, dicant non eſſe hic vulgarem panem qui ex piſtoris furno protrahitur, ſed reale ac veriſſimum CHRISTI Corpus (quod quidem quia ſub panis accidentibus à nobis adoratur ac ſumitur, panis nomine abuſiuè nuncupatur) nihilominus tamen vobis non niſi vulgaris panis eſſe perſeuerat, noſq́ue qui veſtram expoſitionem vt hære-

Ioan. 66.

hæreticam reprobamus, violentas ſcripturæ manus inijcere dicitis. Vt autē in hoc, ſic in cæteris omnibus excogitatis nouis adinuentionibus veſtris, antiquorum more hæreticorū facitis, quas pro ipſiſſimo Dei verbo rudi popello venui exponitis. Ite igitur ac melius videte, qui nam illi ſint qui humanarum conſtitutionū adinuentiones, pro diuinis pręceptis hominibus obtrudunt; noſnè Catholici, an verò vos hæretici.

GENERALIS CATHOLICORVM CONCLVSIO.

Sequitur ergò neceſſariò, eſſe prorſus impoſſibile, vt vlli Martiniſtæ, Caluiniſtæ, alijq́ hæretici ac ſectarÿ, talibus permitioſarum opinionū commentis Deo vel placeant, vel æternæ beatitudinis participes reddantur, ipſasq́ perpetuas gehennæ flāmas euadant. Nam cùm fieri non poſſit vt ſine recta fide quiſquā Deo ſit acceptus, ipſi autem hac deſtituti, nouas à ſe excogitatas adinuentiones, pro ſincero Dei verbo, vt iam à nobis probatum eſt, amplectantur, atque

in ÿs

in ijs malitioſè perſeuerent; hinc inferimus, illos nec gratiam Dei, nec ſalutem poſſe conſequi. Itaque memores, chariſſimi, quàm innumeras annorum myriades æternitas contineat, quàm atrociter gehennæ tormẽta deſæuiant, quàm ocÿſſimè humanæ vitæ filum abrumpatur, ipſaqúe ineuitabilis mors præ foribus præſtoletur, animæ veſtræ ſalutem rebus omnibus ſublunaribus anteferte.

ET reuera, ſi tuis cum complicibus, ſeriò hæc mi amice, animo peruolutares, non dubium quin facili momento quantis in periculis verſeris, peruideres. Neque hîc diſceptatione opus vlla. Si enim vel leuiter litteris ſis tinctus, vel in ſanctorum orthodoxorum Patrum ſcriptis mediocriter verſatus, ſtatim ad oculum videbis, quantas errorum ſtrages recentia adinuentionum veſtrarum commenta in mundum inuexerint. Ingredere ſaltem vel tuam ipſius cõſcientiam, atque illam diuinis oculis obijce, quibus aliquando te ſiſtes, redditurus coram ſupremo illo tribunali animarum omnium tua hæreſi deceptarum, quas quidem Chriſtus DEVS ac Dominus noſter, pretioſo ſanguine ſuo atque acerbiſſimis cruciatibus, imò CAP. I.

& mor-

Digitized by Google

& morte crudeliſſimè obita diabolicis è faucibus ereptas, in libertatem aſſeruerat, rationem. Vnde ego certè etiamne nũc quidem vel auditione percepi, vllum vnquam veſtræ farinæ hominem cœli factum eſſe incolam: quare ſi id vel diuino aliquo teſtimonio, vel minimi ſaltem miraculi exhibitione de Luthero veſtro, aut Caluino eorundemque aſſeclis comprobare quiueris, provt Catholici de ſuis ſæpiſſimè factitarunt, extra noxam planè eritis. Nam vniuerſam immutare ac reformare Catholicam religionem, idque ſine vlla teſtificatione, quod vel in vita Deo placeatis, vel poſt obitum gehennæ pœnas euadatis (ad has enim, vt Catholica tenet fides, omnes cuiuſque conditionis hæretici protruduntur) magna eſt temeritas, inſignis demẽtia, periculum maximum: eoque grauius, quod mundus vniuerſus hanc veſtram admiretur ac damnet inſolentiſſimam veſaniam. Obſecro igitur vt conſiderato fine, ſaltem vllam famæ veſtræ boni nominis rationem habeatis. Sed quid? inexſpectatam profectò concluſionem mihi ingeris, dum inquis.

GENERALIS CONCLVSIO ANTAGONISTAE.

Ex præfatis itaque liquet, octo Propoſitiones Papiſticas inualidas eſſe, at-

Digitized by Google

ſe, atque omni carentes fundamento; noſtras autem iniuſtè de nouitate argui. Cùm id potius de nulla ſecta, quàm de Papatu conuenientius dici queat, prout ex ſubſequentibus apertius conſtabit. Enimuerò quid ſolidi in medium proferam pro adſertione 1. Supremæ poteſtatis, quã ſibi Romanus Pontifex tàm in temporalibus quàm ſpiritualibus audacter vendicat? 2. Quid de multiplicibus in eâdem Eccleſia officijs ac ordinationibus dicent? 3. Quid de varijs imaginibus ac ligneis templorum, quas pro Deo colunt ac adorant, ſtatuis? 4. Similiter de Inuocatione Sanctorum: 5. De inſigni pompa ac veſtimentorum ſuperfluo, qui eſt apud vos in vſu, ornatu. 6. De ſeptem Sacramentis: 7. De Miſſæ Sacrificio: 8. Oblatione pro viuis ac defunctis. 9. Tranſubſtantiatione panis in corpus Chriſti. 10. Auriculari confeſſione. 11. Indulgentijs & peccatorum remiſſionibus. Item de 12. Purgatorio. 13. peregrinationibus,

Digitized by Google

bus. 14. nec non & Clericorum cœlibatu, atque id genus mille; quorum nullæ diuinarum literarum teſtimonio adprobatæ ſolis (vt præcipui quiq; Romanæ Eccleſiæ Doctores fatentur) Traditionibus humaniſque adinuentionibus nituntur? Immò nihil ferè inter Romanos ac reformatæ Eccleſiæ profeſſores cõtrouertitur, quod non illi ad aliquam ſiue Apoſtolicam, ſiue Pontificiam Traditionem referant, decernantque: cùm interim nos in negotio ſalutis omne id reſpuimus, quod non vel expreſſè Dei verbo cõtineatur, vel per conſequentiam debitam inde eliciatur. Vnde rectè inferimus, Papiſticam religionẽ nihil eſſe aliud, quàm hypocriticæ alicuius apparentiæ humanis ſubnixum adinuentionibus, prætextum: cui quamdiu quis inhæſerit, Deo placere ipſamq; adipiſci ſalutem haud poterit. Itaque tu mi optime lector, ſi ſalus tua tibi cordi eſt, ſi perpetuos inferorum cruciatus euadere ſtudes, declina à malo

& fac

& fac bonum, fuge de medio Babylonis, ne cùm ea in æternum pereas, ac potius veræ Dei Eccleſiæ adhære. Procul ſit à te omnis impietas, omnis pernitioſa Libertinorum indulgẽtia, omnis deniq; ſectariorum turba, vt eo confidentius ad ſaniorem te fidem, omni virtutum genere ornatã, fideq; ac charitate cõdecoratam, recipias: ad quod vt tibi, ſic omnib⁹ Dei omnipotẽtis gratia præſto ſit. Amen.

CAP. II.

NOTA hic in primis, Eccleſiam Catholicam integris mille ac quingẽtis annis per vniuerſum terrarũ orbem longè lateque diſperſam, *Sectæ ac Babylonis nomine indigetari, quæ nihil aliud ſit quàm hypocritæ alicuius apparentiæ prætextus, humanis ſubnixus adinuentionibus: cuius ſi quis præſcripto velit viuere, eum nullo vnquam tempore Dei vultum intuiturum, aut ſalutem adepturum, ſed ad inferni barathrum præcipitem iturum.* Eheu ſero nimis è molli prorepſiſti lecto amice mi, vt cœleſtis vitæ ianuam nobis Catholicis præcludas, gratiaq; Dei atque eius beatifica viſione nos priues. Innumerabiles Papiſtæ Catholicæ noſtræ inhærẽtes fidei, ac bonorum operũ ſtrenuos ſe ſectatores exhibẽtes, iam Chriſto in cęleſtibus fruuntur, repudiata interim Lutherana veſtra hæreſi, quã non ſecus ac diabolicum aliquod inuentum exploſe-

Digitized by Google

protulerunt,excommunicarunt,execrati ſunt.
Atq; huius quidē rei fides, diuino poteſt cō-
probari teſtimonio:Miraculis nimirum,quę
& vitæ innocenter actæ, & mortis præclarè
obitæ ſufficientia ſunt indicia,eos iam cęlo
potiri.Vnde puerilium minarū veſtrarū in-
tentationes penitus exibilamus. Scimus ete-
nim SS. hoſce viros,Benedictū, Bernardum,
Franciſcum,Dominicum,Vincentium, Bru-
nonem, Thomam,Bonauenturam, Franciſ-
cum Paulanum papiſticæ, atque Monaſticæ
religionis profeſſores,iam ſempiternū cum
Chriſto æuum degere. Horum ne vnus qui-
dem Lutheranā agnouit fidem , ſed in omni-
bus articulis noſtræ papiſticæ religiōis pro-
feſſores fuêre. Quorum equidē veſtigijs ſe-
dulò inſiſtentes (hoc enim omni conatu fa-
cere ſtudemus)fideiq; ſinceritati adhæreſcē-
tès,haud quaquam ambigimus, quin ad eo-
rum tandem conſortium perducendi ſimus,
nihil interim veſtris morati maledictis,quę
vobis potius ſunt pertimeſcēda: quippè qui
ne vnum quidem ex toto hæreticorum ve-
ſtrorū grege producere poteſtis, de quo cer-
to conſtet,eum nō ſub perpetua Luciferi ty-
rannide grauiter nunc ingemiſcere. Eia age,
profer vel minimum à vobis editum mira-
culum.Verborum etenim nugamēta veſtro-
rum, quæ & anabaptiſtis & alijs hæreticis
vobiſcum communia,fidem nobis ſufficien-
tem non faciunt. Rebus præclarè geſtis, ac
miraculorum ſignis religionis documenta
com-

Digitized by Google

mprobanda ſunt, de ſalute veſtra exploti quid habeamus.

CAP. III.

CIO equidem tanto apud vos in pretio haberi Lutherum, vt ſanctiſſimum eú poſt hriſtum prædicetis: Sic enim ſcripſit de eo Cyriacus Spangenbergius. *Hic vir Dei plus apientiæ & intellectus, diuiniq; ſpiritus in minimo ſuo habuit digito, quã omnes Monachi, Preſbyteri, Epiſcopi, Pontifices, Patres, Concilia, Vniuerſitates, ab initio Papatus, nemine excepto.* Et vt plenius cognoſcas, quid ſibi hoc teſtimonio Spangenbergius velit, receſet omnes ex ordine Pontifices, numero 243. Eraſmus Albertus teſtis eſt, *plus eruditionis & ingenij in vno Lutheri inueniri libro, quàm in omnibus, qui multis retro annis poſt Apoſtolorum æuum conſcripti ſunt.* Cuius & hæc alibi ſunt verba; *Pro cõperto,* inquit, *habeo, quod qui à Deo in Doctoris Martini ſchola edocti non ſunt, nihil quicquam de Deo ſciant, quamuis multa prædicent, idq; in vno Caluino patet.* Et paulò inferius ſubiungit, *ſe neutequam dubitare, D. Auguſtinum ſi viueret, Doctoris Martini diſcipulum ſine vllo pudore ſe profeſſurum.* Luneburgi in æde Diui Lamberti, depictus eſt Lutherus ea corporis magnitudine, qua in vita fuit, toga amictus ſacerdotali, ſub pedibus cygnum habens, ad læuam verò verſiculum hunc, quem ſibi viuo (vt ait Pomeranus) Epitaphij loco compoſuit.

Lib. 7. de dæmonibus.

Tom. 2.

Aduerſus Carolſtad.

Peſtis eram viuens, moriens ero mors tua
Papa.

ad ſiniſtram vero hi germanici rithmi conſpiciuntur.

Auß Japhets geblüt vom Heydniſch ſtam/
Nehmals groſſer liecht auff erden kam.
Als Luther der thewre (hoc eſt, venerandus) Man/
Dar mit wilt Gott beſchloſſen han.

Quaſi Luthero nuſquam ſimilis in mundo naſceretur. Cùm igitur tantarum virtutum heros fuerit Lutherus, nõ mirum ſi tam ſublimem eidem in cœlis adſignent locum, cùm ſcribunt.

Chriſtus habet primas, habeas tibi Paule ſecundas
Aſt loco poſt illos proxima Luther habet.

Vnde ſanctiſſima Dei genitrix, ipſe præcurſor Chriſti Baptiſta, quo inter natos mulierum maior nemo ſurrexit, Apoſtolorũ vertex Petrus, alijque Apoſtoli omnes, nec non & Martyres, Confeſſores, totaque cœleſtis curia, imò ipſe D. Michael Archãgelus cum omnibus alijs Hierarchijs aduentanti in cęlum Luthero, deferre ac cedere debuêre; adeò vt iam eius ſub pedibus omnes hi deliteſcant. Atq; hinc eſt quod Lutherani Concionatores Lutherum pro ſuggeſtu citantes, ſumma cum reuerentia caput aperiant. Gregorius quoq; Stampius Hamburgi parochiæ D. Catharinæ Paſtor, Lutheri allegans dogma, ita ait: *Hunc in modum præſentem, expo-*

nit

nit locum ipſe Venerabilis vir Dei, ac Sanctus Doctor Lutherus, noſter in Chriſto Pater amantiſſimus. Sed eheu iam fucatos hoſce adulatoriæ dignitatis titulos, nō ſentit Lutherus, niſi ad cruciatuum ſuorum apud inferos, vbi multò deteriorem ſortitus eſt locū, grauius incrementū. Nam non ſolum ipſe, ſed & cæteri hæretici omnes, qui in ſua obierant hæreſi, iam in Plutonis regno, ſuorum pœnas errorum (vti Eccleſia Catholica, ſuper firmā fundata petram expreſſè pronunciat) ſeuerè luunt. Itaque qui Eccleſiæ non credit, ethnici ac publicani habendus eſt loco. Quàm autem infœliciter hinc nonnulli hęreticorum Magiſtri Superintēdentes emigrauerint, fide dignorum teſtimonijs operæ pretium fuerit commemorare. *Marc.16.*

CAP. IV.

LVtherus dum viueret, plus habuit familiaritatis ac domeſticæ cōſuetudinis cū dœmone, quàm cū beatorum ſpiritibus. Ergò cum illis iam agit æuū, & non cum his. In menſalibus ſuis fatetur colloquijs, (eſt aūt iuxta tritum vulgi ſermone prouerbium, *in vino veritas*) dęmonem ſolitum frequenter ſolum conuenire, maximè cùm nocte expergiſceretur; tunc enim non diſputationes tantum initas, ſed & modum ſibi à cacodæmone præſcriptum, quo Eccleſiæ Catholicæ articulos impugnaret. Cæterùm miſcuiſſe Lutherū cum diabolo familiaria colloquia, eaque frequentia, quibus inter ſeſe varia cōferebant argumēta, ad Catholicam Chriſti *Aurifaber tit. de dœmonibus.*

vexandam Eccleſiã ex diuerſis ipſiuſmet Lutheri ſcriptis liquet: qui alibi hac de re ita ait. *Aliquando media nocte experrectus, qua Diabolus eiuſmodi mecum in corde diſputatio nem orſus eſt, quemadmodum ille ſæpiſsimè alijs noctibus multum mihi negotij faceſsit, Audi vir Doctiſsime, &c.* Itaque non mirum ſi Lutherus in omnibus ſuis libris rarius nominis IESVS meminerit, Diaboli verò (vtpotè conſodalis ac familiaris ſui, quo cum plus vno ſalis modio cõſumpſerat) frequentiſſimè. Quod tamen eius in morte multo adhuc apparuit euidentius. Cùm enim anno 1546. 18 Februarij, largiorem, pro vt ſolitus erat, ſumpſiſſet cœnam, atque aliquot lepidas de dęmone enarraſſet Fabellas, tandem paulò pòſt animi correptus anguſtia ac mœrore, lectum petens, in hunc modum ſuos affatus eſt diſcipulos, qui tum fortè aderant, nimirũ Iuſtum Ionã, Michaelem Cælium, & Ioannẽ Aurifabrum. *Orate*, inquit, *pro Domino noſtro Deo, & eius Euangelio, vt ei benè ſuccedat, quia Cõcil. Tridenti & abominabilis Papa grauiter ei aduerſantur*. Hæc vltima morientis admonitio, hæc paterna Lutheri inſtructio. Noctis circa medium, duo accerſiti ſunt medici: ſcilicet M. Simon VVilt, & alius quidã Doctor Ludouuicus, qui nullum vitalis ſpiritus in eo deprehendère veſtigium, ſed os diſtortum, ac maxillas nigricantes, iugulum verò rubicundũ prorſusq; indiſpoſitũ, adeò vt ſtrangulati hominis manifeſta præ ſe ferret

Lib. de Miſſa angulari, & conſecr. Sacerdot. qui extat Tõ 6. Serm. Ienenſ. fol. 28 & Tom. 7. Witenberg. fol. 443.

Vide Ioan. Naſum Centur. 5. verit. 98.

Digitized by Google

ret indicia. Hæc faſſa eſt nobilis quædam domicella Eisfeldicæ prouinciæ, haud procul à Turingia domiciliũ habens, ante annos nimirũ 13. cùm illic in Collegio noſtro Heiliggëſtadiẽſi degerẽ. Medici tã infęlicis mortis ignorãtes cauſas, diuerſas protulére ſententias; vnus enim ad apoplexiã rem retulit, alius ad defluentis catarri oppreſſionẽ, Manlius cordis cauſatus eſt anguſtiã. Sed reuerà dæmon in ſtrangulando homine vires exercuit ſuas. Quod & eius diſcipulis, Caluini ſcilicet magiſtris Ioãni OEcolampadio Birgittano ex profeſſo Monacho accidit: de quo Lutherus refert, quod Diabolus ignitis eum trãsfixerit ſagittis; nec non & Martino Bucero, qui primò quidẽ natus Iudæus, inde verò baptizatus, ac poſtmodũ Dominicanus, vltimò aũt, excuſſo cucullo Lutheri factus diſcipulus, Zwinglianorumq; ac Sacramẽtariorũ patronus, nouiſſimè tandẽ ad Iudaicæ perfidię relapſus eſt inſaniã, quoadusq; à dæmone ſtrãgulatus apoſtaticũ efflaret ſpiritũ. *Lib. de Miſſa priuata.*

Refert quoq; D. Tilmannus Bredenbachius Collationũ ſacrarũ lib. 7. ſe habere ex relatu cuiuſdã Magni Principis Cõſiliarij, qui Islebij in ędibus Lutheri paternis, in quib. & vitam finijt, fuerat; quendã ex famulis Lutheri paulò antè eius obitũ, dum fortè è feneſtra cubiculi, in quo id tẽporis agebat Lutherus, pſpexiſſet, ibidẽ plurimos teterrimos cacadæmones huc illucq; ſaltitantes vidiſſe, ſibi quaſi mutuò gratulantes, quod hac tã opima *Lib. 7. cap. 39.*

breui præda eſſent potituri. Tum quoque cùm Lutheri cadauer Iſlebio VVittēbergam adueheretur, toto illo itinere innumerabilem coruorum horrendum in modum crocitantium multitudinem, funus ſuperuolitaſſe, ac VVittenbergam vſque comitatum ſuum præſtitiſſe; ad inſtar Sacerdotum, exequias peragentium; qui tamen omnes dœmones ſine dubio fuêre. Quippè quib⁹ princeps ipſorum atque Archidæmon præceperat, vt vniuerſi ſpiritus maligni ad ſui Prophetæ ac fidelis cooperarij D. Martini Lutheri exequias cohoneſtandas confluerent. Congruere enim, vt qui quàm plurimos peſtifera ſua doctrina ad inferos pręcipitaſſet, à quam plurimis ad eoſdem ſolenniter deduceretur. Hæc dęmones ipſi apud Gheelam celebrem Brabantiæ pagum, per energumenos, quorum occupare corpora, dum Lutheri interim funus procurarent, deſierant, confeſſi ſunt: qui tamen eo peracto, plerique redière.

Bredenbachius ibid.

CAP. V.

Action.12.

CAluinus Herodis morbo, hoc eſt pediculari eroſus & conſumptus, primæ ſtudiorum ſuorum diei malè precatus eſt, ſicque blaſphemis intentus vocibus, hæreticū euomuit ſpiritum. Horum teſtis eſt Ioannis Harennius, qui ſe hęc coram vidiſſe, adſerit.

In palinodia.

Andreæ Carolſtadij Sacramentariorum anteſignani infęlicem exitū Eraſmus Alberus, inſignis Lutheranus hūc in modū cōmemorat. Habēs ad populum concionē, è regione ſug-

ſuggeſtus nigrum quendã atque oblõgæ ſtaturę hominẽ atris indutum veſtibus conſpexit: qui tamẽ, vti poſtmodũ intellexit, auditorum viſus eſt nemini. Domum autem ſe recipiens, comperit eũdem illum iſtic fuiſſe, ac domeſticis iniunxiſſe, vt hero ſuo indicarent, ſe poſt triduum eius aſportandi gratia rediturum. Dictum factum. Carolſtadius enim his auditis, incredibili correptus terrore, in morbum incidens, tempore præfinito diem obijt ſuum. *Naſus Cent. 1. verit. 12.*

Andreas Oſiander, Nurenbergenſis ſeductor, haud procul à ſuggeſtu dependentes Deiparæ Virginis ſole amictæ imaginis intuitu, ita nonnunquam conſternatus fuit, vt eam diutius perferre non valens, in hęc prorumperet verba: *Quoties deformem hanc conſpicor focariam, toties cor meum in pectore palpitat.* Quæ idcirco lineo contecta velo, in editiorem teſtudinis ſublata eſt partem. *Naſus ibidẽ.*

Torpati in Liuonia excuculatus quidam Franciſcanus, Hermannus nomine, cum ibidem inter primos Lutheranicæ ſectæ prædicatores, ad annos plus minus triginta Euangelium iſtud longè lateque non ſine magnis opibus, honore, & fauore diuulgaſſet, tãdem ad finem vitæ veniens, ſex decubuit diebus, horribile proclamans voce, ait: *Sine vlla veniæ conſequendæ ſpe damnatus ſum, omneſquè illi mecum damnabuntur, quotquot huic ſeſe Lutheranæ Epicureæ ſectæ vnquam addixerunt.* *Vide Bellum Liuonicum.*

Ioannes Knoxius primus Caluiniſtarum

Digitized by Google

in Scotia Miniſter, poſtquam ad Lutheranæ libertatis præſcriptum, matris ac filiæ inceſtuoſo concubitu ſeſe polluiſſet, hunc habuit ſceleratæ vitæ exitum. Anno 1573. lethaliter decūbens, omnes egredi cubiculo præcepit, ardentibus interim duabus in menſa candelis. Quibus egreſſis, aliquando pòſt luminaribus extinctis (quorum vnum ad caput, alterum ad pedes poſitum) in medio cubiculi nudus omninò repertus eſt.

Thomas Suetonius Glaſguenſis in Scotia miniſter, à quodam familiari foris in agro inter atratos aliquot canes caſu repertus, cùm rogaretur quidnam illic rerum ageret (diſparentibus interim ad aduentum amici canibus) reſpondit ſe cuiuſdam præſtolari acceſſum, & ſic poſt triduum vltimam vitæ fabulam peregit, anno ſcilicet Domini 1578.

Eodem in regno ciuitate Aberdonenſi Adamus Heriotus Benedictini inſtituti fugitiuus Monachus, cùm anno 1575. multa in Pontificem deblateraſſet, domum ſe recepturus, illicò in plateis corruit, expirauitq;. Tria exempla hæc, mihi quidā Scotus apprimè nobilis atq; inſigniter eruditus, qui eadē illa tempeſtate in Scotia egit, enarrauit.

Adhuc in recenti eſt memoria (quippe cū necdum quatuor euoluti ſint anni) quod in celebri Trāſiſelaniæ vrbe Dauentriâ in Diui Lebuini templo accidit; vbi cum Franciſcus

qui-

quidam, Caluiniſtarum primarius concionator (quem tamen excucullatum fuiſſe Monachum plerique adſerunt) multa è ſuggeſtu in Romanum Pontificem conuitia euomuiſſet, iamque finita concione inter duos iſtic ciues deambularet, repentè à quodam Dauentrienſe, qui ſeſe poſt columnam abdiderat, à tergo eſt apprehenſus, ac præciſo gutture (ô ſubitaneam diuinæ vltionis vindictam) horrendum in modum iugulatus. De cuius necis authore, etiam paulò poſt, publicè ſumptum eſt ſupplicium; adeo vt nulli Dauentrienſium hæc tam horrenda hæretici huius Concionatoris mors ignota eſſe queat.

Londini in Paulinianæ ædis cæmeterio, dũ quadam vice Ioannes Iouellus Caluiniſtarum Salesburgi Epiſcopus, verbi ſementem faceret, cuperetque ſuis auditoribus Caluiniſmum emẽtitæ veritatis fuco probabilius perſuadere, in hanc erupit vocem. *Sicuti ego vos doceo, ita omnis ſemper docuit antiquitas, omneſque Sanctiſſimi priſcæ ætatis Patres tradiderunt. Idcirco ſi in fide erramus, miſerè impoſuiſti nobis, ô Bernarde, Gregori, Auguſtine, Ambroſi, Baſili, Chryſoſtome, cæteriqúe Doctores; immò & tu ô Paule, & Chriſte, decepiſti nos. Veſtram enim in omnibus doctrinam conſectamur.* Vbi finis concioni eſſet impoſitus, accedens Catholicorum quidam, rogat hominẽ vt ex B. Bernardi, Ambroſij, Auguſtini, aliorumvè

à ſe

à ſe paulò ante nominatorum, ſcriptis Caluiniſticam ſuam fidem demõſtret. Ad quem ille. *His techniis nimium credulus alendus eſt populus, cui palpum nonnunquam obtrudere oportet, ac pro auro, quod aiunt carbones.* Hic miſerabili tandem exitu, vitæ finem clauſit; quippe qui diaboli extinctus opera, tam tetrum emiſit odorem, tamque venenatam ac peſtiferam eructauit ſaliuam, vt qui poſt obitum cadaueri appropinquare auderet, inueniretur nemo. Et hæc quidem vt ab aliquot viris fide dignis percepi, ſic vnus illorum eodem illo tempore ibidem commorabatur. Sed eheu quàm horrenda ſunt hæc diræ mortis genera? quis Sanctorum ita vitam finijt ſuã? quorum mors pretioſa in conſpectu Domini. Hæc hæreticis tantùm, ac crudeliſſimis tyrannis, monachiſque ab inſtituto deficientibus, ac habitum proijcientibus in vſu ſunt. Atque ideo ſummo iure vobis incumberet Lutheranis, de veſtra ſalute ſollicitos vos eſſe, atque ad meliorem conuerti frugem; conſiderantes quàm impiè ac horrendè veſtræ hæreſis anteſignani, Lutherus nimirum, Bucerus, Oecolãpadius, Carolſtadius, Caluinus, alijque quam plurimi diuina perurgente vltione è medio ſublati ſint. Non enim aliorum Catholicæ religionis fundatorum more, qui vel infideles conuerterunt, vel ſacri alicuius ordinis initiatores fuerunt, vitam placidè poſuêre, ſed violenta morte, dæmone admouente manus extincti ſunt.

Pſal. 115.

ſunt. Non ita certè Benedictus, non BRVNO, non Bernardus; Non Dominicus, Franciſcus, aut Vincentius: Neque ipſe Ignatius Loiola, aut Zauerius, cæteriuè qui Catholicæ per orbem fidei promulgatores fuêre.

CAP. VI.

IN eo autem quod nos *ſectariorum* nomine, & Catholicam ipſam Eccleſiam *Babylonem* nuncupas, inſignem tuam prodis inſcitiam. *Sectarij* enim nominantur hi, qui aliundè, adinſtar minimarum particularum abſciſſi ac diſſecti ſunt. Nos autem Catholici, non vt partes, ſed integra membra adeoque corpus vniuerſum maiorem Orbis partem occupamus: neque aliundè auulſi ſumus, vti vos hæretici, qui fruſtratim à nobis diſſecti eſtis. Vnde ſi aliter adſeritis, neceſſe eſt nominetis congregationem aliquam, quam veluti transfugæ deſeruerimus: quod, ſcio, nũquam facietis. Et quo pacto quæſo Catholica Eccleſia Babylonis deformari poterit, in qua tam diuerſorum officiorum dignitatúque concinnitas, ac veranda maieſtas? videſne quanta ſit ſecularium erga ſuos paſtores reuerentia, ac parendi ſtudium? Quanta Presbyterorum erga Epiſcopos, Epiſcoporũ erga Romanum Pontificem obſeruantia, atque demiſſio? Vbi enim omnia accuratius, vbi mundius, quam in Catholicorum templis peraguntur? Taceo de politicorum Eccleſiaſticorumque negotiorum Harmonia, ac conſenſu admirabili. Babylon autem confuſionem ſignificat, quæ nuſquã euidentius,

quàm

quàm in veſtris conſpicitur Synagogis, in quibus nihil ordinatè, nihil diſtinctè, nihil debitè peragitur: ubi nullum inter ſecularem atque Eccleſiaſticum diſcrimen, vbi hodiè Miniſter, qui heri carnifex; & vt Tertullianus inquit, *hodiè Diaconus, qui cras Lector, hodiè Presbyter, qui cras Laicus: nam & Laicis ſacerdotalia munera iniungunt.* &cæt. Certè hic Tornaci in Flandria pleniorē hauries cognitionem, rerum à Stephano Mernerio Burgūdo Caluiniſtarum miniſtro ſceleratè geſtarum; qui ſuorum facinorum ergò, candētis ferri inuſtionē nō minus quàm ipſe eius olim Magiſter, Caluinus, humeris ſuis excepit: quod quidē hac via omnibus innotuit. Mulier quædā cum Stephanū hunc hominē ſceleratum, ac nullius frugis per cōuitiū appellaret, in ius ab eo vocitata eſt. Quæ ad primam Senatus citationem animosè cōparens, vbi factum nō negaſſet, ad probationem cogitur. Illa autem, *Nulla hic inquit alia probatione opus eſt, quàm vt thorace detracto, humeros nobis tuos exhibeas; hi etenim ſcelerū tuorum ſufficiēs præbebunt teſtimoniū.* Ad quod cōſternatus Miniſter, rogare iudices, vt miſſam mulierē faciāt, vtpote fatuam: cui ſi ſeſe vlterius pergat opponere, pro tali etiā haberi debeat. Interim verò nō longè poſt cōpertum eſt, quod ob certarū, falſificationē litterarū in Francia virgis exceptus, ac candentis ferri inuſtione notatus eſſet. Hæc mihi è Tornacenſibus nōnulli viri graues ac fide digni, qui

Libr. de præſcript. ca. 41.

qui ibidem iuri dicundo præſunt, communicarunt.

In Cæſarea lutea, quæ vulgo Keyſerslauter/ agebat Miniſter quidã Ioannes Stolzius, qui anno Domini 1554. Argentorati ob furtum à ſe deſignatum, poſt Virgarum flagellationẽ, aurem vtramque in manibus reliquit carnificis.

Vilnæ autem in Lituania, Dominus Blauſonius, poſtquam Lectoris officium annis adminiſtraſſet aliquot, Varſchouiæ tandem in Polonia ad concionatoriam euectus eſt dignitatem.

Petrus Viretus Geneuenſis, poſt obitum Caluini, reluctante Beza, qui eruditione ne comparandus quidem ad illum erat, inhians Papatui, ne ſpe tamen ſua fruſtratus eſt: nullam aliam ob cauſſam, quàm quod olim ob furtum commiſſum, altera priuatus eſſet auricula; vnde re infecta, Lugdunum Galliarum repetens, ibidem Miniſtri officium reſumpſit: cuius ingenioſam diripiendarum rerum dexteritatem, ex his duobus à ſe deſignatis facinoribus, ad liquidum cognoſces.

In Francia vbi Viretus concionatorem agebat, accidit, vt opulenta quędam vidua generi ſui infidelitatem verita, non auderet meliorem argenteæ atque aliarum pretioſarum rerum ſuppellectilis partem penes ſe adſeruare. Vnde ſollicita mente conſiderans, cuius nã hæc cuſtodię potiſſimũ cõcrederet, *Naſus Cent. 2. verit. 57.*

deret, animum oculoſque in Viretum, vtpote primarium loci iſtius Miniſtrum, ac Reuerendum diuini verbi præconem, qui deſolatæ atque iniuriam patiēti viduæ fidelem ſe exhiberet, coniecit. Huic itaque quicquid chari pretioſique habebat, ad manum tradidit. Quòd cum profligato iam metu repetitura veniret, tale retulit reſponſum. Nihil mihi adſeruandum tradidiſti; ſed omnia, vt futuro tuo merito, liberaliter es elargitus; itaque ſi hæc in poteſtate tua eſſe velis, me in ſocium thori tibi adſciſcas oportet. Ad eundem quoque Viretum, Caluiniſtarum quidam multa cuſtodienda detulerat, Catholicis furtim erepta; quæ cùm repetitum veniret, ſeuerius obiurgatis, ac pro alienæ rei inuaſore horrendè exceptis, timens ne fortè ad Magiſtratum deferretur, cùm nullum aliud ſuppeteret effugium, pelli conſulens ſuæ, omnia in manibus Vireti reliquit.

CAP. VII. INſuper quam eximiæ ſanctitatis ac probitatis vir fuerit Theodorus Beza, Caluini Geneuæ in Cathedra peſtilentiæ ſucceſſor, quamque per omnia dignus cui Caluiniſtici gregis demandaretur cura, patet ex eo quod in adulterio cum ſartoris cuiuſdam Pariſienſis vxore, Candida nomine aliquamdiu vixerit; qua non contentus, etiam Audebertum iuuenē Sodomitici ſceleris vſu (vâh pudor) familiarem ſibi reddidit. Quod ne vlla vnquam obliuio ex hominum memoria aboleret, voluit ipſe publicos de hac execran-

ecranda turpitudine ſua, extare verſus, lupanari certè digniſſimos, in quibus optat geminum ſibi dari corpus, quo & Candidæ & Audebertulo ſuo facere queat ſatis; horum initium eſt.

Abeſt Candida, Beza quid moraris?
Audebertus abeſt, quid hîc moraris?
Tenent Pariſij tuos amores,
Habent Aurelij tuos lepores:
Et tu Vezelijs manere pergis,
Procul Candidulaq́ amoribusq́,
Et leporibus Audebertuloq́ue? &c.

Prodierunt Lutetiæ Pariſiorum an. 1548.

Eſtne horrendum hoc profectò ſcelus in generali reformati Euangelij miniſtro, ac Superintendente?

Et ne hac de re vlterius queas ambigere, accidit circa annum Domini 1568. quod Hiſpanus quidam Hiſpali Oriundus, Caſſiodorus nomine, inſignis certè Caluiniſta ac votifragus monachus, Francofurti vbi illa tēpeſtate degebat, Zodomitici ſceleris olim in Anglia cum adoleſcētulo quodam Ioāne Baionenſi commiſſi, conuictus; cùm nullum præſentius euadēdæ mortis inueniret remedium, Theodorum Bezam huius eiuſdem inſimularet criminis. Vnde graui in cōſiſtorio Franckfordienſi ac Heidelbergenſi exorta difficultate, delata eſt huius facinoris commiſſi determinatio, ad quendam M. Petrum Louſeluerium, qui cùm apud Auraicū Principem aulæ concionatorē ageret, immutato nomine, Dominus *de Vileers* dici voluit. Hic

ira in Caſſiodorum excandeſcens (parcitum nimirum cupiens famæ ac honori Bezę) facilè diſcerpſiſſet hominem, nî ille Caluiniſmo properanter valedicto, ad Lutheraniſmum conuolaſſet, in quo etiamnum volutatur.

Neq; ſatis habuit Beza omni ſpurcitiorum genere contaminatam vitam agere, quin & proprio ſuo Regi, Regi inquam Chriſtianiſſimo necem moliretur. Vnde cùm an. 1566. ęſtiuo tépore poſt ſumptam cænā inambulatum foras cum quodā Molartio huius patriæ nobili (ex cuius hæc ore habeo) prodijſſet, hicq; retuliſſet ſe audiſſe ipſis denuo ſumenda arma, ex quo Rex eorum nihil præſtaret quæ addixiſſet, reſpondit Beza:

Nimis leuiter, mi Marce, pax iſta cōpoſita fuit. Captāda erit occaſio, vt Rex apprehēdatur cum matre & omnibus fratribus, ſcropha, inquā, cum catulis, omneſq; expediantur ac neci dedantur.

Idē hic Geneuenſis Eccleſiæ Papa, deplorabat Hugonotarū Principes bellū gerere, non prius interrogato ore Dñi, hoc eſt ſine ſua pmiſſione ac directione, q rebus omnib⁹ præeſſe geſtiebat, tēporalib⁹ ſcilicet ac ſpiritualibus, cōcionatorijs ac Militaribus ſacramētis, ac rei bellicæ cœno interim execrandæ libidinis ad vtramque vſq; aurem immerſus.

CAP. VIII. ET vt rē in pauca cōtrahā, quis poteſt inter vos debitus eſſe ordo, vbi cuiq; de plebe fas eſt ſacras interpretari literas, rerumq; ſpiritualiū ac diuinarū executiōi ſe ingerere? ſiue .n. is ſit pellio, ſiue reſtio, ſiue cerdo, ſiue ganneo

Digitized by Google

gãneo, æquè ad hãc functionẽ eſt idoneus; & quęnã hic parẽdi voluntas, vbi quiſq; magiſterium occupat? Deploratæ nequitiæ homines, quos nos ſanctę Romanę Eccleſię fideles aſſeclæ adinſtar venenatorũ animaliũ à nobis profligamus, apud vos ſummo habẽtur in pretio, ac primę Cathedrę honorẽ ſortiũtur: nẽpe fugitiui atq; excucullati monachi, qui nec Deo promiſsã ſeruare caſtitatem, nec ſuperiorũ parere iuſſis, neq; ex Statutorũ ſuorũ præſcripto viuere volũt. Qui quidẽ dũ in veſtrũ adſciſcũtur cõſortiũ, q̃d mirũ ſi sũmã rerũ omniũ ataxiã ac Babylonicã quandã cõfuſionem, in veſtras introducant Synagogas?

Accidit circa annũ Dñi 1582. q̃ dũ Lutetiæ Pariſiorũ quidã è Diui Franciſci ſodalitio F. Leopard⁹ Belluacẽſis, Picard⁹, ſanctimonialẽ quandã Momarixenſem vitiaret, virgis à ſuis Superiorib⁹ exciperetur. Illa interim ad publicũ ſeſe lupanar recipiẽte, vt ibi omniũ expoſita libidini, corpore quæſtum faceret. Quod F. Leopardus intelligẽs, ꝓiecto cucullo meretriculã hãc è proſtibulo protractam ſibi matrimonio iunxit. Verùm cũ res anguſta eſſet domi, neq; quicquã vnde victum acquireret, ſuppeteret; ad res proximorũ diripiẽdas animũ manuſq; adiecit. Neq; impunè tamen; nam à magiſtratu deprehenſus, tergo pœnas luit, abſciſſa inſuꝑ vtrâq; aure. Vnde nihil ad manus habẽs quo victũ ſibi pararet, aut quo locorũ diuerteret, Hugonotici Prædicutij mun⁹ ſupra Rupellã in ditiõe q̃ Galli

Lisles de Marines, Latini Inſulas Marinas nũcupant, ſuſcepit: vbi pro more hæreticorum concionatorum omne virus ſuum euomuit, omnemq́; quã potuit amarulentã blaſphemiam in Pontificem, Cardinales, totamq́ue Catholicã doctrinam expuit; geſtans in capite profundius quoddam tegmen, quod vtriuſque abſciſſæ auriculæ locum operiret. Erat autem eodem iſto in loco Catholicus quidam Concionator, cuius fideli relatu hæc ad me peruenêre, qui hominis blaſphemijs vitaq́ue malè traducta, ſuis id pro cõcione auditoribus expoſuit, ſimul monẽs vt quænam ſub tegmine auriculæ deliteſcerent ſtudioſius obſeruarẽt. Verũ Leopardus rẽ omnem ad aliorum deueniſſe notitiã intelligẽs, in rabiem incidit, qua & miſerè expirauit. Eheu quã exemplarẽ vitã ducitis, qui & Reginam Scotiæ, & complures alios hâc facinoroſâ conuerſatione à vobis alienaſtis?

CAP. IX. ADDIS proinde, *Papiſticam religionem nihil eſſe aliud, quàm hypocriticæ apparentiæ prætextum.* Sed reuera te ipſum Deum facis, amice mi, qui ſolus nouit cogitationes hominum, quiq; vnicus eſt ſcrutator cordiũ ac renum. Neminẽ inuenimus ex omni Apoſtolorum cõſortio qui quenquã hypocritam nominarit. Hoc ſolius Chriſti fuit, vtpote qui Deus exiſtens, perfectè nouit quid ſit in homine. Verùm tu malorũ hominum veſtigijs inſiſtẽs, occultiora aliorũ peccata in medium proferre conaris; quorũ tamen cognitionem

tionem non habes, vt per hoc tuorum facinorum reatum imminuas. Atq; interim nulla apud vos extãt vel ſaltem adumbratæ alicuius ſanctitatis veſtigia, nullus aſſimilatæ pietatis prætextus, ſed expreſſa maligni animi indicia, aperta neglectæ religionis argumenta. Neque enim vos Caluini diſcipulos pudet cum Caluino & Molineo profiteri vſuram peccatum non eſſe: aut cum Luthero famulam in thori conſortem adſciſcere, maximè ſi nolit vxor. Item licere vultis ſubditis ſuis vt ſeſe opponant Regibus, Eccleſias ſpolient ac deuaſtent, Monachos ac Sacerdotes trucidẽt, Catholicis omnibus vim inferant. Quid enim ſibi aliud vult dicteriũ illud Doctoris veſtri Hermanni Diyuers, quod anno 1566. Antuerpiæ circumlatũ eſt, ſcilicet:

Mercatorum opes, & Papiſtarum cruor:

Quid item illud anni 1579. *anno milleſimo quingenteſimo octogeſimo primo nobiles inuenientur rari, Papiſtæ nulli.*

Eadem quoq; tempeſtate aiebãt Caluiniſtæ *non ſecum ſatis proſperè actum iri, niſi Antuerpiã ex Ponte Merio vaccam cauda tenus in Heluetiã poſſent præcipitem dare.* Quo ſtratagemate innuere volebãt, nobiles omnes, vti Heluetij olim factitarunt, è medio tollẽdos: vt more Libertinorum in omni flagitiorum genere liberè atq; impune volitare poſſint. Lutherus quoq; non ſe quieturũ aiebat *quin ad talos vſq; ſe Papiſtarũ immergeret ſanguini:*

 vnde

Lib. de Papatu à damone conſtituto adſcribit. Epigrã. 135.

vnde Andreas Fruſius hoc illi Epigramma adſcribit.

Non ſatiabor, ait, talos quin miſeris altè,
Chriſtigenûm exundans vaſta per arua cruor.
Spiritus, haud dubium, cuius tu filius, ille
Impleuit tali cor pietate tuum.

Lutherus cõtra Syluest. Prieratem.

Hortatus eſt etiam principes Lutherus, vt armis omnibus Pontificem & Cardinales oppugnarent, & in eorum ſanguine manus lauarent: itaque hęc illius ipſiſſima ſunt verba: *Si fures furca, latrones gladio, hæreticos igne tollimus, cur non magis hos magiſtratus perditionis, hos Cardinales, hos Papas, & totam iſtam Romanæ Sodomæ colluuiem, quæ Eccleſiam Dei ſine fine corrumpit, omnibus armis impetimus, & in eorum ſanguine manus noſtras lauamus?* Lutheri faſtum & irrogantiam ex omnibus quæ edidit ſcriptis, manifeſtè licet colligere; in quibus Pontificem nonnunquam aſinum, ſæpè beſtiam, quandoque ſtupidum, adeoque ſpiritualium rerum inſcium facit, vt nec orationem Dominicam, nec Apoſtolicum intelligat Symbolum, &cæt. Cæſarem, proditorem appellat, nec nefarium ſceleſtumque hominem. Catholicos omnes Principes, tyrannos, moriones, ac deterrimos nebulones fuiſſe adſerit, ipſis etiam Turcis nequiores; quos quidem indignos cẽſet, qui ſibi ſuorum corrigiam calceamẽtorum ſoluerẽt. Vnde de poteſtate ſeculari ad Ioannem Saxoniæ ducem ſcribens, in hunc

Vide Naſum Cent. 1. verit. 63. & cẽt. 2. verſ. 30.

modum loquitur. *Ab initio mundi admodum rara eſt auis Princeps prudens, adhuc multò rarior Princeps probus: ſunt communiter maximi fatui, aut peſſimi nebulones ſuper terram. Sunt lictores & carnifices Dei, quibus vtitur ira diuina in vltionem malorum: parum boni ab illis ſperandum eſt.* Omnes præterea Orthodoxæ Eccleſiæ Patres præ ſe contemnit, ſubſannat, diris deuouet: adeò vt ſi in vnum conflati eſſent, ne vnum quidem exiguum ſacræ ſcripturæ capitulum expoſituri videantur. Vnde *nihil ſe curare ait, ſi mille Auguſtini, mille Cypriani contra ſe ſtarent, omnes errare potuiſſe, & erraſſe; ſuam verò doctrinam ſolam eſſe veram. Hic ſto,* inquit, *hic ſedeo, hic inſulto Thomiſtis, Henriciſtis, Sophiſtis, & omnibus portis inferi, &cæt.* Ecce hic audiſtis iam beſtiam ſua verba reſonantem, audiſtis inquam; Lutheri Præceptoris veſtri, è cuius vos ſchola prodijſtis, humilitatem & modeſtiam; quam, toto orbe teſte, inſigniter profectò imitamini. Nam qualis arbor, talis eſt & fructus; qui quàm iuſtè reformatorum vobis nomen tribuatis, ipſi videritis.

Coehlaus anno 1524. 1527. & 1530.

Luther. libro aduerſ. Henric. Regem Angliæ.

Naſus Cent. 2. verſ. 19.

Non poſſum autem quin huius reformatę diſciplinæ veſtræ, vnum hîc exemplum referam, quod mihi anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſexto, mēſe Nou. cū recēs accidiſſet, cōmunicauit Prǫfectus aulę Epiſ-

copi Leodienſis, cùm Traiecto Haſſaletum, vbi diuini verbi præconem agebam, ad me veniſſet. E mendicantium numero quidam, inquit, oſtiatim victum pro more quæritans, ad hæretici cuiuſdam paruæ ſtaturæ hominis deuenit ædes. Vbi eleemoſynam expetens, introrſum rapitur, ac palma in faciem cæditur, cum horum inſultatione verborũ:
Matt. 5. *Si quis te percuſſerit in dextram maxillam, præbe illi & alteram.* Neque abfuit dicto fides, quin & alteram conſtanter exhibens, iteratum exciperet ictum. Quo accepto, Fecinè, inquit, ſcripturæ diuinæ iuſſioni ſatis? Illo reſpondente quod ſic confeſtim monachus ſubiunxit, Quin & tibi Chriſti parere verbis conuenit, dicentis: *Eadem menſura qua menſi*
Luc. 6. *fueritis, remetietur vobis.* Age igitur, ac vtramque mihi maxillam exhibe, vt ab altero expectes, alteri quod feceris. Non hoc ſenſu, inquit hæreticus, ſcripturæ verba accipio. Immo, ait Monachus, hic horum verborum, quæ ſat clara ſunt, genuinus eſt ſenſus. Quo dicto, viribus ac corporis robore præualẽs, miſerum hunc homuncionem humi proiectum inſigniter certè expalmauit, adeo vt ac-
Luc. 6. *ceperit menſuram bonam, & confertam & coagitatam, & ſupereffluentem.* Exclamans autem elatiori voce hæreticus, opẽ validioris manus implorat, vicinoſq; euocat; qui ſub pedibus Monachi eum volutantem conſpicati, mirantur quid rerum agatur. Verùm religioſus. *Sinite,* inquit, *nos, boni viri ſinite,*
nam

nam elucidamus nobis mutuo diuinarũ ſenſum ſcripturarum. Itaque hæreticulus hic ſuæ temeritatis meritas luit pœnas: quas & alij eiuſdem farinæ homines, in futuro ſeculo aliquando luituri ſunt.

Sed miſſis his, quid quæſo in nobis Catholicis hypocriticæ ſimulationi dignum conſpicitis? forte malè vos habet, quod Monachos ac Moniales, cucullis, ſcapularibus, veliſque obtectos videtis: at conſideres velim, quid de religioſorum habitu olim ſcriptis mandauerint vetuſtiſſimi primitiuæ Eccleſiæ Patres, nempè *a* Dionyſius Areopagita, *b* Ioannes Caſſianus, *c* Ioannes Climachus, *d* Ioannes Moſcus Euiratus, cum ſuo collega Sophronio, *e* Palladius Cappadocenſis Epiſcopus, Item Baſilius, Chryſoſtomus, Theodoretus alijq́; ſexcenti. Et quamquam interim veſtis monachum non faciat, nihilominus tamen illi qui ſeſe rerum mundanarum illecebris penitus abdicarunt, ſolent id exteriori quoque teſtari amictu. Verùm parum vobis hæc hypocriſis, vt dicitis, cordi eſt; quippè qui proiectis cucullis veſtris, monaſtici inſtituti plerique eſtis deſertores, ac turpiſſimi transfugæ.

a *Cap. 6. Eccleſ. Hierarc.*
b *Lib de Monach. inſtit.*
c *In ſcala.*
d *In limonario.*
e *In Lauſiaca hiſtor.*
f *In quæſt. fusè explic.*
g *Homil. 69. in Matth.*
h *in Philotheo.*

CAP. X.

PRofers deniq; articulos quatuordecim, quos vti nos Catholici probè ſuſcipimus, ſic vos pro erroribus, ac blaſphemijs habetis; cum mille alijs. Quorum nullam omninò probabilem certitudinem adferre

poſſe, adſeris; vnde & finaliter concludens, dãnas oẽs quotquot hiſce ſeſe addixêre. Ad quod tribus reſpõdeo. *Primò* quidẽ, nos Catholicos nullum omninò articulum admittere, quẽ non vel apertè, vel ex cõſequentia in ſacris fundatum literis ſcimus. Quod etſi ſuperiùs dixiſſe me recolo, hîc tamen aliquanto prolixiùs deducam, atque hoc Syllogiſmo comprobabo.

Sancta Chriſti Eccleſia non poteſt quemquã vel mendacio decipere, vel alio quocunq; modo in fraudem impellere.

Romana autem eſt ſancta Chriſti Eccleſia.

Ergo, &c.

Prima propoſitio, quã Maiorẽ vocant Logici, ideo neceſſariò vera eſt, quia Chriſtus ſuæ Eccleſiæ perpetuã pollicitus eſt præſentiã, dicẽs. *Ego vobiſcũ ſum vſq; ad conſummationẽ ſeculi*. Itemq;, *Ego*, inquit, *rogaui pro te Petre vt non deficiat fides tua.* vnde Eccleſia q̃ rectiſſimè ab Apoſtolo *colũna & firmamentũ veritatis* nũcupatur: cui ſi quis fidem habere nolit, is nobis *tanquã ethnicus cenſendus eſt & publicanus*. Minorem autẽ probamus hoc modo: ante annos circiter 80 priuſquam Lutherus venenata ſua proſeminaret dogmata, nulla alia fides pro Catholica eſt habita quã Romana: Ergo & eadẽ nunc pro Catholica haberi debet, cùm interim in

Matth. 28.
Ioan. 14.
Matt. 18.
1. Timot. 3.

nullo

nullo penitus immutata aut variata ſit. Si autem alia quæpiam fuit, vbi nam quęſo illa fuit? in quo orbis angulo? Qui Primates eius? Qui miniſtri, aut verbi præcones? Quonam fundata in loco? Cur non exeruêre caput maximè in aduentum Lutheri, qui liberam omnibus offerebat fidem? vnde rectè nos Catholici tandem concludimus; Romanam, veram eſſe Chriſti Eccleſiam, quæ nec fallere nôrit, nec falli. Hoc ſi ita eſt, neceſſariò adhibenda eſt illi fides, in credendis ijs quæ credenda nobis proponit. Atqui quatuordecim illos à te repudiatos articulos, pro vero Dei verbo nobis offert. Ergo ita ſe rem habere, credamus oportet. Soluito mihi ſyllogiſmum hunc, ſi potes: ſimulq́; edicito, cur quatuordecim Pauli epiſtol. potius pro Dei verbo agnoſcas, quàm præfatos hoſce articulos, cùm de illis nihilo plus, immò multò minùs certitudinis habeas, quàm de his? Verùm enimuerò quia ſufficienti ratione qua id probetis, deſtituti eſtis; probabo ego paulò pòſt, cur quatuordecim à me poſitos articulos, pro Dei verbo Catholici habeant.

Secundò, dico ne vnum quidem ex his, ſacris repugnare literis; ſed tãtum Lutheri ac Caluini Euangelio. Et idcirco, etſi nõnullas ex verbo Dei deprõptas ſententias malè intellectas hiſce opponeretis, non tamen eas pro vero Chriſti Euãgelio, ſed pro obſtinata hæreſis veſtrę malitia ſuſciperemus. Horũ

non-

nonnulla à me ſuperius exẽpla allata ſunt, de cœlibatu ſcilicet Sacerdotum, de abſtinentia ab eſu carnium, deque ipſa in Sacramento Euchariſtiæ Tranſubſtantiatione.

Tertiò, Catholicos poſſe ſacrarum ſubſidio litterarum prædictorum articulorum veritatem comprobare: idq; iuxta ſaniorem ſenſum Antiquorũ Patrum, qui vt infrà primos ſexcentos aut ſeptingentos annos, dum adhuc nullus in Eccleſiam (vti vos affirmatis) næuus irrepſerat, vixerunt; ſic multò ſincerius quàm vos, ſacras expoſuerunt litteras: Quippe qui eas obtorto collo ſæpè in peruerſum trahitis ſenſum, ad ſignificãdum ſcilicet quod verè non ſignificant. Itaque quemlibet horum articulorũ paucis ex ipſo Dei verbo demõſtrabo, adducto inſuper teſtimonio alicui⁹ probatæ eruditionis ac ſanctitatis Orthodoxi Patris; vt vel hinc ſaltem cum omnibus Chriſti fidelibus perdiſcas, quàm probè, quàm accuratè cum ipſis ſacris literis veterique Eccleſia nobis Catholicis conueniat, quamque inſignem calumniam atque iniuriam ſanctis irrogetis Patribus, damnando illos qui horum articulorum ſtrenui ſunt adſertores. Quos quidem omnes pro noua adinuentione veſtra ad Orcum relegatis.

CAP. XI. PRIMVS itaque articulus Romanum cõcernit Pontificem, *vtrum ſcilicet illi demandata ſit totius Eccleſiæ cura, tam in ſpiritualibus quàm etiam temporalibus.* Et quidem ambi-

Digitized by Google

ambigere nullus poteſt, quin Petro commiſſa ſit à Chriſto vniuerſalis Eccleſiæ cura, dicente. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* Matt.16. *Et tibi dabo claues regni cœlorum. Et quodcunq; ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunq; ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis.* Et alibi eidem mandatur, *Paſce oues meas, paſce agnos meos.* Ioan.21. Quem quidem vtrumque ſcripturæ locum, omnes ſuperiùs à me citati Pontifices, exponunt de Primatu ac ſumma poteſtate B. Petri, ſibi à Chriſto tradito. Neque Pontifices tantùm (ne forte horum tibi teſtimonia ſuſpecta ſint, ac bilem moueant) ſed & alij complures Orthodoxi, qui intra primos ſexcentos annos floruêre Patres: è quorum numero *a* B. Hippolytus: *Petrus,* inquit, *Princeps, & fidei petra eſt.* *b* Cyprianus verò, *c* Chryſoſtomus & *d* Hieronymus *ſupra Petrum fundata eſſe Eccleſiam,* disſertis exponunt verbis. *e* Nazianzenus, *Petrus,* ait, *petra vocatur, atque Eccleſiæ fundamenta in fidem ſuam accipit.* *f* Hilarius quoque, *Beatus,* inquit, *cæli ianitor, cuius arbitrio claues æterni aditus traduntur, cuius terreſtre iudicium præiudicata auctoritas ſit in cœlo.* Nec non & Ambroſius *g*, cuius hæc ſunt verba; *Chriſtus eleuandus in cælum, ſui amoris nobis velut Vicarium Petrum relinquebat, quem omnibus antetulit.* Et alibi *h*, *Petra,* inquit,

a *Orat. de conſumm. mund.*
b *De Simpl. prælat.*
c *Homil.55. in Matt.*
d *Cap.2. in Eſaiam.*
e *Orat.26. quæ eſt de modeſt. in diſput.*
f *In Matt. Can.16.*
g *In cap.24. Luc.*
h *Serm.47.*

inquit, *dicitur Petrus, eò quod tanquam ſaxū immobile, totius operis Chriſtiani compagem molemq́ꝫ contineat:* i Aponius autem adhuc multò apertius dicit, *neminem omninò ad Chriſti pertinere paſcua, qui non ſequitur Paſtorem, quem Princeps paſtorum Chriſtus mundo Vicarium dereliquit, dicendo: Si amas me, paſce oues meas.* k Epiphanius quoque, *ipſe Dominus,* inquit, *conſtituit Petrum primum Apoſtolorum, petram firmam, ſuper quam Eccleſia Dei ædificata eſt, &c.* Nec non & Philo l Carpathius, *Petrus firmitas,* ait, *interpretatur, ſtabilitatem fidei aptiſſimè declarans, qui caput Eccleſiæ ipſius ſponſi aliquando futurus erat.* Similiter & m Sophronius Hieroſolymitanus Patriarcha, dicit *Petro mundi procurationem committi, tradiq́ue cœleſtium theſaurorum claues, ac ſuper cœtum Apoſtolorum conſtitui.* Ipſa denique Sancta Chalcedonenſis Synodus n, hunc in modum loquitur: *Ter beatiſſimus, & omni laude dignus B. Petrus Apoſtolus, qui eſt petra & crepido Catholicæ Eccleſiæ, & rectæ fidei fundamentum.* Itaque Patres omnes ſummo ſemper in honore Cathedram habuêre Petri: quā & in rebus arduis cunctiſq; fidei negotijs magna animi demiſſione conſuluerunt. Idq́; meritò. Multo etenim

i *Lib. 2. in Cant.*

k *In Ancorato.*

l *In cap. 5. Cantic.*

m *De labor. S. Petri.*

n *Action. 3.*

Digitized by Google

etenim ſatius eſt vnum in Eccleſia rebus cõſtituendis prçfici caput, quàm multa: teſtante idipſum etiã ethnico Poeta, ac dicente:

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω,
Εἷς βασιλεύς: id eſt,

Multi 𝔭 *imperitare malum eſt, Rex vnicus eſto.* Vndecum Monarchia in qualibet benè conſtituta Republica Dimocratiæ ſummo ſemper iure antlata ſit, voluit etiã Chriſtus Dominus in hoc Eccleſiæ ſuæ quieti, ac ſtabilitati quàm optimè conſultum. Cæterùm inter vos hæreticos, ſemper ſeditiones, ſemper diſſidia ſunt; vtpotè qui certò deſtituti capite tumultuamini, nulli omninò parere parati. *Homer. lib. 2. Iliad.*

CAP. XII.

Secundus articulus, *de diuerſis ritibus ac functionibus in diuino Eccleſiæ officio*. In veteri teſtamento Dei omnipotẽtis iuſſu inſignis, ac varius rituum diuerſorũ introductus erat vſus: Vbi nõnulli erant oſtiarij, quidam cautores, alijs propoſitio panum incũbebat, quibuſdam concinnandi luminis cura demandata, Leuitis geſtandæ arcæ, Sacerdotibus ſacrificij offerendi munus aſſignatum, atque id genus alia. In nouo verò vbi ſolennior rerum diuinarum eſt vſus, ipſiuſque ſacroſancti Miſſæ officij auguſtior maieſtas, multò quoq; debet eſſe exquiſitior nobiliorq; officiorum omniũ diſtinctio, cultus ac ornat⁹. Quppè cũ ipſa Chriſti ſpõſa ſit *terribilis vt caſtrorũ acies ordinata, circũamicta* *Cantic. 6.* *Pſalm. 44.*

varie-

varietate. De horum namque diuinorum varietate officiorum loquens vas electionis, ait, *quod Christus aſcendens in altum dederit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autẽ Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores ad cõſummationem ſanctorum, in opus miniſterij vſque ad finem ſeculi*.

Epheſ.4.

Quæ B. exponens Ambroſius, per Apoſtolos intelligit Epiſcopos, qui in Apoſtolorum ſucceſsère locum; per Prophetas autẽ, Preſbyteros & Sacerdotes: per Euãgeliſtas, Diaconos, quibus Euangelij prædicandi data facultas: per Paſtores, Lectores: per Doctores, ſiue vt ipſe legit, Magiſtros, exorciſtas, qui dæmones ex obſeſſis profligant corporibus. Neque vllatenus dubitandum, quin Domino iubẽte, ab Apoſtolis diuinorum officiorum diſtributæ ſint functiones. Horum etenim expreſſa apud B. *a* Ignatiũ ac *b* Clementem, qui Apoſtolorum fuère diſcipuli, extat mentio; ſcilicet, Oſtiariorum, Lectorũ, Exorciſtarum, Subdiaconorum. S. Cornelius verò Romanę Eccleſię Pontifex ac Martyr, ſcribens ad Fabianum, teſtatur ſuo tempore Romæ fuiſſe Presbyteros 46. Diaconos 7. ac totidem Subdiaconos. Acoluthos 42. Exorciſtas verò 52. Nec non & Lectores, Oſtiarioſque. Ipſe B. Syluester Pontifex in Romano Concilio certum definiuit tempus, quamdiu quilibet in ſuo eſſet miniſtraturus officio, antequã ad Epiſcopatum poſſet promoueri. In quarto Carthaginẽſi Concilio

In cap. 4. ad Epheſ.

a *Epiſt. ad Antioch.*
b *Lib. 8. Cõſtit. Apoſt.*

Vide Euſeb. Cæſar. lib. 6. Hiſtor. c. 33. Et cap. 4 in Pontificali.

cilio peculiaris aſſignatur ritus, quo ſinguli Ordines conferri debeant. Vnde ſequitur, non eſſe adinuentionem nouam, ſi variæ ſint diuinorum in Eccleſia officiorum functiones ac miniſteria, quæ vt magnam ſacroſanctæ Miſſæ ſacrificio conciliant maieſtatem ac reuerẽtiam, ita veſtram impudentiſſimam confundunt ignorantiam atque ataxiam.

CAPVT XIII.

Tertius articulus *de picturis, imaginibus, ac ligneis tẽplorum ſtatuis, earundemq́; inuocatione*, agit. Ah quam cõtumelioſè ac mordaciter hæc tu hæretice cauillaris. Malè habet diabolum, quod Chriſto atque illis qui modò cum Chriſto in cœlis triumphant, vllus exhibeatur honos: atq; ideo omnem ijs ignominiam per vos cõciliare ſtudens, neſcit quibus verborum ſcõmatibus ac ſannis eos velit impetere. Tum & hoc cordi habet, vt vel eorum imagines, ſi valet, confringat; ſin alias, procaciter irrideat; *idola ac ligneas appellans ſtatuas*. Vnde non parum animum affligit meum, amice mi, quod diabolum tua mediante lingua ac calamo tam horrendas euomere ſinas blaſphemias. Nam etſi de ſanctorum imaginibus nullum in noua lege præceptum habeamus, in veteri tamen quid hac de re vel conceſſum vel inhibitum ſit, manifeſtè conſtat; tum Moyſis, tum Salomonis exemplo. Et certè nuſquam reperio abſolutè prohibitum, vllam vel fingere vel colere imaginem; ſed quod imago Dei

X non

non ſit ſculpenda ac pro Deo veneranda, acſi ipſa quicquā in ſe diuinitatis habeat: Quippè cùm nō ſolum Deus ſit incorporeus, vt & Angeli ipſi; verùm etiā incircumſcriptus ac prorſus immenſus. Vnde rectè admodum Moyſes ad filios Iſrael, *Cuſtodite*, inquit. *ſolicitè animas veſtras, non vidiſtis aliquam ſimilitudinem in die qua locutus eſt vobis Dominus in Horeb, de medio ignis, nè fortè decepti faciatis vobis ſculptam ſimilitudinem*. Nec non & Eſaias. *Cui ſimilem*, ait, *feciſtis Deum? aut quam imaginē ponetis ei?* at nihilominus his nō obſtantibus, Moyſi poſt datum de nō faciendo ſculptili Decalogi mandatum, Deus præcepit vt duos aureos faceret Cherubinos ductiles alarū ſuarum ex panſione propitiatorium obumbrantes, atq; id genus ornamētorum alia: ad quorum decentē fabricationem, ſpiritus Domini Beſeelē ſingulari impleuit ſapiētia & intelligētia. Salomon quoque in celeberrimo illo Hieroſolymitano tēplo varias diuerſarum imaginū, Deo inſpirante ac ſui præſentia locum ſanctificante, ſculpi curauit effigies. Neque ſolum ſculpi imagines Deus voluit, ſed & in honore ac pretio eaſdem haberi.

Deut. 4. & verſ. 15.

Eſai. 40. v. 18.

Exod. 25. ver. 18.

Exo. 31. v. 2.

3. Reg. 6. 7. 8.

Num. 21.

Hinc etenim à Moyſe erectus ſerpens ille æneus, quem, qui lethali ſerpētis morſu impetiti erant, oculorum obtutu venerabundi aſpicientes, ſanabantur. Et certè non paruum imagini defert honorem, qui illa intermediante ſanitatem cōſequitur. In ſummita-

imitate quoq; arcę Moſaicæ, duo qui conſpiciebãtur Angeli, neceſſariò adorabantur ab ijs qui arcam adorabant. Imò Hieronym. in epiſt. ad Marcellam vt migret Bethleē, ideo tabernaculum à Iudæis veneratum fuiſſe adſerit, quod ibi eſſent Cherubini. Iam verò, ſi licuit venerari imagines Angelorum, cur non etiam Sanctorũ? Si licuit venerari imaginem Chriſti in forma ſerpentis (ſerpētem etenim Chriſti geſſiſſe figuram Euangeliſta Ioãnes docet) cur nō potius venerabilis erit imago CHRISTI in forma hominis? Cęterum in nouo quoq; Teſtamēto, qui varijs detinebantur languoribus, ad ſuperuenientis Petri vmbrã priſtinæ valetudinis robur cōſequebantur. Et quid quæſo vmbra, niſi quędam imperfecta hominis imago? Non adeò nos Catholici ſtupida geſtamus pectora, neque tam ſenſibus deſtituti ſumus, vt materiã ex qua imago cōflata eſt (quam quidē vos ligneũ vel ſaxeum idolũ pro veſtra modeſtia appellatis) adorem' aut veneremur, ſed potius ipſũ prototypon, hoc eſt illũ quē repræſentat. Et certè dum ipſum nomen IESVS honore afficitis (hoc aũt vt faciatis Dei vos vrget mandatum, volētis vt *in nomine IESV omne genuflectatur, cælestium, terreſtrium & infernorum*) nō ipſum qui ex ore veſtro procedit aëris flatum honore, credo, afficitis: aut nudum tantum nomen colitis, ſed quem deſignat, Chriſtum ſcilicet IESVM Dominum noſtrum.

Epiſt. 18.

Ioan. 3. v. 14.

Act. 5. v. 15.

Vide Seuerianũ Gabalorum Epiſc. Orat. in encænijs. Et Leont. orat. 5. in Iudæos.

Philip. 2. ver. 10.

Digitized by Google

CAP. XIV. HIC igitur eſt vetuſtiſſimus Chriſtianorum in habendis venerandiſque Sanctorum imaginibus ritus, vſuſque. Vnde & Euſebius Cæſarienſis teſtatur mulierem illam ſanguinis profluuio laborantem, pro foribus domus ſuæ æneam muliebrem effigiem, genibus flexis & manibus inſtar ſupplicantis ſuper editum lapidem gratitudinis ergò Cæſareæ Philippi, vbi domus illius oſtenditur, collocaſſe. E regione verò, viri ex eâdem conflatam materiâ effigiem, veſtitu ad talos demiſſo decenter ornatam, manum mulieri porrigentem: ad cuius pedes in ipſa baſi peregrinam quandam & inuſitatam herbę ſpeciem enaſci ſolere ait: quæ quidem, vbi ad ænei veſtitus fimbriam excreuiſſet, tum morbis cuiuſque generis medicandi vim & facultatem habuiſſe. Hanc autem imaginē inſignis ille apoſtata Iulianus, cùm Chriſtianorum inflammatus odio deturbari, ſuamque eius reponi loco curaſſet, ignis violenter è cœlo delapſus, Iuliani diruit; alteram autem illam Chriſtiani iſtinc auferentes, ſuiſque in templis honorificè collocantes, quotidiana ſunt veneratione proſecuti. Et hoc quidem tertiò accidit ſeculo. Quod dum B. Gregor. Turonenſis ſuis commemorat verbis, addit, *Chriſtum tanto amore à ſuis diligi, vt cuius legem in tabulis cordis credentes populi retinent, eius etiam imaginem ad commemorationem virtutis, in tabulis viſibilibus*

Matth. 9.
Eccleſiaſt. hiſtor. lib. 7. cap. 14.
Zozomen. lib. 5. cap. 20.
Niceph. lib. 10. cap. 30.
Lib. 1. de gloria Martyr. cap. 22.

Digitized by Google

bilibus pictam, per Eccleſias ac domos affigant: atq; ideo dum Iudæus quidam huiuſmodi imaginem in tabula pictam, ac parieti affixam in Eccleſia fortè conſpicatus eſſet, teloqúe eam transfixiſſet, ſanguis è vulnere vbertim dimanans, nefarium ſacrilegi auſum prodidit. Similiter & B. Athanaſius refert imaginẽ illam Chriſti quam Nicodemus feciſſe dicitur, cùm à Iudæis per ludibrium cruci eſſet affixa, innumerabilibus claruiſſe miraculis. Cuius quidem indubitatę rei veritati etiam ipſa ſeptima adſtipulatur Synodus. Videatur quoque Athanaſius Syrus, qui vixit an. Domini 760. de paſſione imaginis Domini noſtri IESV Chriſti, quę in vrbe Beryto crucifixa eſt. Cæterùm Chriſtianis fuiſſe vſitatiſſimum, magno honore Chriſti Apoſtolorumque ſacras adſeruare imagines, docet præfato loco Euſebius: nec non & ipſe D. Auguſtinus: idque confirmari B. Sylueſtri exemplo poteſt, qui exigenti Conſtantino, in promptu mox exhibuit Beatorum Petri ac Pauli ad viuũ delineatas effigies; quæ etiamnum Romæ adſeruantur: vnde eò ſe propenſiorem ad Chriſtianã fidẽ amplexandã exhibuit. Pulcheria Auguſta, Theodoſij Iunioris ſoror, circa annum Domini 420. inſignem B. Virgini Bizãtij erexit ædem; quam & eiuſdẽ imagine à Beato Luca eleganter depicta, exornauit. Apud omnes verò in vſu ſemper fuit, crucis Chriſti effigiem venerari. Vnde Chryſoſtomus in Liturgia peculiarem habet oratio-

Lib. de paſſio. imag. Domini cap. 4.

Action. 4.

Cap. 2.

Euſeb. lib. 7. cap. 14.

Lib. de Conſ. Euang. c. 10.

Vide Adrian. Pap. epiſt. ad Imper. Cõſt. Item Action. 2 & 7. Niceni Concil. II.

Niceph. lib. 14. cap. 2. nem,quam Sacerdos ad tremenda ſacri alta-
ris myſteria accedens, corā imagine crucis
reuerenter inclinatus,precari ſolet. Qui &
duas de pretioſæ vitaliſq; Crucis veneratio-
ne benè prolixas cōſcripſit homilias: in qui-
bus diſertis admodū verbis dicit, ideo cru-
cis effigiem omniū exponi oculis,vt à popu-
lo honoretur, adoretur, oſculetur. Quin &
in ſupplicationib⁹,argēteas cruces cū ardē-
a *Lib. 6. c. 8.* tibus facib⁹ præferri,teſte *a* Socrate, ac *b* So-
b *Lib. 8. c. 8.* zomeno,iubebat; idq; pro antiquiſſima Ec-
cleſiæ Catholicę,quæ etiānum apud nos per-
Vide Pallad. in vit. Chryſoſt. & Greg. Turonenſ. Lib. de glor. Conf. cap. 20 & 79. ſeuerat,cōſuetudine,Paulinus *c* Nolanus te-
ſtis eſt, quolibet anno exponi ſolere Domi-
nicam crucē,vt à populo adoretur. Vnde &
Seuero ſcribit,ſe ei mittere, tanq̄ eximium
domum, eiuſdem crucis exiguā auro inclu-
ſam particulam. Qui & alibi *d* fatetur ſe
c *Epiſt. 11. ad Seuer.* maximum incendium, quod nullo humano
extingui poterat ſubſidio, oſtenſo domini-
d *In natali 10. S. Felicis.* cæ crucis fruſtulo, reſtinxiſſe. Gregorius ve-
rò *e* Turonenſis, Crucē Dominicam quæ ab
e *Li. 1. de gloria Martyr. cap. 5.* Helena Hieroſolymis reperta eſt, quarta ac
ſexta feria exponi,atq; à populo adorari ſo-
litam,commemorat. De alijs autem Domi-
nicæ Paſſiōis inſtrumentis, hunc in modum
Ibid. cap. 7. loquitur. *De lancea,* inquit,*arundine,ſpongia,*
corona ſpinea, columna, ad quam verberatus eſt
Dominus & Redemptor Hieroſolymis: Ad hanc
columnā multi fide pleni accedentes, corrigias
textiles faciunt,eamq; circumdāt: quas rurſum
pro benedictione recipiunt, diuerſis infirmitatib.

profu-

profuturas. Ferunt etiā ipſas coronæ ſentes quaſi virides apparere; quæ tametſi videātur aruiſſe folijs, quotidiè tamen reuireſcere virtute diuina, &c. Hęc quidem ille: Cæterùm etiā Conſtantini Magni tēpore, à Chriſtianis deuotè adorabatur crux Dominica: neq; id immerito. *per hāc* enim, vt Andreas ait Cretēſis, *expulſa ſunt tenebræ, & lux eſt introducta.* Vnde *Crucē ſpem Chriſtianorū*, vocat, *ſeruatricē deſperatorū, portumq́; eorum qui tēpeſtate iactātur.* Tiberius huius nominis II. Imper. edicto cauit, ne quis Crucis ſignū fingeret, aut ſculperet humi. Videbatur. n. pio Principi cedere in aliquā Chriſti iniuriam, quod eius ſignū pedibus calcaretur: itaq; ne deinceps humi exprimeretur, vetandum imperiali edicto, operæ pretium putauit. Quod & poſtmodum 6 Conſtantinopolitanū fecit Concil. Idem autē Gregor. Turonenſ. auctor eſt, ante ętatem ſuā, Chriſti ex cruce dependētis imaginem veſtibus amiciri ſolere, idq́; diuina factum iuſſione ait, quæ id à Baſilio Narbonenſi Presbytero exegit. Quomodo autē ante Deiparę Virg. imaginem lampades accēdi conſueuerint, quæ interdum etiam ſex mēſium ſpatio nullius adhibita opera, diuinitus, teſte Ioan. Euirato, ardebāt, in decimo tertio articulo accuratius cōmemorabo. In Chriſtianorū quoque tēplis diuerſæ olim tū Sanctiſſimorū Martyrū, tum aliorum cōſpiciebantur picturæ, non ad ornatum tantum, verùm etiam ad inſtructionem ſimplicium

Serm. de Exalt. S. Crucis tom. 5. Surij. 14. Sept.

Greg. Turon. lib. 5. Hiſtor. Franc. ca. 19.

Canon. 73.

Lib. de glor. Marty. c. 23.

cœlituumque honorem. Qua de re manifeſta apud veteres inuenies teſtimonia, nempè a Prudentium, b Paulinum Nolanum, c Chryſoſtomum, d Gregor. Nyſſenum, e Turonenſem, f Ioannē Diaconum, g Michaelē Syngelium, nec nō & h Gregorium Papam. Nicephorus aūt Calliſtus, *Sanctorum*, inquit, *Apoſtolorum Petri & Pauli, ipſiuſque adeò Chriſti, & Virginis Matris coloribus adumbratas imagines plurimas, ad hunc vſque diem conſeruatas eſſe nouimus*. Verùm ipſius etiam Theodoreti interim verba audiamus, qui in hiſtoria de Simeone Stylita, hæc ſcriptis mandauit: *Aiunt Romæ, quæ eſt longè maxima, eum fuiſſe adeò omnium ſermone celebratum, vt in omnibus officinarum veſtibulis & porticibus paruas ei poſuerint imagines, hinc ſibi præſidium & tutelam parantes*: idque circa annum Domini 450. accidit, ſub Leone I. Pontif. Chryſoſtomus, S. Meletij imagines adeò celebres fuiſſe ſcribit, vt etiam in annulis, in poculis, in phialis, in thalami parietibus, atque alibi paſſim conſpicerentur.

a In hymno de Caſſiano & Hippol.
b Epiſt. 12. ad Seuer.
c Orat. in S. Meletium.
d Orat. de laud. S. Theodor.
e Lib. de glor. Marty. c. 11.
f Lib. 3. de vit S. Grego. cap. 83.
g In vita Dionyſ. Areop.
h Lib. 6. c. 16.

Orat. in S. Melet.

CAP. XV.

POſſem & alia innumera hac de re in medium proferre exempla, tum ex antiquis Patribus, tum ex alijs, qui primis ſexcentis aut ſeptingentis vixêre annis, Eccleſiaſticarum rerum ſcriptoribus: nempè de imagine Chriſti Saluatoris, quam ad Abagarum miſit: De qua luculentam cōſcripſit orationem

Con-

Digitized by Google

a Conſtātinus Porphyrogenitus Imperator: agunt〈que〉 de eâdem, ac miraculis inde editis *b* Euagrius Scholaſt. & *c* Nicephorus. Huius quoque imaginis hiſtoriam, vti veram, ſuſpiciunt Patres *d* Synodi Nicenæ II. Nec non & Stephanus Papa in Concilio Romano, vt auctor eſt Hadrianus Papa, qui eam tuetur in epiſt. quā ſcripſit ad Carolum Magnum de imaginibus. Nec non & *e* Ioannes Damaſcenus eandem recipit. Tum quoque poſſem hic ex *f* Niceta choniate referre quanta cum ſolemnitate ac veneratione Ioannes Comnenus eiuſque filius Emanuel Imperatores Conſtantinopolitani, in vrbem imaginem ſacratiſſimæ virginis introduci curauerint, parta nimirum aduerſus Schytas, aliaſque barbaras nationes victoria. Verùm miſſis his duo tantum ad huius rei elucidationem fa[illegible]ia prẹter ſuperius à me cōmemorata, exempla referam. *Quorum primum quidem eſt*, quod ipſi Venerandi Patres qui Secundo Nicæno interfuêre Concilio circa annum ſcilicet 781. dum adhuc nullis, vt dicitis, næuis obſcurata eſſet primæua Eccleſiæ ſinceritas, probant ex varijs antiquorum ſcriptis, imaginum ſacrarum cultum ex Apoſtolica deſcendere Traditione; ſic enim aiunt: *Fatemur vnanimiter nos Eccleſiaſticas Traditiones, ſiue ſcripto, ſiue conſuetudine valentes & decretas, retinere velle, quarum de numero eſt imaginum effiguratio, vt quæ hiſtoria Euangelica concinat. Vnde Sanctorum noſtrorum &*

a *Extat apud Sur. To. 4. 16. Augu.*
b *Hiſtor. lib. 4. cap. 26.*
c *Lib. 2. ca. 9.*
d *Action. 5.*
e *Lib. 4. de fide Orthod. cap 17.*
f *In Ioanne & Emanuele Cōnenis.*
Actione 7.

diuinorum Patrum doctrinæ inſiſtentes, & Catholicæ Eccleſiæ in qua Sanctus Spiritus inhabitat, Traditionem obſeruantes, definimus cum omni diligentia & cura venerandas ſanctas imagines &c.

Alterum, quod auctores Iconomachiæ, fuerint omnes aut Iudæi, aut Mahumetani, aut Magi, aut manifeſtè Hæretici; adeò vt negare non poſſint, qui hoc tempore ſacras impugnant atque extirpant imagines, auos & maiores ſuos fuiſſe impios. Vnde Mahumetus circa annum Domini ſexcenteſimum primus ferè fuit, qui imagines abolere docuit, quique ſuæ ſectæ hominibus nullas in templis imagines habere permiſit, vt ex Alcorano cap. 15. & 17. ipſaque experientia patet. Deinde poſt annum Domini ſeptingenteſimum, Hebræus quidam maleficus Ezidi Arabum Mahumetano Regi triginta vitæ annos promiſit, ſi in ſua ditione iuberet Chriſti, ac Sanctorum imagines ex Chriſtianorum Eccleſijs auferri, ac comburi. Quo peracto, Rex Ezides anno quidem ſequenti obijt: at verò falſus ille vates vt inſignis impoſtor à ſucceſſore eius turpiſſima morte è medio ſublatus eſt. Non longè poſt Leo Iſaurus Imperator à Iudæis Chriſtianæ fidei odio flagrantibus, idem facere perſuaſus, publico edicto imagines deponi, & deleri ex omnium Catholicorum templis iuſſit. Qui autem ſeſe huic

Vide Syn. action. 5. Et Cedren. Zonaram, & Nicetã.

Ioan. Zonar. lib. 3. in Leone Iſaur.

tam

eam nefariæ iuſſioni obiecerunt, (fuêre autem complures pietatis eximiæ, ac ſummæ auctoritatis viri) illos varijs excarnificatos ſupplicijs, neci dedit; vel potius per Martyrij palmam vitæ æternæ tradidit. Videte igitur quorumnam diſcipuli ac imitatores vos Lutherani ſitis, Iudæorum ſcilicet ac Mahumetanorum: immò ipſius certè cacodæmonis, qui olim quendam ſimplicioris naturæ Heremitã, infeſtiſſimis libidinis ſtimulis exagitans, eidem promiſit ſe diſceſſurum, ſi Deiparæ Virginis imagini, quam in cubiculo adſeruans quotidiè venerabatur, nullum amplius honorem exhiberet.

Euagrius in prato ſpirit. cap 45. & Damaſ. li. 1. de imagin.

CAP. XVI.

NEQVE magnoperè ambigimus, quin omninò diabolica ſit doctrina, quàm noſtri in orbem inuehere conantur hæretici, qui Chriſti atque omnium cœlituum gloriæ inuidentes, ſibi eam nefariè vſurpant, vendicantque. Crucis etenim ſacræ trophæum, crucifixum Papiſtarum Deum; aliorum verò diuorum imagines, idola ac ligneos appellant truncos, ſuorum interim Miniſtrorum effigies ſummo habentes in pretio. Quòd vt verum eſſe comprobemus, videte quæſo, quàm varijs figuris ac modis ipſum Archihæreticum Lutherum Germani ſculpſerint pinxerintvè; modò enim in veſte monaſtica conſpicitur, nõnunquam toga amictus ſacerdotali, nunc

Digitized by Google

ſedens, nunc ſtans, aut vtroque in terram de-fixo poplite geniculans. VVittenbergenſes Lutherum & Pomeranum ſub cruce pinxerunt, ita vt vnus Deiparæ Virginis, alter Ioannis Euangeliſtæ suppleret locum. Sæpenumerò pro duodecim beatiſſimis Chriſti Apoſtolis, totidem in primarios Lutheranæ farinæ depictos prædicantes oculis conſpexi meis. Eberus VVittenbergæ ſuo ſub nomine vltimam Chriſti cœnã cudi curauit; in qua Lutherus Saluatoris noſtri locum officiumque ſubit; cui Melãchton proximè aſſidet, inde verò Pomeranus, Pfeffingerus, cæterique iſtius ſectæ primates; adeò vt nec Iudæ vacet locus, qui ibidem in flaua compareat veſte, Chriſto proximus. Caluini quoque ac Bezæ vix credas, quanta in veneratione effigies apud Caluiniſtas habeantur. Britanni ſuis è calendarijs feſtum diem, quo ſacratiſſima virgo ac Dei mater in ortum producta eſt eradentes, Eliſabethæ reginæ ſuæ ſubſtituerunt nomen: cuius inſignijs præcipuarum vrbium portæ, in quibus olim Dei genetricis poſitæ erant imagines, exornatæ conſpiciuntur. Cùm itaque in tantùm aduerſus ſacrarum cultum imaginum ſtomacheris, tamque atroci bile inflammeris, cur non præpoſterus Anglicanæ Iezabelis, ac planè ridiculus tibi diſplicet honos? Neminem niſi vtroque procumbentem genu, ad ſuum admittit colloquium. Inſuper in propatulo publicoque aliorum proſpectu non

Naſus Cent. 1. verit. 13.

pran-

prandenti: ſella tamen ac menſa omni cibariorum genere referta, honoris cauſſa ponitur; quam quidem ſedem ſeſſore vacuam, nulli niſi genibus in terram demiſſis prætere fas eſt. Ipſo Diui Georgij, dum Anglicanæ nobilitatis ſolemnis agitur proceſſio, omneſque miniſtri ac Superintendentes (qui Epiſcoporum Archiepiſcoporumque ſibi immeritò nomen vendicant) cæteriq; quotquot Caluiniſticæ ſectæ Prædicantes ſunt, prolixioribus induti veſtibus, cateruatim præcedunt; illa in fine pretioſa ſub vmbella, loco nimirum venerabilis ſacramenti, quod tali die talique reuerentia illic circumferri apud Anglos ſolitum, ſubſequitur. Neque hoc indepicti honoris genere contenta, etiam à populo in terram procumbente, magnaq; voce proclamãte, hiſce ſalutatur verbis: *Godt ſaue de Queen*, quod eſt, *Deus conſeruet Reginam*. Illa verò reſpondet, *Gratias vobis habeo, mi popelle*. Nolo quidem honorẽ qui Regibus, Imperatoribus, cæteriſq; Chriſtiani Orbis Monarchis ac Principibus debetur, carpere, aut vllatenus inhibere; quippe qui non ignoro etiam primis trecentis ac quadringentis annis, Chriſtianorum milites Imperatorum ſtatuas ſine vlla Epiſcoporũ obiurgatione, inhibitioneue, honorare ac venerari ſolitos. Neque me latet, Principes ægrè olim tuliſſe, ſi quos ſuas deſpicientes ſtatuas comperiſſent; vti ex Chryſoſtomo ac Theodoreto probari poteſt; in quantas nimirum

Zozomen. libr. 5. hiſtor. ca. 16. Euſeb. lib. 4. de vita Conſtant. cap. 69.

Ad pop. Antioch. Hom. 2. 3. &c.

In Philoth. cap. 18.

mirum ærumnas Antiocheni coniecti ſunt, qui oborta ſeditione Theodoſij Imperatoris, eiuſque conſortis Auguſtæ ſtatuas demolientes, ad nihilum propemodum euerſa vrbe redacti fuiſſent, nî Flauianus Antiochenus Epiſcopus, ipſeque ſanctiſſimæ vitæ Meletius monachus, blando admodum ſermone hanc tempeſtatem ſedaſſent, Principumq́; iratorum animos placaſſent. Vnde ſolùm ad hoc mea tendit oratio, vt hinc maiorem reuerentiam Chriſti ac Sanctorum imaginibus exhibendam demõſtrem, quàm vel Imperatorum, vel alicuius non ſatis probæ conuerſationis reginæ ſtatuis. Tum vt noſtri temporis iconoclaſtas, non exiguam promeritos pœnam, Antiochenorum exemplo edoceam, qui ignominiam quàm imaginibus irrogant, ipſi Chriſto, Sanctiſque, quorum imagines ſunt, irrogant.

VERVM enimuerò finem huic imponens articulo, duo vt admiratione, ſic & fide digna commemorabo exempla; quorum primum quidem Haſſeleti Leodienſis diœceſis oppido anno 1567. nocte illa quæ vigeſimum primum menſis Ianuarij præcedit diem, accidit. Vbi in æde S. Quintini, quæ parochialis eſt, omnes imagines ſtatuæque diſſipatæ ac contractæ ſunt, vnaque cum libris atque Eccleſiaſticis ornamentis, in ignem, qui ibidem copioſo accenſo fomite vndequaque relucebat, coniectæ. Cùm

Surius in Comment. an. 1567.

autem

autem ad horam noctis duodecimam, in crucifixi Seruatoris imagine in opali ſeu editiori parte templi poſita, demolienda occuparentur, ipſa iam iam prolabente, ecce ſemel atque iterum (vide rem memoratu dignam, ac miraculi loco habitam) nullo flante penitus vento, rogus ac cærei, faceſque omnes adeò extincti ſunt, vt ne ſcintilla quidem vna quæ lumini accendendo ſatis eſſe poſſet, in tota Eccleſia reperiretur. Aderat Hermannus Dryuer Svvollanus, Miniſter, homo importunus & ad ciendas turbas ſeditioneſque natus, qui hoc ſtupendo attonitus miraculo, omnes iuramento adſtrinxit, ne quis eam rem ad Papiſtarum deferret aures. Verùm eodem illo anno, quidam ex horum iconoclaſtarum numero, dum lethaliter decũberet, negotium prout geſtum erat, remordẽte cõſcientia propalauit. Vnde & mihi eiuſdem anni æſtate, idẽ per Paſtorẽ ac Magiſtratum Haſſellẽſem, qui in rei veritatẽ, ſeruata iuris formula ſtudioſè inquiſierãt, innotuit. Quod etiã quinquennio poſt, cùm in præfata æde concionibus inſiſterem, publicè pro ſuggeſtu, repetij; omnib⁹ applaudẽtibus, atq; trãſacti negotij veritatẽ communibus ſuffragijs comprobantibus: è quorũ numero cum primis erat vir quidam ętate grauis, qui anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſeptimo, Iudicis fungens officio, indagandæ rei veritati cum alijs quãplurimis interfuerat.

Alte-

Alterum verò Syluęducis ann. 1566. in priori iconoclaſtia contigit: vbi cùm quidam pręcipiti furore Diui Anthonij imaginem ad ignem cum hiſce blaſphemis raptaret verbis, *Anthoni Anthoni, tuo quidem ſoles in mortale genus igne deſæuire, eoſq; vſtulare; at vbi nunc vires priſtinæ?* illico ſceleratam peſte infectam ſenſit linguam, ſicque vna cum tota miſerè perijt familia. Huius àutem veridicę narrationis auctor mihi eſt Reuerẽdiſſimus Dominus Franciſcus Sonnius, vir inter cæteros tum elegantiæ doctrinæ, tum vitæ integritate morumque probitate præſtans, qui eadem illa tempeſtate Syluæducẽſibus à Rege Philippo datus erat Epiſcopus.

CAPVT XVIII.

QVARTVS articulus, *de inuòcatione Sanctorum* agit; quem quidem eò hîc perſtringam breuius, quod ſuperius nonnulla hac de re mihi habita ſit mẽtio, vbi copioſius veterem Catholicæ Eccleſiæ intra primos ſexcentos annos vſum elucidaui. Vnde hîc ex ſacrarum theſauro literarum, depromam potiſſimum ea, quæ ad huius rei veritatem comprobandam ſatis eſſe queant. Quamquã vos interim, Sanctos cum Chriſto perpetua iam beatitudine fruentes, ignominiæ cauſſa defunctos appelletis homines, neque eos in cœlum receptos eſſe credatis, ſed alibi, neſcio in quem angulum (hic etenim error *a* Luthero ac *b* Caluino cum *c* Vigilantio communis eſt) vſque ad extremum iudicij diem, detruſos: At verò nos Catholici haud quaquam

a *Prælect. in Gen.*
b *Lib. 3. Inſt. cap. 25.*
c *Hieron. in Vigilant.*

quaquam ignoramus, quin Sancti nunc multò perfectiorem in cælis vitam agant, quàm nos in terris. Atque ideo Eccleſia, natales Sanctorum dies ſilentio tranſiẽs, mortis diẽ ſolemnibus officijs, & communi alacritate concelebrat, eundemq́ue non mortis, ſed natiuitatis diem vocitat. Quare vt melius ſecundum Catholicæ fidei normã inſtruaris; ſciẽdum, noſtris in orationibus quas ad Deũ fundimus, tres conſiderandas perſonas. Quarum *prima* eſt ipſe quem oramus, DEVS à quo tanquam bonorum omnium largitore opem imploramus. *Altera* CHRISTVS, vt mediator, qui factus eſt propitiatio pro peccatis noſtris, per cuius merita exaudiri petimus. At harum neutram ad Sanctos referimus. *Tertia*, eſt is, qui per Chriſti interceſſionem Deum deprecatur; & hi quidem ſunt vel homines, vel Angeli, vel Sancti cum Chriſto iam regnantes; quinimò, & ipſæ iam in purgatorio degentes animæ. Cùm itaque alicuius Angeli Sanctivè preces expoſcimus, nihil petimus aliud, quàm vt id faciant, quod nos facimus, ſcilicet vt Deum per merita Chriſti pro nobis interpellent. Verum enimuerò, quia facie ad faciem Deum vident, cui iam præſto ſunt, neque vllo carnis inquinamento peccatorumve pondere premuntur, ſuntq́ue abſorpti in amorem Dei, haud quaquam dubium, quin illorum oratio, Omnipotentis Dei aures facilius ad exaudiendũ inclinet,

In precibus noſtris, tres perſonas conſideramus.

Prima.

Secunda.

Tertia.

clinet, quàm noſtra; quippe qui varijs ſubiecti paſſionibus, quotidianiſque delictis, multo id ægrius præſtare valemus. Atque ideo noſtris non contenti orationibus, vtpotè imperfectionibus (*nam quid oremus*
Rom.8.verſ. 26. *ſicut oportet, neſcimus*) aliorum validius imploramus ſuffragium; illorum nimirum, qui vel iam cum Chriſto regnant, vel adhuc in militante conſtituti Eccleſia, inculpatam vitam agunt; vt ſcilicet ſuas noſtris iungant precibus, eaſque Deo pariter nobiſcum offerant. Quo quidem ſic poſito, duo ex ſacris reſtant probanda ſcripturis.

Horum primum eſt, *Sanctos orare pro nobis*. Cuius manifeſtum exemplum habemus apud Zachariam Prophetam, vbi Angelus Domini pro ſalute filiorum Iſrael
Zach.1. verſ.12. hiſce orat verbis. *Domine exercituum, vſquequo tu non miſereberis Hieruſalem, & vrbium Iuda, quibus iratus es, iſte iam ſeptuageſimus annus eſt? Et reſpondit Dominus Angelo qui loquebatur in me verba bona, verba conſolatoria*. Hîc Angelus non ſolum orat, ſed & exorat. Similiter & Raphael Angelus, vnus ex ſeptem qui adſtant ante
Tob.12. verſ.12. Dominũ, vltro Tobię fatetur, quod lachrymas preceſque ſuas Deo obtulerint. Atque hinc eſt quod Anaſtaſius Sinaites Antiochenus Patriarcha, ad quam diuerſæ extant B. Gregorij Magni epiſtolæ, inquit.
Lib.1.Hexameron. *Supernas poteſtates non ſolum ſtudioſè defendere,*

dere, diligere ac protegere humanum genus, ſed & pro eo orare ac intercedere. Si itaque pro nobis orant Angeli, orant & cæteri Sancti: quia illi, Chriſto atteſtante, ſunt ſicut Angeli in cœlis. Adde, quod Iudas Machabæus in viſione quadã, vidit Oniam Pontificem, nec non & Hieremiam Prophetam, qui iam vita functi adhuc in limbo degebãt, orantes pro populo Iudæorum. Et quamquã ſecundùm quieté, hæc Iudæ manifeſtata ſit viſio, fuit tamen realis ac veriſſima. In nouo autem teſtamento, deſcribuntur à Ioanne viginti quatuor Seniores in cœlo procidiſſe coram throno Dei, habentes phialas aureas plenas odoramentorũ, *quæ ſunt*, inquit, *orationes Sanctorum.* Hi aũt 24. Seniores nõ ſunt de Angelicis ſpiritibus, ſed ex illorum numero, qui per duodecim Prophetarum vaticinia, Apoſtolorumq; prædicationem cõuerſi, atque omni pietate inſtructi, beatitudine æterna iam perfruuntur; offerẽtes Deo deuotorum Chriſtianorum per baptiſmatis lauacrum ſanctificatorum, preces; procidẽtes nimirum in facies ſuas coram agno.

Matt. 22. *2. Mach. 15.* *Apocal. 5. verſ. 8.*

CAP. XIX.

ALTERVM quod probandum reſtat, eſt; *licere Sãctorum expetere preces, eoſdémq; inuocare, ac colere:* nõ quidẽ latriæ cultu, qui vni ac ſoli debetur Deo, de quo eſt illud Pauli, *Quomodo inuocabunt in quẽ nõ crediderunt?* ſed hyperduliæ, vt eos ad oratiõem pro nobis inclinemus, & ad opẽ ferendã incitemus; ſic enim ſolẽt egeni diuitũ implorare ſubſidiũ,

Rom. 10.

ægroti medicorum, parentum liberi, affli-
cti potentum. Neque dubium, quin Sancti
multò plus per gloriam à Deo ſibi cõceſſam
præſtare queant, quàm mortalium quiſq; per
gratiam. Vnde Iacob Patriarcha, duob. ſuis
benedictionem impartiens nepotibus, *Ange-*
Geneſ. 48. verſ. 16. *lus*, inquit, *qui eruit me de cunctis malis, bene-*
dicat pueris iſtis. Hic apertè S. Iacob Angelũ
inuocans, petit vt Ioſephi filij ſui liberis
dignetur benedicere. Eliphas quoque The-
manites, volens Iobo inſultare; illiq́;, quod
in grauẽ omnipotentis Dei indignationem
incidiſſet, adeò vt exaudiri non merere-
Iob 5. verſ. 1. tur, exprobare. *Voca*, inquit, *ſi eſt qui tibi*
reſpondeat, & ad aliquem Sanctorum conuer-
tere. Hoc eſt, ad Angelorum, vt B. expo-
nit Auguſtinus, preces implora. Tali etenim
Eliphas vtitur argumento. Etiam ſi vel
Deum inuocaueris, vel Sanctorum An-
gelorum preces ſupplex expetieris, nulla-
tenus tamen exaudieris: vnde non du-
bium, quin opera tua reproba ſint, adeo
vt quaſuis calamitates meritò promeruiſ-
ſe videâre. Inſuper & ſponſa in Canticis
Cant. 5. verſ. 8. ait: *Adiuro vos, filiæ Hieruſalem, ſi inue-*
neritis dilectum meum, vt nuntietis ei quia
amore langueo. Quæ quidem verba Bea-
tus Gregorius poſt Philonem Carpathium
ediſſerens, adfirmat Eccleſiam militan-
tem illorum expoſcere preces, qui iam
cum Chriſto in cœlis regnant, vt ſcili-
cet dilecto, cui nobis proximiores ſunt
offe-

offerant deſiderium noſtrum, pro nobis orando. Quin & viuorum, qui vel vitæ ſanctitate, vel poteſtate præcellunt, nonnunquam ſuffragia expetimus, non minus quàm olim amici Iob; qui à Deo moniti, cùm tauris & arietibus ſupplices illi fuere; petentes vt pro ipſis holocauſtum offerens, diuinam vltionem auerteret. Similiter & filij Iſrael dixerunt Samueli; *ne ceſſes pro nobis clamare ad Dominum Deum noſtrum, vt ſaluet nos*. Paulus quoque paſſim in ſuis epiſtolis aliorum pro ſe preces expoſcit: nempè *a* Romanorum, *b* Epheſiorum, *c* Coloſſenſium, *d* Theſſalonicenſium, *e* Hebræorum, nec non & diſcipuli ſui *f* Timothei, aliorumque. Quod ſi ita eſt, cur non & nos Sanctorum cum Chriſto regnantium preces ſtudiosè expetemus?

1. Reg. 7. 8.

a *Rom. 15. 30.*
b *Ephe. 6. 19.*
c *Coloſ. 4. 3.*
d *1. Theſ. 5. 25. 2. Theſ. 3. 1.*
e *Heb. 13. 18.*
f *1. Tim. 2. 1.*

Si autem Sanctorum preces expetendæ non eſſent, id quatuor de cauſis fieret. Vel quia à Deo eſſet prohibitum, defunctos (quod tamen in toto ſacrarum literarum codice nuſquam reperitur) precibus interpellare; vel quia Chriſto fieret iniuria, dum præter illum, qui vnicus mediator eſt, alios mediatores conſtituimus. Verùm ſi hoc valeret, iam neque viuorum preces, quæ tamen Beato Paulo fuêre gratiſſimæ, expectandæ forent: quippe quarum eadem eſt, vt ſupradictum, ratio. Vel ideo quoque orandi non eſſent Sancti, quia no-

ſtras non intelligunt preces. At certè varijs modis hæ illis poſſunt innoteſcere. *Primò* quidem per Angelos, huc illucque commeantes; qui quæ hic in terris geruntur, tum pro maiori Sanctorum gloria, tum pro hominum ſalute in ſupremam illam regionem deferunt. Sic enim Tobiæ orationem Raphael Domino obtulit. Sic Angelus in Apocalypſi ſuper altare aureum orationes Sanctorum Deo præſentauit. Sic Ieremiæ & Oniæ filiorum Iſrael poſt vtriuſque obitum innotuerat miſeranda calamitas; adeo vt pro eis Dominum deprecarentur. Quin & in inferno certi non deſunt internuntij, qui deteriora quæque ad maiorem damnatorum cruciatum eò perferãt, dæmones nimirum. Vnde diues ille epulo in tormẽtis cõſtitutus, ſciebat quid ſuos circa fratres ageretur: certum habẽs per illorum dãnationem, ſibi plurium quoque pœnarum incrementum acceſſurum; quippe qui eos malo præceſſerat exemplo. *Secundo*. Deus ipſe, in cuius lumine Sancti æternæ beatitudinis lumen quaſi in limpidiſſimo ſpeculo iam contemplantur, poteſt quæ ad maioris gloriæ augmentum faciunt, illis reuelare. Vnde rectiſſimè Gregorius, *Anima Sanctorum*, inquit, *cùm intus omnipotentis Dei claritatem videant, nullo modo credendum eſt, quia foris ſit aliquid quod ignorent. Quid eſt enim quod ibi neſciant, vbi ſcientem omnia ſciunt?* Vel ideo denique

Sanctis preces noſtræ innoteſcunt.

Tob. 12.

Apocal. 8.

2. Mach. 15.

Luc. 16.

Lib. 12. mor. ca. 13. & lib. 4. Dial. c. 33.

quę ſancti inuocandi non eſſent, quod cùm hic ſolummodò merendi tempus ſit, amplius vel ſibi vel nobis poſt obitum mereri non queant. Sed neque Angeli nunc merentur, neque Hieremias Propheta; qui tamen pro filijs Iſrael, vti ſupra ex ſacrarum litterarum monumentis probatum, orarunt. Nam vt orare non eſt mereri, ſed veniam precari; ſic neque impetrare, eſt orationis merces: ſed potius meritum diuinæ gratiæ, quam in terris conſtituti rebus benè geſtis acquiſierunt: adeo vt amici ac filij Dei nominari meruerint. *Quod ſi filij, profecto & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti.* Itaque ſi amicus amici, ſi filij preces parens exaudit, quid ni Deus electorum ſuorum exaudiat preces, de quo Regi⁹ pſaltes ait, quod *voluntatem timentium ſe faciat, & deprecationem eorum exaudiat?*

Zachar. 1. *2. Mach. 15.* *Rom. 8.* *Pſal. 144. verſ. 19.*

CAP. XX.

Action. 11.

IN Concilio Chalcedonenſi, cum B. Flauiani Martyris ac Conſtantinopolitani Epiſcopi mentio haberetur, pari voce clerus cum Epiſcopis exclamauit, *Flauiano æterna memoria. Ecce vltio, ecce veritas: Flauianus poſt mortem viuit, Martyr pro nobis oret.* Itaque licet ſuperius aliquot peruetuſtos, ac ſingulari vitæ Sanctimonia præſtanteis Patres produxerim, Sanctorum inuocationi atque adorationi adſtipulátes, tamen vt volútati tuæ morem geram, tibiq;

Digitized by Google

per omnia faciam ſatis, non pigebit his adiungere tres quatuorve. Quorum primus eſt S. Ephrem Syrus, à Baſilio Magno ſacerdotio initiatus; qui Beatæ Virginis hiſce verbis implorat auxilium. *Intemerata, prorſuſqúe pura Virgo Deipara, regina omnium, ſpes deſperantium, Domina mea glorioſiſſima, eademqúe optima. Tu virginum decus, corona, & gaudium. Sub alis tuis cuſtodi me & protege. Miſerere mei qui ſum luto coinquinatus, qui ſceleribus quamplurimis creatorem Deum meum & Iudicem offendi, ne aduerſus me glorietur ſathanas exitioſiſſimus. Non mihi alia fiducia ô Virgo ſyncera. Tu enim meus portus, ô virgo inuiolata, & præſens auxiliatrix. Denique ſub tutela & protectione tua totus ſum. Crebris lachrymis te ô celeberrima Mater imploro, & aduoluor tibi Domina mea, ſuppliciter clamans &c.* Plura id generis alia apud hunc Sanctiſſimum antiquiſſimumqúe Patrem inueniuntur. Quem etſi vos hæretici culpæ obnoxium exiſtimaretis, non tamen quotquot Catholici ſumus, nihil eũ culpa dignũ admiſiſſe ſcimus. Quod enim Dei genitricẽ ſuam vocat fiduciã, portum, ac præſentẽ auxiliatricem, in eo nihil derogatur CHRISTO, cuius meritis hęc ſibi acquiſita vult intelligi. Inſuper & Gaudẽtius Brixienſis Epiſcopus, ita ait. *Tot igitur Sanctorũ patrocinio adiuuãdi, tota fide omniqúe deſiderio ſupplices ſecũdum eorum veſtigia curramus, vt ipſis intercedentibus, vniuerſa quæ poſci-*

In orat. de laudibus B. Mariæ.

Tractatu in dedicat. Baſil. concilij Sanctor.

poſcimus adipiſci mereamur, magnificantes Christum Dominum tanti muneris largitorem. Prudentius quoque Christianorum Poetarum cũ primis celebris, vt ſuis verſibus Sanctorum illorum inuocat auxilium, quorum res pręclarè geſtas canit; ſic maximè id facit, dum Sancti Caſſiani vitam & paſſionem pulchrè proſequitur: vbi inter cætera, hæc habet.

Stratus hunc tumulo aduoluebar, quẽ ſacer ornat
Martyr dicato CASSIANVS corpore.
Dum lachrymans mecum repeto mea vulnera, & omnes
Vitæ labores, ac dolorum acumina:
Erexi ad cælum faciem, ſtetit obuia contrà,
Fucis colorum picta imago Martyris.

Habetur in eius periſtephanôn. & Tom. 4. Sur. 13. Auguſt. Imago S. Caſſiani.

Et in fine.

Suggere ſi quod habes iuſtum vel amabile votum,
Tibi ſi qua ſpes eſt ſi quid intus æſtuas.
Audit, crede, preces Martyr proſperrimus omnes,
Rataſquè reddit, quas videt probabiles.

Martyres audiunt preces noſtras.

Tum & ipſe B. Paulinus, quem magnis laudum pręconijs non modò Auguſtinus, ſed & Gregorius Romanæ Præſul Eccleſię concelebrat; ſubditos, vt Beatorum implorẽt ſuffragia, ſtudioſè hortatur; immò ipſemet in vita & miraculis S. Felicis martyris Nolani quam plurima habet, quæ tum ad Sãctorum inuocationẽ, interceſſionem, venerationẽ, & authoritatem ſtabiliendam faciunt, tum ad reliquiarum ſanctarum honorem, & cõmendationẽ; vnde & B. Felicem hiſce verſibus inuocans, ait.

Et maria intraui duce te, quia cura pericli
Ceſſit amore tui, nec te ſine: nam tua ſenſi
Præſidia, in Domino, ſuperans maris aſpera Chriſto
Sẽper ego, & terris te propter tutus & vndis.
Sis bonus ô fœlix, úe tuis, dominumqúe potentem
Exores. &c.

In Natali Secundo.

B. Aponius non ſolùm pro nobis orare martyres, ſed & tum à dęmonibus, tum ab hominibus malis tueri nos, affirmat. Quin & ipſe Gregorius Beatam Virginem nonnullis eximiæ pietatis hominibus in vltima ægritudine apparuiſſe, opemq; tuliſſe, teſtis eſt. Hoc enim vſu eueniſſe Muſæ puellæ, *a* ſcriptis prodidit. Nec non & Gallæ *b* viduæ, Simmachi Cõſulis filiæ, quàm B. Petrus agonizantem inuiſit. Sic *c* Vrſinus presbyter, in exitu ſuo etiam cæteros conſpexit Apoſtolos. Sic *d* Seruulus paralyticus, & *e* Romula, Angelos cantantes, cęleſteſque exequias peragentes moribundi audierunt. Immò ipſa B. Gregorij amita *f* Tarſilla nomine, in hora mortis Chriſtum IESVM ad ſe venientem conſpicata eſt. Et S. Martinus Turonenſis.

Lib. 6 in Cantic.

a *Lib.4. Dialog.c.17.*
b *Ibid.c.13.*
c *Cap.11.*
d *Cap.14.*
e *Cap.5.*
f *Cap.16.*

Culmen Apoſtolicum, celſas & honore columnas
Sæpè Petrũ meruit, Paulumqúe videre licẽter.

Fortunat. lib.3 vita S.Mart.

Quid hîc B. Benedicti exemplum commemorem, qui Deo traditurus ſpiritum, ſuos conſolans diſcipulos, aiebat poſt obitũ præſentius ſe ijs laturum auxiliũ, quàm dum in corpo-

corpore degeret. De quo S. Maurus eius olim diſcipulus tale ad Romanũ merentem protulit vaticiniũ. *Gaudere*, inquit, *potius quàm flere ideo de eius migratione debemus; quia & patronum magnũ præmiſimus, & præſentatiorem eum nunc, quàm ſi carne viueret, ſumus habituri.* Simile quid de S. Honorato Epiſc. Arelat. prædeceſſore ac Patre ſuo ſibi pollicebatur B. Hilarius, cùm optima ſpe plenus, diceret: *Cuius hîc oſſa cõdidimus, in cœlo vtique patrocinia præmiſimus.* Quem & hiſce, vt patrocinetur, verbis inuitat: *Memento amice Dei, memento iugiter noſtri: Deo incoinquinatus adſiſtis, canens illud canticum nouum, & ſequens agnum quocunque vadit. Tu illi pediſſequus, pro nobis patronus, orationum noſtrarum interpres acceptabilis, & fortis adſertor. Profuſas ad ſepulchrum tuum alumni gregis preces perfer, &c.*

Fauſtus in geſtis S. Mauri. Tom. 1. Sur. 15. Ianu.

Orat. in S. Honoratũ. Tom. 1. Sur. 16. Ianuar.

Apoc. 14.

CAPVT XXI.

QVINTVS articulus, *agens de ſumptuoſo, profuſo, ac pompoſo templorum altariumquê Ornatu.* Vnde video duo potiſſimum tibi homini bellè hæretico in ſacrarum ædium cultu officioque diuino diſplicere: quorum primum eſt, quod Catholici magnum adhibent ſtudium, in cultiorem templorum altariumque apparatum: quæ auro, argento aliaque pretioſa exornant ſuppellectili. Tum quoq; nõ arridet iſte

accu-

accuratior diuinæ maieſtatis cultus, quem pompoſitatis nomine dehoneſtas. Et horum quidem omninò nihil in hęreticorum Synagogis conſpicitur; quippè qui Eccleſias rebus ſpoliantes ſuis, cum proditore illo obganniunt, *Ad quid perditio hæc, poterant enim venundari, & dari pauperibus.* Nec nō & cùm blaſphemo illo, ac ſacrilego Conſtantino Copronymo, qui gentilitię id ſuperſtitionis eſſe aiebat. De quo Theoſteriſtus commemorat, quod in ſacro conſtitutus baptiſterio, ſuis id ſtercoribus defœdauerit: vnde & in eam incidit dementiam, quod eodem hoc vnguenti genere, etiam proprij corporis artus ſolitus ſit perurgere. Huius erat illud ioculare dicterium, vt Chriſtianis inſultās, affirmaret, *Sanctos cultiori ornatu non egere, ſatius eſſe in viuorum vſum hunc erogari.* Itaque tum huius Copronymi, tum apoſtatæ Iuliani, ac proditoris Iudæ veſtigijs noſtri ęui hæretici inſiſtentes; non quidem pauperum, qui ad illos nihil attinent, curam gerunt; ſed ſibimetipſis hoc prætextu conſulunt: impendentes interim ereptas ſacris ædibus veſtes, ſuo, ſuorumque liberorum, vxorumque amictui, vel propriæ domus ornatui. Idque non Caluiniſtæ tantum factitant, quorum Synagogæ nullo penitus externo cultu opus habent, quippè in quibus nudi tantùm panis fruſta, delutiq; hauſtus vini exhibetur, nihilque quod vllam ſingularem reuerentiam mereatur, conſpicitur; verum

Matth. 26.

Orat. in S. Nicetam.

rum etiam ipſi Lutherani, quibus multò potior eſt vxorum liberorumve quàm auguſtiſſimi altaris Sacramẽti cura. Vnde quid cum templorum ornamentis, ſacriſque vaſis ac cimelijs, in Germania, Anglia, Belgica, alijſque paſſim locis actum ſit, nouit tam ipſe omniſcius Deus, quàm qui ea in ſuum applicarunt vſum: certè pauperibus haud quaquã erogata ſunt. Quid enim? an vlli pauperi benè fuit, ex direptione ſumptuoſiſſimæ iſtius S. Rumoldi apud Mechlinienſes inauratæ tumbæ; quæ & gemmarum precioſarum aliarumq; rerum quibus exornata erat, nullum ineam calculum, tria marcarum argenti probatiſſimi millia continuit.

Torpati in Liuonia Miniſter populo Eccleſiaſtica ornamenta pauperibus diſtribuenda prẹſcripſerat. Contigit autem, vt Conſulis filia templũ ipſo cõcionante, aurea exornata catena, ex theca Venerabilis Sacramenti conflata, ingrederetur; Quam dum è ſuggeſtu concionator conſpicit, repentè exclamans, iubet vt quotquot præſentes eſſent mulieres & virgines, ei adſurgerent; & in genua prouoluerentur: adferri enim flauam Chriſti tunicam aiebat. Citatus autem coram Senatu, dum interrogaretur, cur Conſulem publica affeciſſet contumelia; reſpondit, ſe ſuoſque qui verbum Dei doceãt; eiuſmodi prædarum participes eſſe debere, ac tunc demum ſilentio ſacrilegium diſſimulaturos.

In bello Liuonico à D. Bredenbach. conſcripto.

Porrò

Porrò alij Lutheranæ factionis præcones, immenſas penè diuitias in Liuonia accumularunt, ædes, prædia, redditus magno numero coëmentes, purpura & pellibus pretioſis ſumptuoſiores ipſis Conſulibus & Senatoribus. Siquidem vnde antea decem aut plures Sacerdotes frugaliter alebantur, ea omnia duo Lutherani Concionatores ad ſe tranſtulerunt: nondũ interea tanta opum affluentia contenti, vt vel hinc diſcas, nihil ipſos præter quæſtum, luxum, diuitiaſque aucupari.

Cæterùm apud vos hæreticos nulla cum pompa, aut ſolẽniori ornatu res peragitur: vt enim non ita pridem Maria Scotiæ regina confeſſa eſt, veſtra cęna profanis vulgarium hominum conuiuijs haud longè eſt diſſimilis. At verò quæ apud Catholicos fiunt, quã decentiſſimè peraguntur; fundata tum Dei verbo, tum antiquiſſima multorũ annorum cõſuetudine confirmata. Quòd aũt ſcriptura nobis adſtipuletur, cõſtat ex ſumptuoſiſſimo illo ac celeberrimo ornatu qui in Moſaico tabernaculo, ac Hieroſolymitano clariſſimi nominis templo, diuino iuſſu adhibitus eſt. Quæ quidẽ ex auro puriſſimo, probatiſſimoq; argẽto, fieri Deus ad maiorẽ nominis ſui gloriam voluit. Et ne fortè obſtrepẽs dicas, Salomonis templũ figuram fuiſſe animæ, ſeu glorię cęleſtis interioriſq; ornatus; reſpondeo hãc Dei iuſſionẽ in tam ſumptuoſa ac ſplendida adornãda fabrica, tam ad figurã quã ad certæ alicuiꝰ rei exemplũ referri poſſe.

ri poſſe. Erat etenim figura non tantum interioris ornatus, hoc eſt vel animæ, vel regni cęleſtis, verum etiã Eccleſiæ Chriſtianæ. De qua longè antè vaticinatus erat Eſaias, prædicens gentes aurum & argentum è remotiſſimis regionibus allaturas, ad ornandum locum diuinæ ſanctificationis, domumq́; maieſtatis eius glorificandũ. Similiter & exemplum fuit: docet. n. ipſa nós naturalis ratio, Deo omnipotẽti oẽm externã conuenire reuerentiã, cultumq́;. Quem nõ admodũ ſincerè exhibent illi, qui triclinia ſua, menſas, lectos cubiculares, propriaq́; corpora cultiori cõtegentes ornatu, domũ Dei, cui omnis decet ſãctitudo, honor, & decor, in qua ſummũ illud ſacrificiũ Dominici corporis ac ſãguinis quotidiè immolatur, adſeruatur, erogaturq́;, nudã inornatamq́; relinquunt. Atque hinc grauiter admodũ per Aggæũ Dñs conqueritur, ꝙ filij Iſrael habitantes in domib. laqueatis, parum aut nihil omninò de domo Dei exornãda eſſent ſolliciti. *Propter hoc,* inquit, *ſuper vos prohibiti ſunt cœli ne darent rorem, & terra prohibita eſt ne det germen ſuũ.* Aggæi 1.
Idẽ & ꝑ Malach. ſacerdotib⁹ ſuccẽſet, ꝙ vilio Cap. 1.
ra quæq; in ſacrificiũ offerentes, menſã Dñi deſpectui haberẽt. Vnde nuſq̃ inuenio quẽquã reprehensũ à Deo, ꝙ nimis accuratũ diuino cultui ornatũ adhibuerit, maximè ſi citra vllius fiat diſpendiũ. Quinimò, & ipſam pauperculã cõmendat viduã, q̃ duo in tẽpli gazophylacium minutiſſima cõiecerat æra.

ITA-

CAPVT XXII.

ITAQVE primis illis ſexcentis annis, vaſorum aureorum argenteorumq́; in Chriſtianorum Eccleſijs magnus ſemper fuit apparatus; adeò vt B. Vrbanus Pōtifex ac Martyr anno Domini 227. abrogato vitreorum calicum vſu, *omnia ſacra miniſteria*, Damaſo teſte, *fecerit argentea; apponendo patenas argenteas viginti quinque*. Sed & in rebus geſtis inuictiſſimi Laurentij Martyris, quas Prudentius ſacro hymno cecinit, nō argento tantùm, ſed aureo offerre Romanos Pontifices, incruentum Deo ſacrificium cōſueſſe narratur: anno ſcilicet Domini 260. De quo tamen aureorum calicum vſu, prolixius D. *a* Auguſtinus, *b* Optatus Mileuitanus, nec non & *c* Gregorius Turonenſis. B. *d* Baſilius auream confecerat columbam, cui ſacram includeret Euchariſtiam: quam alibi pretioſis ciborijs, turrium in modum artificioſè fabrefactis, quod etiamnum Catholicis vſitatum imponi ſolere, ex *e* Turonenſi conſtat Gregorio. Quàm ingentes verò pretioſarum rerum theſauros, non ſolum in calicib⁹, ampullis, dalmaticis, verùm etiã aureis argenteiſq́; ſtatuis, candelabris, imaginib⁹ Chriſti Sanctorumq́; Apoſtolorum tũ Romanæ, tũ Hieroſolymitanæ Eccleſiæ cōtulerit primus Chriſtianorũ Imperatorum Conſtantinus Magnus, pluribus teſtantur & Damaſus & Euſebius Cæſarienſis. Auctor eſt quoque Theodoretus, Iulianum præfectum Orientis Iuliani apoſtatæ auũculum, cùm

In vita S. Vrbani.

a *Epiſt. 41. ad Licentiũ. & epiſt. 165.*
b *Lib. 1. cont. Parmen.*
c *De gloria Mart. c. 38.*
d *Amphiloc. in vita Baſilij.*
e *Lib. 1. de glor. Mart. cap. 86.*

In vita Sylueſtri.
Lib. 3. & 4. de vita Conſtant.

Digitized by Google

cùm in templo Antiocheno magnum aureorum vaſorum apparatum ingenti animi ſtupore eſſet conſpicatus, in has contumelioſas prorupiſſe voces: *En quàm ſumptuoſis vaſis Mariæ filio miniſtratur.* Stupendum verò, ac ſeculis omnibus memorandum Oroſius commemorat exemplum; quod anno † Domini 413. dum Alaricus Gothorum Rex Romanam inuaderet vrbem, eamq́ue diriperet, accidit. *Diſcurrentibus etenim per vrbem barbaris, fortè vnus, Gothorũ anteſignanus, ſacram Deo virginẽ iam ætate prouectam, in quadã eccleſiaſtica domo reperit: à qua cùm aurũ argentumq́ honeſtè expoſceret, illa fideli conſtantia eſſe apud ſe plurimũ, & mox proferendum ſpoſpondit, ac protulit. Dumq́ expoſitis opibus attonitum barbarũ magnitudine & pondere ac pulchritudine ignota etiam vaſorum qualitate intelligeret, virgo Chriſti ad barbarũ ait:* Hæc *Petri Apoſtoli ſacra miniſteria ſunt. Præſume, ſi audes: De facto tu videris. Ego quia defendere non valeo, neq́ tenere audeo. Barbarus verò ad reuerentiam religionis, timore Dei & fide virginis motus, ad Alaricum hæc per nuntium retulit, qui continuo reportari ad Apoſtoli baſilicam vniuerſa, vt erant vaſa, imperanti. Itaq́ magno ſpectaculo omnium diſpoſita per ſingulos ſingula, & ſuper capita elata palam aurea atq́ argẽtea vaſa portantur, exertis vndiq́ ad defenſionem gladijs, pia pompa munitur.* Hactenus

Lib. 3. c. 11.

Lib. 7. hiſt. cap. 39.

† *Baron. anno 410.*

Nota hæretice, & imitare.

Oroſius. Certè non dubium, quin ſi hic ta-
lis ac tantus in noſtrorum manus hæretico-
rum deueniſſet theſaurus cum proprijs ap-
plicandum vſibus, nihil diuinæ vltionis ve-
riti vindictam, diripuiſſent: quæ tamen Leo-
nem I V. apprehendit, inſignem nimirum i-
conoclaſtam ac Conſtantini Copronymi fi-
lium, qui dum ex ſacrarum ac Deo dicatarũ
rerum ſuppellectile carbunculum abſtuliſ-
ſet, eumque ſuo imperiali inſeruiſſet diade-
mati, eiuſdem ſibi nominis tetrum ac horrẽ-
dum prorſus morbum, quò & miſerè occu-
buit, vltrò accerſiuit. Sic quoque nõ euaſêre
lentam diuinæ vltionis vindictam, illi de
quibus Gregorius Turonenſis hiſce verbis
meminit. *Leo*, inquit, *Romanus Imperator
gratitudinis ergo, capſam ad ſancta Euangelia
recludenda, patenamq́; & calicem ex auro puro
precioſisq́; lapidib' fabricari præcepit. Quod mi-
ro perfectum opere per hominẽ creditũ, Lugdu-
nenſi dirigit Eccleſiæ: ſed nuncius ille inter alpes
poſitus ad aurificis cuiuſdã domũ diuertẽs, à quo
cõſilium accipit, vt aurea hæc ornamenta in ar-
genti ſpecies cõmutarentur. Itaq; portitor cum
hac fraude Lugdunum aduênit, regreſſuſque ad
ſocium vt auri particeps redderetur, dum ſimul
in aurificis cellula, cœna exacta, reſideret, illa
vehementiori terræmotu concuſſu, ſuper eos di-
ruit. Diſruptáq; terra ſub pedibus eorũ, ipſos pa-
riter cum auro deglutiuit; deſcenderuntque vi-
uentes ac vociferantes in tartarũ.* Et hæc qui-
dem circa an. Domini 460. Vnde re ipſa iam
vides,

Michael. Glic. 4. part. annal.
Zonaras Tomo 9. Sabell. Ænead. 8 lib. 8.
Lib. de glor. Confeſſ. cap. 63.

Digitized by Google

vides, nullatenus eſſe nouã adinuentionem, in rebus diuinis pretioſis vti ornamẽtis; quæ & priſcæ ætati frequẽtiſſima, & diuinæ maieſtati gratiſſima ſemper fuêre. Quę vt in veteris Teſtamenti ſacrilegos (docet id exẽplũ tam Heliodori quã Antiochi) ſeuerè animaduertit, ſic nec recentioribus iconoclaſtis vllo vnquã tempore (quod innumerabilibus diuerſorũ Eccleſiaſticorũ annaliũ exemplis oſtẽdere haud quaq̃ foret difficilè) pepercit. 2. *Mach.* 3. & 9.

CAPVT XXIII.

SExtus articulus, *de ſeptem Eccleſiæ Sacramentis*. Inter difficiliores hæreticarũ diſſenſionũ altercationes, præcipua ferè de Sacramẽtorũ numero, q apud varios Lutheranæ ſcholę diſcipulos pro cuiuslibet opiniõe vari⁹ eſt, exiſtit. Vt .n. Lutherus ipſe nihil in ſuis ſtabile habuit præſcriptionibus, ita & inter huius aſſeclas, tot ſentẽtię propemodũ quot capita. Vnde in libr. de Babylonica captiuitate, quẽ an. 1520. in lucẽ Lutherus protulit, vnum tantùm ſacramentũ, ſi ſecũdum ſcripturæ vſum, hoc eſt ſecundũ rem loqui velimus, conſtituit, Baptiſmum nimirũ; Paulò pòſt duo introducit, Baptiſmum, & Panẽ, vt vocat: nonnunquam tria, addendo ſupradictis Pœnitentiam. Tandem circa medium libri captiuitatis Babylonicæ cap. de Cõfirmatione adſeuerat, ſe non damnare 7. Eccleſiæ Sacramenta, ſed tantũ negare ea ex ſcripturis probari poſſe: adeo ipſarum Apoſtolicarũ Traditionum vis, etiã ab inuito, ſeptẽ Catholicorũ Sacramẽtorũ extorſit veritatẽ.

Vide Bellar. Tom 2. lib. 2. de effectu Sacrament. cap. 23.

Digitized by Google

Lib.4. Inſtit. c.19.§.31. & c.14.§.20.

Caluinus tria enumerat, Baptiſmum ſcilicet, Cœnã Domini, & Ordinationem. Zwinglius totidem, licet non eadem: nam pro Ordinatione Matrimonium ſubſtituit. Melanchton vt ſuo adhærens Præceptori, primò duo tantùm, non multò pòſt, tria Sacramenta agnouerat; ita anno 1536. etiam quartum, hiſce adiecit verbis: *Mihi maximè placet etiam addi Ordinationem, vt vocant, id eſt vocationem ad miniſterium Euangelij: quia hæc etiam mandato Euangelico præcipitur, & addita eſt promiſsio, &c.* Demum in locis communibus anno 1558. poſtremò editis, etiam ad Matrimonium pro Sacramento agnoſcendum inclinauit animum. Fatetur enim, matrimonium eſſe ſignum rei ſacræ, & habere vt mandatum diuinum, ſic certam annexam promiſſionẽ. At verò biennio pòſt quam infœlici exitu vitæ finem clauſit, horum vacillantium diſcipulorum Magiſter, Lutherus, anno ſcilicet 1548. in quodam Lipſienſi conciliabulo, cui & Melanchthon cũ nonnullis VVittenbergenſibus interfuit Theologis, determinatum fuit, ſeptem eſſe recipienda Sacramenta: quod cùm Illyrico, ac cæteris huius farinæ hominibus innotuiſſet, pro effœminatis ac mollibus Lutheranis, immò & hæreticis eos habuêre. Adeò ignoratio veri atque à fide Catholica deuiatio incertam facit, labantemque ſententiam. De qua quidem diſſenſione veſtra bellè quidam olim, at dolenter tamen iocatus: cùm

In locis communib. cap. de numero Sacrament.

Sleidanus lib.20. hiſto.

Illyric. præf. 7. Centur. Magdeburg.

Staphylus, Defenſione

cùm rogatus eſſet, cur non haberentur ſeptem Sacramenta in Lutheranicis Eccleſijs, immò haberi ſeptem reſpondit, & duo inſuper. VVittenbergæ enim eſſe quatuor, Lipſiæ tria, duo Magdeburgi: quæ in vnum collecta numerum, nouem efficiant. Sed tu quid ad tam variarum opinionum monſtra, amice mi? quæ nam harum tibi arridet potiſſimum? Forſitan ſeptẽ Papiſtarum Sacramenta tuo non adlubeſcunt animo: atque vtinam pro accuratiori tuà inſtructione, cuius ſis ſententiæ, diuinando queam aſſequi. Nunc autem quia in quo hæreticorũ albo reperiri debeas, ignoro, incertis coniecturis id aſſequi perquam foret difficile. Fare igitur quibuſnam maximè aſſentiare; illiſnè qui vnius, an qui duorũ, triumve, vel quatuor nedum ſeptem Sacramentorum ſunt fabricatores. Quanquam ſi rem ipſam penitius introſpicere velimus, in toto Lutherano grege neminem inueniri, qui vel vnum in veritate Sacramentum eâ qua decet ſinceritate agnoſcat. Quippè qui externis derogantes ſignis, eorundemque vim eneruantes, totum in ſuſcipientis fide ſitum eſſe vultis; qua abundè contenti, nihil deſideratis amplius. Verùm ad te quod attinet, videre mihi è Caluiniſtarum prodire ouili, qui duo tantum Sacramenta ſtatuunt; Baptiſmũ nimirum, & Cœnam Dñi. Ad quorum numerũ quinq; adijciam alia, eaq; vera eſſe, ac legitima Nouæ legis Sacramẽta, tam

aduerſ. Melanch. & alios Babylonica turris ædificatores.

diuinarum litterarum, quàm Orthodoxorũ Patrum, qui primis quingentis & ſexcentis floruêre annis, teſtimonijs euincam.

CAPVT XXIV.

Luc 24.
Actor.1.

IN primis itaque *Confirmatio* per quã Chriſtiani in fidei conſtantia corroborantur, vnum eſſe ex his, inde probari poterit; quod ritum externum, manuũ ſcilicet impoſitionem, de quo Actor.8.& 19. nec non & diuinæ gratiæ effectum. nam per manus Apoſtolorum dabatur Spiritus ſanctus. Itaque per ſacri chriſmatis viſibile vnguentum, quo Eccleſia baptizatorum conſignat frontes, inuiſibilis gratiæ donum, quo Spiritus ſanctus Chriſtum in primis, qui & à chriſmate nomen ſuum trahit, ac deinde Chriſtianos omnes interna vnctione imbuit, confertur. Vt nimirum hi qui fidei myſterijs iam initiati ſunt, quaſi modò geniti infantes, in Chriſto adoleſcant, ac roburque virile, quo aduerſus mundum, carnem ac dæmonem grauiter decertent, conſequantur. Sic Paulus & Ioannes Samaritanis à Philippo Diacono ſalutaris vndæ lauacro legitimè expiatis, vt Spiritum ſanctum, qui per hoc Confirmationis Sacramentum potiſſimum confertur, acciperent, ſuas impoſuêre manus. Sic idẽ vas electionis varijs peragratis regionibus, Epheſum veniens, duodecim illis qui Ioannis baptiſmate tincti erant, ſimiliter manus impoſuit, vt Spiritus ſancti participes redderentur; cuius ſuperuentu & *linguis loquebantur*,

Vrbanus epiſt. ad omnes fideles.
Clemens epiſt.4.

Act.8. v.14.

Act.19. v.6.

tur, vt Lucas, ait, *& prophetabant*. Atq; ideo ſummo iure ab imponendarum manuum ritu, manus impoſitio, Sacramentũ hoc ab antiquiſſimis Patribus, *a* Melchiade, *b* Tertulliano, *c* Cypriano, *d* Damaſo, nec nõ & *e* Leone, nuncupatur. Non autem nudas tantùm imponere manus ſoliti Apoſtoli, quin & ſacrum ſimul adderent chriſma; de quo etſi nihil meminẽre Euangeliſtæ (rerum etenim arcanarum ſecretiora myſteria, ſcriptis prodenda non erant) *f* Dionyſius tamen Areopagyta, vti & *g* Clemens, ac *h* Fabianus Pontifex, manifeſtè id ſuis teſtimonijs confirmarunt. Hinc rectè admodum doctiſſimus atque Apoſtolicorum temporum vir Tertullianus: *i Caro*, inquit, *vngitur, vt anima conſecretur: caro ſignatur, vt & anima muniatur: caro manus impoſitione adumbratur, vt & anima Spiritu illuminetur*. Et alibi. *k Tinguit & ipſe quoſdam, vtiqúe credentes & fideles ſuos: ſignat illic & frontibus milites ſuos*. Nec non & Cyprianus. *Vndi* l *quoque neceſſe eſt, ait, eum qui baptizatus ſit, vt accepto Chriſmate, id eſt, vnctione, eſſe vnctus Dei, & habere in ſe gratiam Chriſti poſſit.* m *Tunc enim demum plenè ſanctificari, & eſſe filij Dei poſſumus, ſi Sacramento vtroq; naſcamur*. Nota, *Vtroque Sacramento*, id eſt Baptiſmo & Cõfirmatione. Tum & Pacian⁹. *n Lauacro peccata purgãtur, Chriſmate*

a *Epiſt. ad Epiſc. Hiſpan.*
b *Lib. de Baptiſ. cap 8 & lib. de Reſur.*
c *Epiſt. 72.*
d *Epiſt. 4. de chorepiſc.*
e *Epiſt. 88.*
f *Eccleſ. Hierarch. cap. 2. & 4.*
g *Lib. 7. de Conſtit. Apoſt cap 44. & c. 17. lib. 3.*
h *Epiſt. 22.*
i *Cap. 8 de Reſurrect. carn.*
k *Cap. 40. de Præſcript.*
l *Epiſt. 76.*
m *Epiſt. 72.*
n *Serm. de Baptiſ.*

Digitized by Google

Spiritus ſanctus ſuperfunditur. Vtraque verò iſta manu & ore Antiſtitis impetramus. Hinc pulchrè Laurẽtius o Nouarienſis Epiſcopus, Magdalenæ lachrymas, quibus Domini abluit pedes, vnguentum quibus eoſdem illiniuit, nec non & capillos quibus terſit, refert ad Chriſtianorum baptiſmum, candidæ veſtis amictum, ipſamque adeo Confirmationẽ. Vnde & Cyrill. Hieroſoly. *Sanctum hoc vnguentũ, non eſt amplius vnguentum nudũ & cõmune, poſtquã iam conſecratum eſt, ſed eſt chriſma Chriſti, quod aduẽtu Spiritus S. per ipſius diuinitatem energiam habet. Ac primũ quidem fronti illinitur, vt eum à nobis abſtergat pudorem, quẽ primus homo tranſgreſſor perpetuò circũferebat,* &c. Auguſtin. verò; *In hoc vnguento,* inquit (loquitur aũt de vnguento, quod deſcendit in barbã Aaron Pſal. 132.) SACRAMENTVM *chriſmatis vult interpretari, quod quidẽ in genere viſibiliũ ſignorum* SACROSANCTVM *eſt, ſicut ipſe Baptiſmus.* Et Melchiades Papa & Martyr ab Epiſcopis Hiſpaniæ interrogatus, vtrum maius Sacramentũ eſſet Baptiſmus, an Confirmatio, hiſce reſpondit verbis: *Scitote vtrumq; magnũ eſſe* SACRAMENTVM. Et addit Confirmationẽ in eo prẽſtare Baptiſmo, q̃ ſolùm à ſummis Sacerdotib⁹ id eſt, Epiſcopis cõfertur. Idem facit & Euſebius Martyr iuxta ac Pontifex, dum inquit: *Manus*

o *Homil. de pœnit.*

Catech. 3. Myſtago.

Tom. 7. libr. 2. cont. epiſt. Petr. c. 104.

Epiſt. ad Epiſc. Hiſpan.

Digitized by Google

Manus impoſitionis SACRAMENTVM magna veneratione tenendum eſt, quod ab alijs perfici nõ poteſt, niſi à ſummis Sacerdotibus: nec tẽpore Apoſtolorũ, ab alijs, quàm ab ipſis Apoſtolis legitur aut ſcitur eſſe peractum. Clemens Papa, vti & Ambroſius, in hoc Sacramento ſeptem ſancti ſpiritus conferri dona verbis quàm diſertiſſimis fatentur. Idẽ & alij priſcæ ætatis Patres dũ de hoc eodẽ loquũtur Sacramẽto, lubẽter agnoſcunt; nempè S. *a* Cornelius Papa, *b* Hieronym⁹, *c* Damaſus, *d* Leo, *e* Tertullianus, *f* Auguſtinus & alij quã plurimi. Quin immò, Cornelius ſummus Pontifex Fabiano Antiocheno Epiſcopo de Nouato hæretico ſcribens, inquit fieri non potuiſſe, vt Nouatus Spiritum-ſanctum conſequeretur, cum nunquam ab Epiſcopo ſacri chriſmatis ſignaculo fuerit cõſummatus. Hinc S. Aponius, *Hoc Catholicæ Eccleſiæ ſacri chriſmatis vnguentum tantum in ſe gerere virtutis* (ait) *tantum flagrantiæ ſimul & medicinæ, vt omnes credentes ſanctiſſimos reddat, Reges & Sacerdotes conſtituat, & eius odor notitiæ à ſolis ortu vſque ad Occaſum omnem mundum impleuerit.* Iuſtus quoque Vrgellenſis in Hiſpania Epiſcopus, inquit nos crucis ſignaculum cum ſacri chriſmatis pretioſo vnguento in frontibus geſtare. Cui ſubſcribens Saluianus Maſſilienſis, per Baptiſmum & Confirmationem veros nos effici Chriſtianos adſerit. Vides ergo primis quingentis annis Confir-

Epiſt. 3. ad Epiſc. Tuſciæ & Campan.
Act. 8. & 19.
Epiſt. 4.
Libr. 3. de Sacr. cap. 2.

a *Euſeb. Cæſar li. 6. c. 35.*
b *Contra Luciferian.*
c *Epiſt. 4. de Chorepiſ.*
d *Epiſt. 88.*
e *Libr. de Baptiſmo.*
f *Lib. 15. de Trinit. c. 26.*
Euſeb. lib. 6. hiſt r. ca. 35.
Lib. 1. in Cant.

In cap. 1. Cant.

Libr 3. de Prouident. Dei.

Digitized by Google

mationem, quæ per ſolum Epiſcopum ſacri chriſmatis ac ſalutiferæ crucis cõſignatione confertur, nõ minus quam Baptiſmum magno in honore adeoq; veri loco ſacramẽti habitã, ac pro tali ab omnib. Chriſti fidelibus de cætero habẽdam. Vos quidẽ irriſores hæretici ac conuitiatores ſannis hoc nomine Catholicos impetitis, vocãdo eos vnguentatos milites, atque hinc etiam calceos veſtros (prôh nefas) ſacro chriſmate, ſacrilegorum more Donatiſtarũ, inungitis: nõ cõſiderãtes ꝙ & ampullæ vitreę, quas illi ſacro refertas oleo è feneſtris in aceruos lapidũ cõiecerãt, illeſæ permãſerint, ne dum quod canes, quibus venerabile Chriſti corpus deuorandum obiecerãt, in furiã acti, proprios, diuina eos proſequente vltione, diſcerpſerint ac laniauerint dominos. Et horum quidem oculatus teſtis eſt Optatus Mileuitanus Africæ Epiſcopus. Prudentius verò nefarios myſteriorũ ritus, quibus Iulianus apoſtata ſuos placare Deos, ijſq; ſuperſtitioſè ſacrificare conabatur, verſib⁹ elegãter deſcribẽs, inquit nõ potuiſſe eũ ad vnius baptizati ac chriſmatis ſacramẽto delibuti hominis, præſentiam, qui hiſce fortè intererat, rẽ ꝓſequi, multo verò minus ad optatũ perducere finẽ. Vnde myſtagog⁹ qui hiſce nefarijs pręerat ſacrificijs, elatiori exclamãs voce, *Lotus*, inquit, *procul abſit & vnctus*. Simile quid etiam Lactantius ſuo accidiſſe tẽpore cõmemorat. Itaq; hinc luce clarius cõſtat, quàm exoſum habeat dæmon

Libr. 2. cõtra Donatiſtas.

In Apotheoſi cõtra Iudæos.

Lib. 4. c. 27.

Digitized by Google

mon ſacrũ chriſma, quo frõtes Chriſtianorũ Cõfirmatiõis tẽpore ſolẽni ritu cõſignãtur.

SACRAMENTVM POENITENTIAE, verum eſſe nouę legis Sacramentũ à Chriſto inſtitutum, cõſtat ex verbis, quibus dicitur, *Accipite Spiritum ſanctum; quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* In his enim vides Chriſtũ Apoſtolos eorumdemq; ſucceſſores, Chriſtianorũ cõſtituere iudices; quib. plenaria dimittẽdorum peccatorum cõpetat facultas. Vnde cùm legitimè dolẽt; ac confitẽti abſolutionis cõferunt beneficiũ, nullatenus dubium, quin verè peccata demittant. Sunt enim hîc duo quæ in quolibet Sacramẽto requirũtur; nimirũ ritus extern⁹, ſiue ſimbolũ diuinitus inſtitutũ, & promiſſio gratiæ iuſtificantis, illi ritui ſiue ſymbolo annexa. Vnde negari nõ poteſt, quin pro legitimo Sacramento haberi debeat. Et licet Nouatiani noſtrorũ hæreticorũ ꝓdromi id inficias iuerint, nemo tamẽ Catholicorũ adhuc reptus eſt, qui nõ Pœnitẽtiã ꝓ Sacramento ſemper habuerit. Vnde rectè Chryſoſt *Pater*, inquit, *filio omnifariã dedit poteſtatem: Cæterùm video ipſam eandem omnifariã à Deo filio Sacerdotibus traditam. Quibus nõ corporis leprã, ſed animarum ſordes, nõ dico purgatas ꝓbare, ſed purgare prorſus conceſſum eſt.* Et Ambroſius: *Impoſſibile videbatur per pœnitentiam peccata dimitti: conceſſit hoc Chriſtus Apoſtolis ſuis, quod ab Apoſtolis ad Sacerdotum officia tranſmiſſum eſt.* Et alibi, *Cur*, inquit, *baptizatis, ſi ꝑ hominẽ pecca-*

CAP. XXV.

Ioan. 20.

Lib. 3. de Sacerdot.

Lib. 2. de pœnitent. ca. 2.

Digitized by Google

Lib. 1. de Pœnit. cap. 7. Idem ius Sacerdotibus in Sacramẽto Baptiſmi & Pœnitentia.

peccata remitti non licet? In Baptiſmo enim vtiq; remiſſio omnium peccatorum eſt: neque intereſt vtrum per Pœnitentiam, an per lauacrũ hoc ius ſibi datum, Sacerdotes ſibi vendicent: idem in vtroq; myſterio eſt. Et quia Nouatiani aiebant, poſſe hominem baptizare, quia in Baptiſmo Deus eſt, qui potiſſimum operatur: addit Ambroſius: *Quid in Pœnitentia, nonne nomen Dei operatur?* B. Auguſtinus multis in locis, quorum hîc nonnulli in margine adſignati ſunt, apertè teſtatur, non ſolum per Baptiſmum Sacerdotes peccata dimittere, verum etiã per Pœnitentiam; vtpote quæ non minus pro Sacramento habetur, quàm vel Baptiſmus, vel ſacri altaris oblatio. Et Cyrillus Alexandrinus: *Certè abſurdum non eſt*, inquit, *peccata remitti poſſe ab illis qui Spiritum ſanctum in ſe ipſis habent. Nam cùm ipſi remittunt aut detinent, Spiritus qui habitat in eis, per eos remittit & detinet. Erit autem id duobus modis, primũ Baptiſmo, deinde Pœnitentia*. Addamus & Pacianum Epiſcopũ, ſcribentẽ ad Sympronianum Nouatianæ hæreſeos ſectatorem in hæc verba: *Nunquam Deus nõ pœnitenti comminaretur, niſi ignoſceret pœnitenti. Solus hoc, inquis, Deus poterit. Verum eſt: ſed & quod per Sacerdotes ſuos facit, ipſius poteſtas eſt. Nam quid eſt illud quod Apoſtolis dicit: Quæ ligaueritis in terris, ligata erunt & in*

Lib. 3. de adult. coniug. c. 28. & lib. 2. cap. 6. Lib. 5. de Bapt. ca. 20. & in pſalm. 146. Lib. de natur. hom. cap. 48. Lib. 12. in Ioan. cap. 56.

Epiſt. 1. Quod Deus per Sacerdotes ſuos facit in remiſſione peccatorum ipſius poteſtas eſt.

cælis:

Digitized by Google

cœlis: & quæcunque ſolueritis in terris, ſoluta erunt & in cœlis. Cur hoc, ſi ligare hominibus ac ſoluere non licebit? an tantum hoc ſolis Apoſtolis licet? Ergò & baptizare ſolis licet, & Spiritum ſanctum dare ſolis, & ſolis gentium peccata purgare: quia totum hoc non alijs, quàm Apoſtolis imperatum eſt. Si ergò & lauari, & chriſmatis poteſtas, maiorum longè chariſmatum, ad Epiſcopos inde deſcendit: & ligandi quoq; vis adfuit, atq; ſoluendi. Hæc ille; Demùm Victor Cartennenſis qui circa annum Domini C D. L. teſte Trithemio & Gennadio floruit, apertè Pœnitentiam Sacramentum nominat, dum ait: *Denique Dominum audi in Euangelio, quibus iaculis feriat peccatorem, vt intelligas quanti faciat Pœnitentiæ* SACRAMENTVM. Quod & Lutheranorum pleriq́ue fatētur, qui ſuis in Catechiſmis Pœnitentiam pro Sacramento agnoſcunt: quæ vltima quoque ipſius Lutheri fuit ſententia.

Matt. 16.

Non ſolis Apoſtolis conceſſa eſt ea poteſtas, ſed & ſucceſſoribus.

Lib. de Pœnit. cap. 20.

CAPVT XXVI.

ORDINEM inſuper Sacramentum eſſe, habens viſibile ſignum inuiſibilis gratiæ, ex ipſis D. Pauli ad Timotheũ Epheſiorum Epiſcopum verbis patet, dicentis; *Admoneo te vt reſuſcites gratiã DEI, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearũ.* Itemq́ue. *Noli negligere gratiam quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per prophetiam cum impo-*

2. Tim. 1. vbi Theophylac.

Digitized by Google

1.Tim. 4. & ibidem. Theophyl. & Haymo. ſitione manuũ Presbyterij. Quẽ locũ B. exponẽs Ambroſius, ait: *Manus impoſitiones, verba ſunt myſtica, quibus cõfirmatur ad hoc opus electus, accipiẽs auctoritatẽ, vt audeat vice Domini ſacrificium Deo offerre.* Et alibi: *Homo,* inquit, *imponit manũ, Deus largitur gratiam: Sacerdos imponit ſupplicẽ dexterã, Deus benedicit potentia dextera.* Auguſtinus de Baptiſmo atq; Ordine ſacro aduerſus Donatiſtas differẽs, *Vtrumq;*, ait, SACRAMENTVM *eſt, & quadã conſecratione vtrumq; homini datur. Illud cùm baptizatur, iſtud cùm ordinatur: Ideoq; in Eccleſia Catholica vtrumque non licet iterari, ne Sacramẽto iniuria fiat.* Itemq;, *Sacramentũ baptiſmi eſt, quod habet qui baptizatur: &* SACRAMENTVM *dãdi baptiſmi eſt, quod habet qui ordinatur. Sicut aũt baptizatus, ſi ab vnitate receſſerit, Sacramentũ baptiſmi nõ amittit; ſic etiã ordinatus, ſi ab vnitate receſſerit,* SACRAMENTVM *dãdi baptiſmi nõ omittit.* Qui & alibi exponẽs hæc Euãgeliſtæ verba: *Accipite Spiritũ ſanctũ, quorũ remiſeritis peccata, remittuntur eis, &c.* ita ait. *Quòd inſufflaſſe in diſcipulos Dominus legitur, poſt dies paucos reſurrectiõis ſuæ, & dixiſſe, Accipite Spiritũ ſanctũ, Eccleſiaſtica poteſtas collata intelligitur eſſe. Quia n. omnia in traditione Dominica p Spiritũ ſanctũ agũtur, idcirco cùm regula eis, & forma traditur huius diſciplinæ, dici-*

Dedignit. Sacerdot. l. 5.

Libr. 2. cõtra Parmẽ. c. 13.

Libr. 1. de Bapt. contra Donatiſt. cap. 1.

Ioan. 20. Lib. quæſtiõ. veter. ac noui Teſtamẽt. quæſt. 93.

dicitur eis: Accipite Spiritũ ſanctũ. Et quia verò ad ius Eccleſiaſticũ pertinet,ſtatim ſubiecit, dicẽs: Cuius tenueritis peccata,tenebũtur: & cui⁹ remiſeritis,remittuntur eis. Inſpiratio ergò hac gratia quadã eſt, qua ꝑ traditionem infunditur ordinatis, ꝑ quã cõmẽdatiores habeãtur. Alibi quoque de Sacerdotio loquens. Ordinationis SACRAMENTVM illud nominat. Similiter Gregorius Nyſſenus de tranſubſtanciatione panis & vini in corpus ac ſanguinem Chriſti ſermonẽ inſtituit,ita tandẽ ait: *Eadem etiam verbi vis Sacerdotẽ auguſtum & venerandum facit nouitate benedictionis à cõmunitate vulgi ſegregatum. Cùm enim heri ac tempore ſuperiori vnus è multitudine ac plebe eſſ:t,repentè redditur præceptor,præſes, doctor pietatis, myſteriorum latentium Præſul; eaquè contingunt ei, cùm nihil vel corpore, vel forma mutatus: ſed quod ad ſpeciem externam attinet, ille ſit, qui erat, inuiſibili quadam vi & gratia inuiſibilem animam in melius transformatam gerens.* Beatus verò Leo,re ac nomine Magnus,ſacramentũ hoc nõ niſi ieiunis à ieiuno adminiſtrari voluit;cui⁹ facti ſui rationẽ hiſce reddit verbis: *Nã præter auctoritatẽ,* inquit, *cõſuetudinis, q̃ ex Apoſtolica nouimus venire doctrina,etiam ſacra Scriptura manifeſtat,quod cũ Apoſtoli Paulum & Barnabam ex præcepto Spiritus S. ad Euãgeliũ gẽtib⁹ mitterẽt*

Libr. de bono coniug. c. 24.

Orat. de Sãcto Baptiſ.

Epiſt. 81. ad Dioſcor. c. 1.

Actor. 13.

prædicandum, ieiunantes & orantes impoſuerunt eis manus, *vt intelligamus quanta & dantium & accipientium deuotione curandum ſit, ne tantæ benedictionis SACRAMENTVM negligenter videatur impletum*. Ipſe quoque aurei oris Conſtātinopolitanus Epiſcopus, multa hac de re poſteritati notatu digna, in ſuis prę̄ſtantiſſimis de Sacerdotio libris, maxime verò tertio & ſexto, reliquit. Sed hæc abundè ſatis eſſe queunt tam ad comprobandum Ordinem, verum nouæ legis (quod & Caluinus, ipſeque Melanchton veritate victi fatentur) eſſe SACRAMENTVM, quā vt ſemel ſuſceptum denuo non iteretur, ſed potius in ſumma veneratione habeatur.

CAPVT XXVII.

PATET hinc magnus Lutheranorum prędicantium abuſus, qui licet ſint laici, pro ſuo tamen arbitratu modò hanc modò illam ſibi ſacri Ordinis vendicant functionem. Vnde etſi initiati non ſint, in ſuis nihilominus Synagogis verbum Dei ex editiori loco plenis faucibus ebuccinant. Quorum plerique ſunt vel mercatores, ſutores, ſartores, pellioneſuè; vel, quod deterius, ganeones, lenones, rerumque ſuarum decoctores, nullos prorſus habentes ordines: ijs duntaxat exceptis, qui olim in Eccleſia Catholica cōſtituti, Presbyteratus ibidem gradum ſuſcepêre, vel in monaſtica religione publicæ profeſſionis votum edidêre: quia hi quātumcunque ſe etiam à ſuo inſtituto alienauerint, atque ad hæreticorum caſtra, vt turpiſſimi ac vo-

ac votifragi trâsfugæ, conuolauerint, initiati tamen ac ſacris obligati manent, manebuntque; non modò apud homines, qui eos pro talibus perpetuò habent, verum etiam apud Deum in ſupremo illo æquiſſimo tribunali, vti vel ex hac ſola veraci hiſtoria, quę circa annum Domini 1581. in quadã Franciæ regione apud Santones contigit, probè licet aſſequi.

Lambertus quidam, Franciſcanæ familiæ ex profeſſo Monachus, cum côcionabundus nonnullas Galliarum obijſſet regiones, iamque munere functus ſuo, pedes, ac nullo comitante, priſtinæ habitationis domicilium repeteret, ſole ad occaſum vergente, ruri pauperculum ac tenue obuium habuit hoſpitium. Quod ingreſſus, audit ab hoſpite vacuum ad manum eſſe cubiculum, lectumque; nec non & caponem, qui eſui ſatis ſit. Pacti itaque de pretio, aſſatur capo; Monacho interim in conclaui precum ſuarum pẽſo perſoluente. Quæ dum fiunt, ecce caſu tibi adeſt Condæi Principis concionator excucullatus olim eiuſdem inſtituti Monachus, fratri huic Lamberto, qui tacitus à capite ad calcem hominem ſpeculabatur, probè cognitus. Verum hoſpite difficilem ſe præbente in hoc poſteriori admittẽdo, quod præter butyrum & caſeum nihil ſupereſſet amplius (capo namque iam exenteratus in prioris, qui eum comparauerat vſum eſumque aptabatur) loci cauſatus eſt angu-

ſtiam, ſimulque cibi parcimoniam. Quod cùm parum Prædicantis huius accideret ſtomacho, ille irá percitus, *An ergo putidus hic*, inquit, *triobularis, ac pedicularis Monachus totum hunc ſolus deuoraturus eſt caponem, neque quidquam quod ad meum faciat palatum, præſto eſt?* Hoſpite eundem repetente ſermonem, quod præter frugalem caſei ac butyri annonam nihil ſuppeteret amplius, & quod Monacho emptus iam capo eripi non poſſet, eò induxit hominem, vt quia nocturnæ ingruebant tenebræ, & foris ſub dio agere non ſatis tutum arbitrabatur, animum tandem ad patientiam (durum etenim telum neceſſitas) inclinaret. Vnde ſtabulum cum equo ingreſſus, mox hoſpiti qui vna cum vxore in inferiori morabatur cubiculo, ſeſe adiungit; Monachi interim aſpernatus contubernium. Qui cùm lautè ſuo iſto opimiori eſſet refectus edulio, eius reliquias hoſpiti Prædicantis, ſi vellet, in vſum erogandas, (quod & fecit) tranſmiſit. Atque hinc placidè ſuum ingrediens lectum, largiori indulſit ſomno, priuſquam aduentaret alter. Hic etenim aliquanto poſt, cum equo pabulum præbuiſſet, reliquiarumque quæ fratri Lamberto ſupererant quiſquilijs, famelicum vtcunque ventrem placaſſet, etiam de lecto, ac quietionis loco hoſpitem percunctari cœpit. Sed is

verbis

verbis tantùm eum conſolatus, cùm re commodè non poſſet (neque enim peculiarem homini lectum, quo carebat, adſignare quibat) ipſe Monachi conſcendens cubiculum, repperit illum in vtramque aurem ſuauiter cubantem, mediumque lecti quem ſuo longè lateque cucullo operuerat, occupantem. Ad quod indignatus, cùm ſe irarum plenus non contineret amplius: *Quid*, inquit, *hîc diabolicus agit Monachus? nullatenus poſſibile mihi, vt eius me lateri ſociem, ac cum eo ſomnum vnà capiam. Quin potius vt par eſt, hominem confodiam, necique dedam, nî dæmon eum ac-tutum auferat*. Ad quod hoſpes; *Vides*, ait, *quid rei ſit: de lecto tibi alio proſpicere haud quaquam poſſum; ſi voles, ſocium te huic facito, ac cum eo ſomno pariter indulgeto*. Ille autem rigidum petiturus ſcamnum, atque in eo contumeliæ causâ, quieturus videbatur; hoſpite interim ad vxorem ſeſe recipiente. Verum enimuerò Lambertus non ignarus quid rerum ageretur, profundam ſimulans quietem, ſubinde ſe vertit, ſocio quaſi locum de induſtria præparans. Qui ſcamni duritie atque hyemis aſperitate territus, Monacho ſe tandem decreuit iungere. Quod tamen nō niſi quiritando minitandoque fecit, adeò vt dum veſtes ſtomachando exueret, etiam necem quieſcenti identidem

Digitized by Google

intentaret. Qui vt huius euaderet minas (neque enim horum quæ fiebant quidquam ignorabat) dum alto adhuc ſopore premeretur, ſummo mane è lecto ſe tacitus proripuit, probè iam Prædicantis amictus excultuſque veſtibus. Cuius & ſclopetum cum bulga ſeu hippopera, ducentos continente ducatos, capeſſit; hòcque militari habitu in hoſpitis, fucum ignorantis, conſpectum prodiens; *Age*, inquit, *meum mihi equum ſternite, & quantum debeo, edicite: neque enim cum olido ac pediculoſo iſto Monacho commorari diutius queo*. Ad quod hoſpes, parum eſt, ait, quod conſumpſeris. Monachus enim capone ſplendidè eſt epulatus, & tu reliquis tantùm, modicoque butyro refectus, equus verò auenæ quadrante. Quo ad amuſſim perſoluto, iter ingreditur Lambertus, Prædicantis inſidens equo, eiuſque potitus & ſclopeto & hipporâ, ſicqui his ditatus exuuijs, ſuum lætus gaudenſque Conuentum repetijt. Verum aduentante iam aurorâ, dum è ſomno Prædicans euigilaret, volens etiam ipſe itineri ſe accingere, nuſquam ſuas comperit veſtes, nuſquam Monachum. Vnde hoſpitam inclamans, veſtes ſibi ſuas tradi poſtulat. Et illa; *en*, inquit *præſtò tibi ſunt*, digito Monachi commonſtrans habitum. Quem limis atque inuiſis oculis reſpiciens, deſpicienſque; *hæc ſcelerati ac pediculoſi iſtius Monachi*, ait, *non mea veſtis eſt*. Cui hoſpita: *tu*, inquit,

inquit, *omninò is ipſus es. Nam nobilis ille qui heſterno veſpere ſerius ad nos diuertit, iam dudum ſuo cum equo faceſsiuit foras.* Quo audito, mirum dictu, quos mores, quos geſtus, homo alioquin parum ad modeſtiam compoſitus, induerit. Quibus tamen apud hoſpitam, Monachum idemtidem eum vocitantem, nihilo profecit amplius. At ille inſtare vehementius, atque vt vel thorace tantùm potiatur, adeoque & femoralibus, quibus nudas contegat nates, vrgere. Ad quem hoſpita; *Vides bone vir, nihil hîc veſtimentorum ad manum eſſe, præter cucullam tuam monaſticam: qua indutus, iter capeſſe, perſoluto prius caponis, quē commediſti, pretio.* Sed âh bone DEVS, quanta hîc colluctatio, quanta tergiuerſatio, quanta difficultas in hoc aſſumendo habitu eſt exorta. Quem tamen, nec omninò prodiret nudus, vel inuitus debuit induere; nec non & Caponem perſoluere, antequam hoſpitæ ſeſe importunitati eximeret. Vnde mœſtus iter iſtinc moliens, eodem illo die ad quoddam diuertit nemus, in quo Condæus Princeps ſuis cum venatoribus ſylueſtres agitabat feras. Qui à longè aduentantem conſpicatus Monachum, venaticos in eum concitauit canes. Ad quorum ferociorem exclamitās incurſum: *Non ſum,* inquit *Monachus, ſed aulicus Celſitudinis tuæ Concionator.* Quo dicto, ſuæ vlterius infœlicitatis, totiuſque tranſactæ tragediæ

ſucceſſum Principi enarrauit. Qui inauſpicatas hominis miſerias ſuis accumulans dicterijs, etiam hiſce inſuper aculeatis eum irriſit verbis: *Monachus es, ac monachus morieris. Alter ille, cuius tu iam geſtas habitum, facinus non minus homine cordato, quàm tuis condignum moribus, deſignauit: quo pro, ſi præſens eſſet, centum coronatis eum donarem*. Interim verò Frater Lambertus non inficians factum, Concionatori huic aliquanto poſt epiſtolam in hæc verba ſcripſit. Quod in primis equum tuum, ſclopetum, veſtes, ac hippoperam mihi vendicauerim, non eſt cur negem. Ad hoc namque necis, quam minaci mihi vultu voceq́ue non ſemel intentaſti, metus me compulit. At ſcito tamen, omnia hæc penes me fideliter adinſtar depoſitorum cuſtodiri. Et quia non te latet, quod vnà cum cæteris tuis aſſeclis Hugonothis duo nobis quà ferro, quà flammâ, depopulatus es monaſteria, cùm plenam vtriuſque reſtitutionem feceris, ego quoque de rebus tuis accuratam tibi rationem reddam, probeq́ue omnia reſtituam.

Aliud reſponſum miſer hic monachus non obtinuit. Voluit enim Deus tum per religioſum hunc habitum, tum per Condæi Principis exprobrationem ac contumelioſam ſubſannationem, priſtinæ eum

voca-

Digitized by Google

vocationis ſalutariſque emendationis commonefacere. Et hæc quidem omnium iſtic ore ſunt decantata, adeò vt nec pueri in triuijs lepidam hanc hiſtoriam ignorent: eſtque mihi à quodam magnæ venerationis viro, qui memoratum F. Lambertum probè nouerat enarrata. Eheu quàm ingens excucullatorum monachorum monialiumuè, nec non & reproborum Sacerdotum, qui melioris propoſiti relicta ſemita, Lutheranorum ac Caluiniſtarum Miniſtros Concionatoreſque nunc agunt, numerus in vltimo illo iudicij die reperietur? quam quæſo hi mercedem à Deo relaturi ſunt, qui coram vniuerſo mundo monaſticæ perfectionis votis, Chriſtianæ plebis inſtructioni ſeſe publicè deuouentes, ex profeſſo iam & voce, ita ſcriptis Catholicam oppugnant fidem? Et quidem hîc vobis hæreticis concionatoribus, interdum pro voto res ſuccedunt, verùm in poſterum quid fiet? Mollis quidem & delicata ne dicam effæminata Lutherana vita eſt; at horrendum profectò ac deteſtandum in hac vltimum mortis obire diem.

CAPVT XXVIII.

EXTREMAE VNCTIONIS SACRAMENTVM etſi ab omnibus fermè deprauati huius ſeculi hæreticis ſubſannetur exſibileturque, à Chriſto tamen

Digitized by Google

men non minus quàm cætera Eccleſiæ Sacramenta eſt inſtitutum, atque Apoſtolicis verbis proclamatum. Sic enim de hoc D. Iacobus: *Infirmatur quis in vobis? inducat Preſbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus: & ſi in peccatis ſit, remittentur ei*. Habes itaque hic extremum viſibile ſignum, vnctionis nimirum oleum, Pontificali benedictione conſecratum, quod cum oratione Sacerdotali ægrotantis artubus applicatur. Habes & interioris gratiæ promiſſionem euidentiſſimam. *Primò* quidem, infirmum per hanc ſacram vnctionem ſaluatum fore iri, atque ab impugnantis dæmonis inſeſtatione immunem: *deinde*, à Domino ægritudinis ſuæ præſentiſſimum aliquod leuamen percepturum. *Poſtremò*, ſi in peccatis ſit, tollenda ea ac remittenda. De hac eadem vnctione locutum quoque fuiſſe nonnulli exiſtimant B. Marcum Euangeliſtam, cùm Apoſtolorum res geſtas proſequens, inter cætera ſic ait: *Et exeuntes prædicabant vt pœnitentiam agerent: & dæmonia multa eyciebant, & vngebant oleo multos ægros, & ſanabant*. Et quidem, quantum ad locum Beati Iacobi attinet, eum Patres omnes tam Græci quam Latini, qui intra primos ſexcentos aut ſeptingentos floruère annos, de Confirmationis Sacramento pari conſenſu expoſue-

Iacob. 5.

Marc. 6. verſ. 12.

expoſuerunt. Vnde Innocentius I. qui vixit Anno 406. per Celeſtinum Diaconum à Decentio Eugubino Epiſcopo conſultus, an etiam fas eſſet ipſos Epiſcopos extremæ Vnctionis conferre Sacramentum, maximè cùm S. Iacobus Presbyterorum tantummodò meminerit; tum an Sacerdotes quoque ægritudinis tempore ſacro debeant perungi oleo, nec non & illi qui in publica conſtituti pœnitentia, nondum ſuorum obtinuêre remiſſionem peccatorum: De his inquam tribus quæſtionibus conſultus, adfirmatiuè ad priores duas reſpondit: negatiuè ad vltimam: *Nam pœnitentibus*, inquit, *iſtud infundi non poteſt, quia genus eſt SACRAMENTI, atque ideo quibus reliqua Sacramenta negantur, quomodò vnum genus putatur poſſe concedi?* Vides ergò in primitiua Eccleſia fuiſſe vetuſtiſſimum SACRAMENTI huius vſum ritumque: De quo tamen, vtpotè ſecretiori myſterio, non nimis multa ita litteris ſunt conſignata, atque ad poſteros tranſmiſſa. Adeò vt nec ipſe quidem Beatiſſimus Innocentius Papa huius Sacramenti mentionem forſitan feciſſet, ſi non hanc ei tãquam ſupremo Chriſtiani gregis paſtori atque Vniuerſali Epiſcopo quæſtionem ex profeſſo Eugubinus propoſuiſſet. Non enim ſolitum Patribus, de Sacramentis quæ in vſu quotidiano erant, quidquam ſcriptis commendare, niſi vel occaſione aliqua coactis, vel nimia hæreticorum importunitate impulſis.

Innocent. I. ad Eugubin. Epiſc. Decēt. can. 8.

Atq; ideo nemo veterum de hoc Sacramento vnquam dubitauit. Vnde hinc eſt quod Chryſoſtomus adfirmat, nobis à Sacerdotibus, vtporè huius Sacramenti ordinarijs Miniſtris plus emolumenti, quàm ab ipſis progenitoribus ac carnalibus parẽtibus noſtris, conferri. Sic enim ait: *Sacerdotes non ſolùm cùm nos regenerant, ſed poſtea etiam condonandorum nobis peccatorum facultatem obtinent. Infirmatur, inquit, inter vos aliquis? accerſat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eũ, vngentes eum oleo in nomine Domini.* Loquitur ergò apertè de hoc Extremæ vnctionis ſacramento, in quo & peccata dimittuntur, & æger ita confortatur, vt prauis dęmonis ſuggeſtionibus, quæ ferè in hac vltima colluctatione grauiores frequentioreſq; ſunt, maſculo animo reſiſtat. De quo eodem Sacramento idem alibi ſcribens, dicit Eccleſiæ mẽſam, multò pretioſiorem eſſe quàm communem aut vulgarem: *hac enim*, inquit, *lucerna magna, fidei oleo hîc peruncti, à morbo liberati ſunt.* Nec non & antiquus ille Eccleſiæ ſcriptor, qui, duos de infirmorum viſitatione (quem tamen nonnulli D. Auguſtinum opinantur) poſteritati libros reliquit; in quorũ altero ſic loquitur: *Nec præterundum eſt illud Apoſtoli Iacobi præceptum: Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Eccleſiæ, vt orent ſuper eum, vngentes eum oleo ſancto in nomine IESV: & oratio fidei ſaluabit infirmũ. Ergò ſic roges de te, & pro te fieri, ſicut dixit Apoſto-*

Lib. 3 de Sacerdotio.

Sacerdotis ſunt ordinarij huius vnctionis Miniſtri.

Homil. 33. in Matth.

Lib. 2. de viſit. infirm. cap. 4.

Iacob. 5.

poſtolus Iacobus, imò per Apoſtolū ſuū Dominus: ipſa videlicet olei ſacrati delibutio, intelligitur Spiritus S. typicalis vnctio. Et in Tractatu de rectitudine Catholicæ conuerſationis, qui & ipſe Auguſtino à plerisque adſcribitur: *Quoties*, inquit, *aliqua infirmitas occurrerit alicui, non quærantur præcantatores, non diuini, non ſortilegi, nõ carcarij, neq; per fontes, aut arbores, aut biuia phylacteria exerceantur, ſed qui ægrotat in ſola Dei miſericordia confidat, & Eucharistiã cum fide & deuotione accipiat, oleumq; benedictum fideliter ab Eccleſia petat, vnde corpus ſuum vngatur, & ſecundùm Apoſtolum, oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuabit eum Dominus: non ſolùm corporis, ſed & animæ ſanitatem accipiet, &c.* Theodorus inſuper Cantuarienſis Eccleſiæ Præſul, qui anno Domini 650. in viuis fuit, in ſuo Pœnitentiali ita ſcriptum reliquit. *Pœnitentiæ modum ſibi à ſuo Confeſſore impoſitum, diligenter obſeruent: & ideo ſecundùm Canonicam auctoritatem, ne illis ianua pietatis clauſa videatur, orationibus & conſolationibus Eccleſiaſticis ſacra cum vnctione olei animati, ſecundùm ſtatuta Sanctorum Patrum communione viatici reficiantur.* Loquitur autẽ de abſolutione ſacramẽtali, quàm præcedere vult ipſam Extremam vnctionem. Atque hinc vides hanc

Ægroti quid agere in extremis debeant.

ſalu-

ſalutarem delibutionem non riſu aut cachinno excipiendam, vti vos irriſores facitis, ad quorum interitum Deus ipſe quoque aliquando ridebit & ſubſannabit, cum nimirum vobis id quod timebatis aduenerit, ſed veri loco Sacramenti habendam, animæ ac corpori proficuam, ad cuius applicationem vt animæ vires confortantur, ſic bona corporis valetudo, vti ipſa quandoq; comprobat experientia ſæpiſſimè redintegrantur.

Prou. 1. ver. 26.

CAPVT XXIX.

MATRIMONIVM verò ſacris in litteris magnum meritò SACRAMENTVM adpellatur; idque ab ipſo Paulo, dicente: SACRAMENTVM *hoc magnum eſt: ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia.* Itaque habemus hîc ſignum externum, nimirum mutuum amborum conſenſum, quo adeo firmiter iunguntur, vt niſi morte intercedente coniuges ſeparari nequeant, Chriſto atteſtante, ac dicente: *Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet.* Confertur etiam legitime contrahentibus non ſolum remiſſio peccatorum, ſicut & in cæteris Sacramentis omnibus, verùm etiam gratia quędam ſingularis: quæ in coniugibus naturalem perficit amorem, & indiſſolubilem vnitatem confirmat, eoſque ſanctificat, vt non modò duo ſint, maneantque in carne vna, ſed etiam vt mutuam inter ſe fidem, pacem, dilectionem & conſenſionem maximam vſque conſeruent. Quatenus itaq; ea coniunctio quæ inter

Epheſ. 5.

Matth. 19.

ter virum & vxorem ardētiſſima intercedit, congruum & ſacrum eſt ſignum diuinitus inſtitutum, quo Chriſti ſponſi & Eccleſiæ ſponſæ coniunctio ſanctiſſima firmiſſimaq; deſignatur, eatenus verè Sacramentum dici ac haberi debet. ad hoc enim adludit Apoſtolus, dicens, *SACRAMENTVM hoc magnum eſſe, in Chriſto, nimirum & in Eccleſia.* Nam eadem eſt ratio matrimonij, quæ eſt Chriſti & Eccleſiæ. Itaq; hîc admonemur præteritæ myſticæ conglutinationis diuinę & humanæ naturæ, Chriſti ſponſi & Eccleſiæ ſponſæ: quomodo ſcilicet Dominus noſter IESVS Chriſtus reliquerit quodammodò patrem ſuum Deum, poſteaquam exinaniuit ſemetipſum, formam ſerui accipiens: reliquit matrem ſuam Synagogam, ex qua ſecundùm carnem natus eſt: *reliquit domum ſuam, dimiſit hæreditatem ſuā: dedit dilectam animam ſuam in manus inimicorum ſuorum*, vt adhæreret vxori ſuæ Eccleſiæ, quā ex Gentibus ſibi copulauerat: vt quam fœdam inuenerat, ac omni turpitudinis genere pollutam, eam ſanguine ſuo ablutam ſanctificaret, ac *exhiberet ſibi glorioſam Eccleſiam non habentem maculam neque rugam.* Atque hoc eſt quod Paulus inſinuat, dum ait, *Ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia.* Huius enim prętcritæ rei futuros coniuges, primum admonitos eſſe voluit: vt ſcilicet viri diligant vxores ſuas, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam: vt neque Patris, neque Matris amorem illius

Ioan 16.
Philip. 2.
Hierem. 12.
Epheſ. 5.

illius amori anteponendum eſſe arbitretur:
Et quemadmodũ Chriſtus tradidit ſemetipſum pro Spõſa ſua Eccleſia, ita vir pro vita, pudicitia, fama vxoris ſuę, nõ dubitet quoduis vitæ diſcrimen adire. Ita enim hũc Pauli locum orthodoxi Patres, à Hieronymo citati, exponunt, nẽpè Ambroſius, Gregori⁹, Nazianzenus, atque ipſe etiam Chryſoſt. cuius hęc ſunt verba: *Reuera namq; , reuera, inquã, myſteriũ eſt, & magnũ myſteriũ, relicto parẽte, eo qui genuit, eo qui aluit, etiã ea q̃ peperit, quæ miſerè & cũ labore parturÿt, illis videlicet deſertis, qui tanta beneficia præſtiterunt, cũ quibus diuturnus fuit vſus & conſuetudo, adhærere virum illi, quæ antea neq; viſa ſit, neq; aliquid cõmercÿ cum illa habuerit, atq; hanc etiam omnibus præferre. Verè myſterium eſt. Et parẽtes etiam, cùm iſta fiunt nõ offenduntur, ſed magis offendũtur ac dolent cùm nõ fiunt, expenſis quoque pecunÿs, ac ſumptu facto, lætantur. Magnũ reuerà myſterium & ineffabilem quandam ſapientiam habens. Hoc multis retroactis ſeculis prophetans dicit, in Chriſto & in Eccleſia.* Hæc ille August. quoque, *in Chriſtianorum nuptÿs plus*, inquit, *valere ſanctitatẽ Sacramenti, quàm fœcunditatẽ vteri* De quo aliquanto copioſiùs agens, ſic ait: *Quoniam ſanè nõ tantum fœcunditas, cuius fructus in prole eſt, nec tantum pudicitia, cuius vinculum eſt fides, verùm etiam quoddam ſacramentum nuptiarum*

Chryſo. Homil. 20. in c. 5. ad Epheſ.

Lib. de bono coniugali. cap. 18.

Cap. 10. de bono coniugali.

Digitized by Google

rum commendatur fidelibus cõiugatis. Vnde dicit Apoſtolus: viri, diligite vxores veſtras, ſicut et Chriſtus dilexit Eccleſiã. Huius procul dubiò ſacramenti res eſt, vt mas & fœmina cõnubio copulati, quam diu viuunt, inſeparabiliter perſeuerẽt, nec liceat excepta cauſa fornicationis, à cõiuge coniugẽ dirimi. Hoc .n. cuſtoditur in Chriſto & Eccleſia, vt viuens cũ viuente in æternum nullo diuortio ſeparetur. Cuius Sacramẽti tanta obſeruatio eſt in ciuitate Dei noſtri, in monte ſancto eius, hoc eſt in Eccleſia Chriſti quibusq́ fidelibus cõiugatis. q ſine dubio mẽbra ſunt Chriſti, vt cùm filiorũ procreandorũ cauſa vel nubãt fœminæ, vel ducantur vxores, nec ſterilem coniugẽ fas ſit relinquere, vt alia fœcũda ducatur. Itemq́;. *Bonum,* inquit, *nuptiarũ per oẽs gentes atq́ oẽs homines, in cauſa generãdi eſt, & in fide caſtitatis. Quòd aũt ad populum Dei pertinet, etiam in ſanctitate Sacramenti per quã nefas eſt etiam repudio intercedẽte, alteri nubere, dum vir eius viuit, nec ſaltẽ ipſa cauſa pariendi. Quæ cũ ſola ſit qua nuptiæ fiunt, nec ea re nõ ſubſequẽte propter q fiunt, ſoluitur vinculũ nuptiale niſi coniugis morte. Quemadmodũ ſi fiat ordinatio cleri ad plebem congregandam, etiam ſi plebis congregatio non ſubſequatur, manet tamen in illis ordinatis Sacramentum ordinationis. &c.*] Confert hîc D. Auguſtinus matrimonij SACRAMENTVM, cum Sacramẽto Ordinis; vultque nullo modo, quã diu vterq́; con-

Sacramentũ nuptiarum.
Coloſſ. 3.
Pſal. 47.
Cap. 24.
Sanctitas Sacramenti facit, vt nec interueniẽte repudio, liceat alteri nubere.

coniugum ſupereſt, dirimi, prout ſemper ſancta mater Eccleſia tenuit, docuitque.

CAP. XXX. INTERIM tamen noſtræ tempeſtatis Sectarij, Matrimonium Sacramētum eſſe inficiantes, ac pro ciuili tantùm politicoque contractu habētes, negare non audent, quin illorum coniugia non plus ſint indiſſolubilia, quàm vel Gentilium, vel Iudæorum: Atque ideo haud mirum in primis, quod Lutheranæ factionis Prædicantes, ſuas tam ſæpè vxores permutent, alienentque. Vnde Sebaſtianus Flaſchius, qui annis viginti Miniſtrum in Saxonia egerat, inter cætera quibus ſe ad Catholicę Eccleſię gremium poſtliminio redijſſe commemorat, refert diſplicuiſſe ſibi, quod ex Superintendentibus quidam cogere ipſum voluerit, ſuā cum illius commutare vxorem.

Vide Naſum Centur. 2. verit. 54. & 73.

Apud Norenbergenſes verò frequens eſt admodum, & perquam vſitata hæc vxorum permutatio, dimiſſioque: adeò vt quidā iſtic ſenis tantùm mēſibus, tres vxores habuerit; quarum cùm pertæſus eſſet, fuſtibus ac pugnis ita eas excipiebat, vt vel vltrò fugam capeſſere debuerint, quatenus marito nouarum accerſendarum vxorum maior fieret libertas. Neque hęc ciues tantum factitabant, plebei ſcilicet homines, verùm etiam ipſi interdum Prædicantes, adeò vt Magiſtratus ſuo edicto hāc tam enormem turpitudinem prohibere oportuerit. Neque verò illud magnoperè mirum, quod Lutheranorum Primates,

mates, tam magnam ſibi in diſpenſanda re vxoria auctoritatem vendicent; quippè qui matrimonium non niſi ciuilem tantum contractum eſſe aiunt. Atque hinc eſt quod ſectæ illorum anteſignanus ac Patriarcha Martinus Lutherus VVittenbergenſi conſentiente Synagoga, Philippo Haſſiæ Lantgrauio, qui poſtmodum à Carolo V. bello ſubactus, Mechliniam vinctus eſt aſportatus, indulſerit, vt vxore adhuc ſuperſtite, aliam ſuperinduceret: motus ſcilicet hac ratione, quod quantum ad generandi facultatem attinet, alijs viris multò eſſe membroſior, valentiorque: adeo vt vel tribus fœminis poſſet facere ſatis.

Digna profectò res, quæ à talibus conſiſtoriantibus publicè mota quæſtione ab ancipiti vendicetur, atque à tali Pontifice diſpenſetur. Nam ex ſecundo coniugio prodière Comites Ditmarienſes, qui pro legitimis haberi volentes, idque Lutheranæ diſpenſationis vi ac robore, etiam paternæ cupierunt eſſe ſubſtantiæ hæredes; indignantibus interim primi thori liberis: inter quos VVilhelmus Lantgrauius, ſummo ſemper odio hunc tam iniquũ diſpenſatorem habuit, nolens eius acceptare placita, hæreſeſque amplecti. Adeò vt cùm Saxoniæ Dux Auguſtus ante annos aliquot quendam Concordiæ librum ex Lutheri ſcriptis colligi iuſſiſſet, cui omnes ſectæ huius alumni, inter quos magna de rebus ſummis quoti-

 diè

Digitized by Google

die diſſenſio altercatioq; oriebatur, acquieſcerent ſubſcriberentque; atque hoc ſolo nomine Iacobum Smidelinum Propoſitum Tubingenſem vna cum Brunſwicenſi Superintendente Martino Kemnitio ad hunc Lãtgrauium, qui eum ad ſubſcribẽdum inducerent, deſtinaſſet, nullatenus acquieſcẽs; quæret, quis nam huius ſcripti eſſet auctor: ad quod cum Smidelinus reſponderet, *Reuerendum Dominum Doctorem Martinum Lutherum*; ſubinferens, *is ne*, inquit, *ſcelestus, qui parenti meo auctor fuit, vt mea adhuc viuente matre, aliam, quæ multarum nobis difficultatum parens eſſet, ſuperinduceret. Apage Presbyter Iacobule, nihil mihi cũ hoc factioſo homine negotij*. Atq; ita re infecta, nil præter ignominiã retulêre. Ipſe ego cùm ante annos aliquot Marpurgi in Haſſia degerẽ, frequentem adulterinæ huius diſpenſationis audiui mentionem fieri; Neque hæc res Andream Hyperiũ ſcripturarũ Doctorẽ fugit. Quin imò & aliarũ nonnullarũ fœdiſſimarum permiſſionum idẽ ille Islebicus Papa rudi populo auctor extitit: cui adeò vt eius indulto cuiuis ancillã in thorũ, voluptatis explẽdæ gratia, accire liceat, ſi detrectet vxor. Qua diſpenſatione non rarò factum, vt Lutheranorum pleriq; matrimonij illegati vinculis, tam famulas, quàm vxores impregnauerint. Vnde circa annum Domini 1578. Ieduardi in Scotia accidit, vt dulciarius quidam piſtor mellita concinnans edulia prorſus illiteratus,

tus,

tus, Paulus Meſſenius nomine, ad concionatoriũ euectus munus, multis in hoc functionis genere, quà garriendo, quà ſcripturas citando, palmam eriperet. Cuius cùm vterum geſtaret famula, qui iſtic iuridicundo præerant, verentes ab aliquo Papiſtarum in huius tam ſtrenui ac celebris ſui Concionatoris contumeliam famulæ vim illatam, toto coram magiſtratu citatam, iuramento adegêre; vt quis contemptæ prolis eſſet parens, publicè ediceret. Illa rem geſtam non inficians, ſuum nominauit herum famoſiſſimum ſcilicet totius vrbis Concionatorem, qui Lutheranæ indulgens diſpenſationi, tum vxore tum famula alternis vti vicibus ſit ſolitus.

Inſuper Doctor Santius Caluiniſtarum Archiepiſcopus Eboraci in Anglia, nõ longe diſcedens ab vrbe ac ruri in quodam publico pernoctans hoſpitio, quoſdam ibi reperit nobiles eiuſdem ſecum religionis, atque inter hos Robertum Stapletonum etiamnum ſuperſtitem. Cœnæ autem tempore dum laſciuos in hoſpitam conieciſſet oculos, exarſit protinus incredibile quodam pulchritudinis eius potiundi deſiderio: ꝙ celare amplius nõ valens, eidem aperuit. Illa aũt rem ad maritũ defert, idq́ue præfato audiente Roberto: qui cõſilio è re capto, ſuadet vt verbis annuat, nullã interim ſuæ iacturam pudicitiæ facturã; poſſe enim hoc iſtu ingentem pecuniæ vim emungi. Ob-

tento itaque conſenſu hoſpitæ, Archiepiſcopus, genialem cum illa conſcendit thorum ſuæ facturus libidini ſatis. Sed cùm iam nefario eſſet accinctus operi, eccum tibi maritum hoſpitem, qui vnà cum Stapletono, alijſque domeſticorum nonnullis, accenſo lumine in cubiculum irruentes, turpiſſimam ſcenam patefaciunt, ridiculè Archiepiſcopi ſui puriſſimam laudantes caſtimoniam. Qui in ſcelere deprehenſus atque infamiæ metu conſternatus, ne hæc per ora populi facilè dilapſa, meritò inuiſum ac deteſtabilem eum cunctis redderent, ſingulis ſuæ taciturnitatis quam largiſſimum pollicitus eſt præmium. Vnde muneribus deliniti, altiſſimum quidem illi promiſêre ſilentium, verùm promus condus vacua dimiſſus manu, omnia propalauit, hominemque publicitus infamen reddidit. At Archiepiſcopus ſuam vtcunque volens obtegere infamiam, præcipuos cõuenit aulicos, quorum fauorem millenis aliquot ſibi coronatis concilians, in Robertum cæteroſque qui ſceleratæ huius tragediæ ſpectatores fuerãt, falſam detorquens calumniã, eos illatæ iniuriæ accerſit. Qui hoc nomine anno integro à iudicib' carcerali cuſtodia dãnati, non prius inde retulêre pedẽ, quàm innocentem proclamaſſent Archiepiſcopum, eiuſq; caſtimoniæ ſubſcripſiſſent: *Quid enim*, inquit officialium quidam, *an vos nocentem, atque impurum affirmare audetis hunc, quem Regina noſtra*

noſtra innocentem atq; egregiè probum pronunciat? Hæc ex ore teſtis cuiuſdā oculati. Interim verò Archiepiſcopi hui⁹ ſtupra ac quotidiana adulteria, toti ſunt Angliæ cognita.

Sed quid opus in Britanniam, vel Caledoniam confugere, cùm ſola Brabantia ſat exemplorū ſuppeditet? Nam an. 1579. Chriſtianus quidam, Franciſcani inſtituti apoſtata, qui apud fratres ſuos in conuentu Herentalienſi F. Antonius nominabatur, cùm Liræ in S. Gommari Dominica in albis primam ad populum haberet concionem, etiam inter cæteros auditores, vxorem ac famulā ſuam ex ſe grauidam præſentem habuit. Et cùm non longè poſt, nobilis illic quidam à Senatu hæretico male audiret, quod præter legitimæ vxoris cōſortium, etiam alterius commaculaſſet thorū, factum eſt vt vnanimi Miniſtrorum cōſenſu M. Chriſtianus deputaretur, qui eum adulterij argueret. Verùm ille admonitionis impatiens. *Tace*, inquit. *Domine Chriſtiane, nam & tu famulam tuam impregnaſſe diceris.* Ad quod ille. *Quin age, ſi nō caſtè, ſaltem cautè.* Nobilis autē qui hæc ſuo prodidit ore, etiamnum viuit, Deo interim ac Regi ſuo fidei ſinceritate reconciliatus. Hæ certè tam inauditæ turpitudinis diſpenſationes, à nullis hactenus Pōtificibus Concilijsq; vſurpatæ, veſtræ meritò reformatæ religioni reſeruari debuêre, ex quibus tanq̄ ex vnguibus leonem liceret agnoſcere. Sed pudeat vos reformatos Euangelicos, harum

Digitized by Google

putidiſſimarum nequiſſimarumque turpitudinum, quæ tantum putoris atque infamiæ vobis conciliant, vt quibuſdam in locis etiam ciuilis Magiſtratus talium pertæſus flagitiorum, Catholicæ Eccleſiæ in his amoliendis ſalutaribus vtatur remedijs.

Nam eodem quo hæc ſcribimus anno, ſcilicet 1594. in celebri, Lutheraniſmo tamē imbuta, Liuoniæ vrbe Riualia, in quodam Catholicarum virginum conuentu, vna ex monialibus eò cuiuſdā Lutherani Miniſtri importunis eſt perducta blanditijs, vt operi nefario cōſentiens, ab eodem impregnaretur. Quod dum Senatui, qui ibidē probè Lutheranus eſt, innotuiſſet, carceri hominem, ac tandem etiam capitali ſupplicio adiudicauit. Ille nullam mortis euadendæ meliorem conſpicatus rimulā, multa cœpit Euangelicæ ſuæ religionis proferre placita, atque inter cætera, impoſſibile eſſe diuinæ legi ſatisfacere Monachorū vota humanas tantum eſſe conſtitutiones, Monialium cōtinentiam diuino repugnare præcepto, religioſorum hominum perpetuam clauſuram Chriſtianæ libertati contrariam, atq; iſtius Euāgelicæ reformationis conſimiles affanias effutire. Potuit & Magiſtri ſui Lutheri forſitan allegaſſe exemplū, qui Monachus Monachā duxit. Verùm enimuerò nihil his adiutus commentis, allegationibusq;, carnificis poteſtati eſt traditus, capiteque truncatus. Naturalibus enim edocti argumentis, facilè dijudicare

care potuêre, talem impudicitiã diuinis reluctari mãdatis, quantumcunq; etiã in contrariũ moliantur ipſi reformati Euãgelij deformatores. Hęc ad nos ex Liuonię vrbe Torpato perſcripſit quidã nobis familiaritatis neceſſitudine probè cognitus, cui qui hæc Lutherani Senatus ſententia, alioquin rara, admirationi erat. Sed quia inter Lutheranæ factionis prædicantes frequens eſt hæc legitimi thori trãſgreſſio, ac Virginalis pudicitiæ expugnatio, nullus eſſet flagitiorum modus, ſi nõ ſeueriori manu in hæc tam nefariæ libidinis ſpurciſſima propudia Magiſtratus ciuilis ſubinde animaduerteretur. Verum finem huic materiæ vnico faciam exemplo, quod infrà biennium in Scotia accidit, mihíque ab iſtius regionis primariæ nobilitatis, ac permagnę auctoritatis viris eſt communicatum. Fuit enim Lithi concionator quidam hæreticus Andreas Kelli nomine, qui priuſquam concionis habẽdæ gratiâ, ad Eccleſiam ſeſe reciperet; intra horti ſui conſeptum cum atro quodam homine colloquium miſcuit; quem vxor è feneſtra conſpiciens, eò maturauit aditum, dicens tempus iam imminere quo ſuggeſtum conſcendat; percontata inſuper, quis nam ater iſte homo, quo cum ſermocinatus eſſet. At ille, Tu ne eum, inquit, conſpicata es? Illa cùm adfirmaret ita ſe rem habere; in ſeparatum euocata cubiculum à marito, ibidẽ eliſis faucibus ſtrangulata eſt.

Digitized by Google

Quo ad concionem prodeunte, ancilla le-ctum compoſitura, defunctam inueniens horam, flebili eiulatu rem prodidit. Ingens exinde verberonem corripit trepidatio, qui pelli ſuæ timens cum cæteris ſuis collegis eâdem laborantibus ſcabie, conſilium cœpit. Qui etſi nocenti lubenter tuliſſent ſuppetias, Magiſtratus tamen, arreptum vxoricidam capite publicitus plecti iuſſit. Vnde hoc facinore tria habemus documenta. 1. quanta ſit hæreticorum Prædicantium cum dæmone familiaritas. 2. Quo agantur inſtruanturq; ſpiritu dum conciones obituri ſunt. 3. Quàm ſincero vxores proſequantur amore.

Impleui ergò iam nunc promiſſum, quo tibi eram obligatus, docuique ſeptem eſſe nouæ legis Sacramenta, eaque ab Eccleſia Catholica ſemper pro talibus eſſe habita; adeò vt non ſolum Occidentales, verùm & Orientales, id vbique lubenter agnouerint: nam Patres Græci qui anno 1439. Florentino interfuêre Concilio, diſertis id verbis proteſtati ſunt, nimirum credere ſe ſeptem eſſe Eccleſiæ Catholicæ Sacramenta. Neque aliter ante annos aliquot Hieremias Conſtantinopolitanus Patriarcha fecit, dum, vti ſuprà dictum eſt, Tubingenſibus ſeſe Lutheranis oppoſuit.

CAPVT XXXI.

SEPTIMVS articulus, de *Miſſis Priuatis*. Opinor aũt, vos Miſſas priuatas vocare eas, quæ nõ publicè toto præſente populo, ſed in priuato

priuato aliquo ſacello aut oratorio, paucis corã peraguntur. Quæ non modò prohibitæ non ſunt, verum etiam ipſius Christi exẽplo introductæ: qui Sacroſanctum Miſſæ inſtituens officium, intra cubiculi conſeptum ſolis tantum præſentibus Apoſtolis id fecit. De quo vide Cyprianum & Gregorium Niſſenum. Idem quoque fecêre Apoſtoli, qui, vt Lucas commemorat, *frangebant circa domos panem*, Euchariſticum ſcilicet. Teſtatur Cyprianus olim in ipſis carceribus ſolere Preſbyteros ſacris operari; cuius inſigne extat exemplum apud Nicephorum, de S. Luciano, qui graui cathenarum pondere preſſus, cùm ſe erigere nequiret, ſuo ipſius pectore altaris vſus eſt loco, ſicque Miſſæ ſacrificium vtrunque peregit. S. Auguſtinus quendam è ſuis Preſbyteris commemorat, in domo ruſtica ſacrificium dominici corporis & ſanguinis obtuliſſe, ſicque prędium iſtud ab malignorum ſpirituum infeſtatione liberaſſe. Qui & obitum Monicæ matris commemorans, dicit ad Oſtia Tiberina iuxta ſepulchrũ eius ſacris eſſe litatum, *Cùm enim*, inquit *offerretur pro ea ſacrificium precij noſtri, iã iuxta ſepulchrum poſito cadauere*, &c. Theodoretus ſcribit, ſe in cellula Maris Anchoretæ id petentis, ſacra myſteria celebraſſe. Refert Gregorius, Agapitum Papam, qui anno 563. vniuerſali pręfuit Eccleſiæ, cùm ad Iuſtinianum properaret Imperatorem, in itinere claudum & mutum Miſſarum oblatione priſtinæ

Matt. 26.
Libr. 5. epi. 2.
Orat. 5. de Paſchate.
Act. 2.
Libr. 8. Eccl. hiſtor. ca. 31.
Lib. 22. ca. 8.
Libr. 9. Confeſ. ca. 12.
In Phil. cap. 20. de Mare.
Libr. 3. Dial. cap. 3.

Digitized by Google

ſtinæ ſanitati reſtituiſſe. Idem quoq; auctor
Hom. 37. in Euang. eſt, Caſſium Narnienſem Epiſcopum virum
Sanctiſſimũ aliquãdo in priuato Epiſcopalis
aulæ oratorio celebraſſe; quod videlicet in-
firmitate detẽtus, tẽplum adire nequiret; cu-
ius quidẽ ſacrificia, vti cuidã reuelatum preſ
bytero, Deo fuêre gratiſſima. Tum & Ioanni
Syracuſano Epiſcopo perſcribit Gregorius,
quatenus nõ ſolum non prohibeat in domo
Lib. 5 epi. 43. Venãtij patritij Miſſæ ſacrificium peragi, ve-
rum etiã ipſe quandoq; ibi ſacris operetur.
Ambroſius quoq; Romæ degens, cum à qua-
Paulin. in Vita S. Ambroſij. dã clariſſimi generis domicilla in Trãſtibe-
rina regione domicilium habente inuitare-
tur, tremẽdi altaris offerre myſteria paraly-
ticã ibidẽ ſanauit. Gregorium Nazãzenum
in exigua cellula extructo oratorio ſacra fe-
Lib 7. hiſtor. cap. 5. ciſſe, teſtis eſt Sozomenus. In Concilio Aga-
thẽſi an. Domini 506. celebrato, permittitur
Cap. 21. in oratorijs ruralibus extra Parochias ſitis,
propter familiæ fatigationem Miſſæ celeba-
De Conſecrat. diſtinc. 1 cap. Hoc quoque. ri ſacrificium. Antiquiſſimus Papa iuxta ac
Martyr Soterius per an. Dñ. 163. pmiſit Sacer-
dotibus, vt ſi vel duo tantũ eſſent præſentes,
ſacris litari liceret. S. Ioannes cognomento
Eleemoſynarius, cùm populum de Eccleſia
egredi ſacrificij offerendi tempore dolen-
ter conſpiceret, prout ſacris erat indutus
veſtibus, egreſſus ad eos, *Ego,* inquit *filij pro-
pter vos ad Eccleſiã deſcẽdo, nam mihi ipſi in E-*
Tom. 1. 23. Ianuarij. *piſcopio Miſſas facere poteram.* Et hæc quidem
Leontius Cypri Epiſcopus in eius, quæ a-
pud

pud Surium extat, vita celeberrima, ac lectu iucundiſſima. Mitto iam exemplum Baarlam hæremitæ, qui Damaſceno narrante, ſolo præſente Ioſaphat, Miſſæ ſacrificium in exigua ſua cellula frequenter obtulit. Neque illud quidem commemoro, quod iubentibus Petro ac Paulo Apoſtolis, quorum apparitione moribundo id reuelatum eſt puero, in ſingulis Angelicã cuiuſdã Monaſterij ſacellis, Miſſæ oblatum ſit ſacrificium. Vides ergo tũ ex ſacris literis, tũ ex veteris Eccleſiæ vſu, priuatas Miſſas, quas vos quidẽ cõtumeliæ cauſſa, *Angulares* nuncupatis, comprobari. Neque enim dæmon cõuitijs modum ſtatuit, quibus hoc ter venerandum per vos, tã q̃ electiſſima ſua organa exhibet ſacrificiũ.

Damaſcenus in vita illorum.

Beda lib. 4. Angl. hiſtor. cap. 14.

CAPVT XXXII.

ARTICVLVS octauus, *de Sacrificio, quod pro viuis pariter ac defunctis Deo in altari immolatur.* Quo de, etſi nõ pauca ad ſeptimã Propoſitionẽ à nobis dicta ſunt, hîc tamẽ ex ipſis diuinarũ literarũ monumẽtis, aliquãto cõpendioſius oſtendã, Catholicorũ Miſſam verum eſſe ſacrificium; illudq́; pro viuis pariter, ac defunctis rectiſſimè offerri. Neque meo nitar sẽſui, ſed Antiquorũ Patrũ, qui intra primos 600. aut 700. annos vixerũt, verbis ac ſentẽtijs. In primis aũt dubiũ nemini eſſe poteſt, quin illa Regij pſaltis verba *Tu es Sacerdos in æternũ ſecũdum ordinẽ Melchiſedech,* de hoc Sacrificio intelligi debeant. Nam & Chriſtus ipſe hunc pſalmum de ſe ſcriptum adſerit, & Paulus ad Hebræos idem teſtatur.

Pſal. 109. Matt. 22. Heb. 6. & 7.

Sunt

Sunt enim hic potiſſimum conſiderāda duo; quorum *primum*: Chriſtum non ſolum Sacerdotem appellari vulgarem aut ſimplicē, ſed ſecundum ordinem Melchiſedech; *alterum*, Chriſti ſacerdotium æternū eſſe, quod ad finem vſque mundi duraturum ſit: Sacerdotum autem functiones variæ ſunt, orare ſcilicet pro ſua & populi ignorantia, rudes inſtruere, benedictiones alijs impartiri, & his conſimilia agere. At verò præcipuum illorum munus in eo ſitum eſſe Paulus ait, vt ſacrificium Deo offerāt. *Omnis enim*, inquit, *Pontifex ad offerendum munera, & hoſtias conſtituitur*; nam orare pro populo, illumque inſtruere, ac benedictione proſequi, etiam non Sacerdotibus competit, vtpote, parentibus, ſenioribus, Doctoribus, alijſque. Verū Sacrificium offerre, ſolis licet Sacerdotibus: & nemo Sacerdos eſt, qui non illud offerat. Si itaque Chriſtus Sacerdos eſt, ſecūdum ordinem Melchiſedech, debet vtique ſacrificium, quale Melchiſedech obtulit, & ipſe offerre, idque vſque ad conſummationem ſeculi. At verò Melchiſedech panem & vinum obtulit, ſcriptura atteſtante, quæ ait: *Melchiſedech Rex Salem protulit panem, & vinum: erat enim Sacerdos Dei altiſſimi.* Ergo & Chriſtum eadem offerre oportuit: nam & Chriſtus Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech. Sed forſitan dices, me cōcisè locum hunc Geneſeos citare, omittendo nimirum id quod ſequitur; *Benedixit ei, & ait: Benedictus*

Hebr. 8.

Geneſ. 14.

Digitized by Google

nedictus Abraham Deo excelſo. At verba hæc ad alterius rei faciunt initium, non ſolùm in noſtro latino textu, verùm etiam Hebræo, Græco, Chaldæo: adeo vt *benedicere* nó tam referatur ad Sacerdotium Melchiſedech, quàm offerre panem & vinum. Tamen rurſus occurres, inquiens, in Hebræo non inueniri cauſalem hanc coniunctionem (*enim*) ſed potius coniunctiuam (*&*) vt ſcilicet legas: *Erat autem Sacerdos Dei altiſſimi*. Tum quod Melchiſedech panem & vinum Abrahæ occurrenti obtulint, potuit famis ac ſitis depellendæ gratia potius factum eſſe, quàm certi alicuius ſacrificij cauſa. Verùm id fruſtra à te dici, textus conuincit: in quo habes Abraham ex prælio cum ingenti præda, in qua erant etiam ea, quæ ad cibum potumque pertinent, victorem rediјſſe: adeo vb Abrahę milites cibo ac potu ſeſe refecerint, antequã eis occurreret Melchiſedech; hoc enim Abraham ipſe ad regem Sodomorum fatetur. Inſuper & toto erras cœlo, dum vulgatam arguis editionem. Licet enim ad verbum nó ſit in Hebræo: *Erat enim Sacerdos*, ſed; *Et erat Sacerdos*: tamen illa particula coniunctiua, apud Hebræos frequentiſſimè locum obtinet cauſſalis, & verti debet per (*enim*) ſi ſententia eleganter, Latina phraſi exprimẽda ſit. Exempla ſunt ad manus: nam Iſaiæ 64. vbi nos legimus; *Tu iratus es, & peccauimus*. Hebręi habent: *Tu iratus eſt, quia peccauimus*: vbi apertiſſimè ponitur ו pro כ copulatiua

Gen. 14. ver. 11. & verſ. 24.

pro

pro cauſali. Adde quod hæc Geneſeos verba non aliter tota exponat Eccleſia, quæ in Canone Miſſæ ita quotidiè Deo ſupplicat: *Supra quæ propitio, ac ſereno vultu reſpicere digneris, & accepta habere, ſicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui iuſti Abel, & ſacrificium Patriarchæ noſtri Abrahæ, & quod tibi obtulit ſummus Sacerdos tuus Melchiſedech ſanctum ſacrificium, immaculatam hoſtiam.* Quæquidem ſanctiſſima verba, non heri aut nudiuſtertius ad Canonem à nobis adiecta ſunt, verùm ab ipſis Apoſtolorum temporibus introducta. Quorum expreſſè meminit Ambroſius libr. 4. de Sacrament. cap. 6. Ex quo luce meridiana clarius eſt, eſſe hanc antiquiſſimam, ac publicam totius Eccleſiæ ſententiam. Hinc Clemens Alexandrinus; *Melchiſedech*, inquit, *Rex Salem Sacerdos Dei altiſſimi, vinum & panem ſanctificatum dedit nutrimentum in typum Euchariſtiæ.* Cyprianus quoque poſtquam illa pſalmi verba citauerat: *Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech;* [illegible] *Qui ordo vtique hic eſt de ſacrificio illo veniens, & inde deſcendens, quod Melchiſedech ſacerdos Dei ſummi fuit, quod panem & vinum obtulit, quod Abraham benedixit. Nam quis magis ſacerdos Dei ſummi, quàm Dominus noſter IESVS CHRISTVS? qui ſacrificium Deo Patri obtulit, & obtulit hoc idem quod Melchiſedech obtulerat, id eſt, panem & vinum; ſuum ſcilicet*

Lib. 4. Stromat. nō procul à fine.

Lib. 2. epi. 3. ad Cæciliū.

Digitized by Google

cet corpus & ſanguinem? Et Epiphanius, *obtulit*, inquit, *Melchiſedech ipſi Abraham panem & vinum, myſteriorum ænigmata præfigurans & exemplaria, cum Dominus noſter dicat, Ego ſum panis viuus; & exemplar ſanguinis ipſius, qui ex latere ipſius compuncto fluxit, ad purgationem inquinatorum, & reſperſionem ad ſalutem animarum noſtrarum.* Qui inſuper volens docere ſacerdotium Aaronicum translatum eſſe per Chriſtum, ad Sacerdotium Melchiſedechicum, hæc ſubiungit: *Quod ſanè nunc viget in Eccleſia à Chriſto, & hucuſque, dum non amplius ſemen, ſecundum ſucceſſionem eligitur, ſed forma iuxta virtutem quæritur.* Ipſe quoque Euſebius Cæſarienſis, loquens de hoc Melchiſedechico ſacrificio, ita ait: *Et ſanè oraculi exitus admirabilis ei, qui contempletur, quemadmodum Saluator noſter IESVS, qui eſt Chriſtus Dei, ipſius Melchiſedech ritu, ea quæ ad ſacerdotium in hominibus gerendum ſpectant, per ſuos miniſtros perficiat. Nam quemadmodum ille qui ſacerdos gentium erat, nuſquã videtur ſacrificijs corporalibꝰ functus, ſed vino ſolo & pane, dũ ipſi Abrahã benedicit: ita ſanè primus ipſe Saluator, ac Dominus noſter: Deinde qui ab eo profecti ſunt Sacerdotes in omnibus gentibus, ſpirituale ſecundũ Eccleſiaſticas ſanctiões ſacerdotij munus obeũtes,*

Hæreſ. 55. quæ eſt Melchiſedechiã.

Ibidem.

Lib. 5. de demõſt. Euang. cap. 3.

vino

vino ac pane, & corporis illius & ſalutaris ſanguinis myſteria repræſentant. Quæ ſanè myſteria Melchiſedech tanto ante Spiritu diuino cognouerat, & rerum futurarum imaginibus vſus fuerat. Euſebius Emiſſenus, ſeu quicunque fuit auctor, Sermone 5. de Paſchate: *Melchiſedech,* inquit, *oblatione panis & vini hoc (nimirum quod in Euchariſtia celebratur) Chriſti ſacrificium figurauit.* Idem etiam B. Ambroſius teſtatur, dicens; *pecudum victimas periiſſe, quæ fuerunt in ordine Aaron; manere autem Melchiſedech inſtitutum, quod toto orbe terrarum in Sacramentorum erogatione celebratur.* Nec non & Arnobius; qui ait, *Chriſtum per myſterium panis & vini, factum eſſe Sacerdotem in æternum.* His adde Primaſium Vticenſem Epiſcopum; dicentem, *Melchiſedech non fuiſſe ſacerdotem ſecundum mandata legalia, ſed ſecundum cuiuſdam ſingularis ſacerdotii dignitatem, panem Deo offerentem, non autem brutorum animalium ſanguinem: in cuius ordine ſacerdotii, Chriſtum quoque factum eſſe Sacerdotem, non temporalem ſed æternum: non offerentem victimas legales, ſed inſtar illius panem & vinum, carnem videlicet & ſanguinem ſuum.* Tum & Eucherium Lugdunenſem, qui in Geneſim ſcribens, *Melchiſedech,* inquit, *ſacerdos Dei ſummi, panem & vinum in ſacrificium offerens*

In cap. 5. ad Hebr.

In Pſal. 109.

In cap. 5. ad Hebr.

Lib. 2. ca. 18. in Geneſ.

offerens &c. Auguſtinus quoque ſcribens ad Innocentium Papam, vnà cum Aurelio, Alipio, Euodio & Poſſidio Epiſcopis, *Melchiſedech*, ait. *prolato Sacramento menſa Dominica, nouit aternum eius ſacerdotium figurare.* Eiuſdem ſententiæ fuiſſe, & Hieronymum, varijs in locis inuenies; qui & pro ſe alibi citat Irenæum, Hippolitum, Apollinarem, Euſtachium, atque vtrinque à nobis allegatum Euſebium; conſono ore fatentes, Melchiſedechicum Sacrificiũ fuiſſe panis ac vini oblationem, Miſſæque præfigurationem. Vides ergo, quæ nam veterum fuerit hac de re ſententia: qui & Melchiſedech, panem, & vinũ offerentem, Sacerdotem fuiſſe adſtruunt, & Chriſtũ ſecundũ eundẽ Ordinem Sacerdotẽ in æternum: cuius vices exequentes noſtri Sacerdotes, quotidie eadem Deo in ſacrificium offerunt, dum panem in corpus, & vinum in ſanguinem tranſmutant.

Epiſt. 95. Hieron. epiſt. 17 ad Marcell. cap. 2. & epiſt 126. ad Euagr. & in pſal 25 109. & ad cap. 26. Matt.

CAPVT XXXIII.

SED forſitan tantæ auctoritatis ac numero adeò multis Patribus, ipſiuſq; vniuerſalis Eccleſiæ ſentẽtiæ, vnum oppones Paulũ: qui de Melchiſedechico Sacerdotio lõgè lateq; diſputãs, nullã oblationis huius mentionem facit, ſed ſolummodò benedictionis, quã Abrahæ impartitus eſt: vnde nequaquã putandus eſt intactã prętęrire voluiſſe panis ac vini oblationẽ, ſi Melchiſedech Chriſti præ ſe perſonã tuiſſet. Ad quod reſpõdeo; Paulum ideo hæc ſilẽtio preſſiſſe, quod vel ad propoſitũ eius nõ facerent, vel quod horũ profun-

Hebr. 7.

diſſimorum myſteriorum non omnes fore capaces arbitraretur. Intentio enim Pauli erat, demõſtrare Melchiſedechi Sacerdotium multo eſſe præſtãti⁹ Aaronitico; quod haudquaq̃ probãdum erat per ſacrificij dignitatẽ, qua Aarõ excellebat potius: quippè qui immolabat oues, boues, vitulos, agnos, atque id genus animaliũ: quæ ad panis viniq́; cõparationẽ in mediũ prolata, Pauli vtiq́; cauſſam deteriorẽ reddidiſſent: Itaq; miſſa hæc faciens, ſacerdotij Melchiſedechici excellẽtiam probauit à benedictiõe Aaroni adhuc in lũbis paternis cõſtituto data; atq; hinc eſt quod
Hebr. 7. verſ. 7. ſubinferẽs, dicit, *Sine vlla cõtradictione, quod minus eſt, à meliore benedici.* Patet ergo Papiſtarum Miſſam verum ac reale eſſe ſacrificiũ, quia Christus nulla alia ex cauſa eſt Sacerdos in æternũ, quã ex hoc Melchiſedechico, quod in panis ac vini oblatione cõſiſtit, ſacrificio. Liquet hoc idẽ ex eiuſdẽ Apoſtoli
Hebr. 13. verſ. 10. verbis, dum ait: *Habemus altare de quo edere non habent poteſtatem qui Moſaico deſeruiunt tabernaculo:* hoc eſt veteris teſtamenti ſacerdotes. Itaque vbi altare, ibi & ſacrificium, & vice verſa. Sunt enim hæc relatiua, quorum vno poſito, poni debet & alterũ. Quẽadmodum ergò vulgaris noſtra eſcaria mẽſa, eſui deſeruit; & piſcatorũ lanionumq́;, incidẽdis carnib⁹ piſcibuſq́; ſunt vſui; ita & altaris cõſtructio, ſacrificij tãtùm imolãdi gratia. Probauimus igitur Miſſæ ſacrificiũ diuinarũ literarũ teſtimonijs, legitimo ac genuino ſenſu à Sanctis Patribus qui intra primos ſexcẽ-

Digitized by Google

tos annos dum adhuc nullo eſſet næuo contaminata Eccleſia floruerunt, expoſitis.

CONSEQVENTER autē iā nunc ex iiſdē probabimus, idē illud ſacrificium pro viuis pariter ac defunctis eſſe offerēdum; idque his potiſſimum argumentis. Sacrificium noſtrum inſtitutum eſt loco omnium veteris Teſtamēti ſacrificiorum. At verò veteris Teſtamenti ſacrificia non ſolum pro viuis, verum etiā pro defunctis offerebātur, vti cōſtat ex Iudæ Machabæi facto *mittentis duodecim millia drachmarum argenti Hieroſolymam, offerri ea ibidē in ſacrificium pro peccatis mortuorum, benè & religiosè de reſurrectione cogitās.* Ergo & ſacrificium noſtrum pro viuis & defunctis offerendum eſt. Maiorem probamus ex Malachia, qui Iudæos alloquens, hiſce vtitur verbis: *Non eſt mihi voluntas, in vobis dicit Dominus exercituum, & munus non ſuſcipiam de manu veſtra: ab ortu enim ſolis vſque ad occaſum, magnum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum eſt nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.* Hīc dilertis verbis teſtatur Propheta omnia Iudæorum ſacrificia finem habitura; Gentibus autem relinquendum ſacrificium nouum ac mūdum, quod vbiq; omni in loco offeratur. *Sacrificium enim Deo Creatori*, inquit Apoſtolorum diſcipulus B. Martialis, *offertur in ara non homini, neque Angelo. Nec ſolum in ara ſanctificata, ſed vbique*

CAPVT XXXIV.

2. Machab. 12. verſ. 43.

Malach. 1.

Epiſt. ad Burdegalēſ. cap. 3.

offertur Deo oblatio munda , *ſicut teſtatus eſt, cuius corpus & ſanguinem in vitam æternam offerimus*. Rectè itaq; D. Hieronym. adſerit, ſacrificium illud quod noſtri offerũt Sacerdotes, eſſe Iudaicorum loco ſacrificiorum: dicit enim immolari Deo hoſtiam mundã in cæremonijs Chriſtianorum. Neq; enim quẽquam antiquorum reperies Patrum, primis ſexcentis annis exiſtentium, qui hunc Malachiæ exponens locum, per oblationem mũdam non intelligat puriſſimum illud ſacroſanctæ Miſſæ ſacrificiũ, in quo immaculata Chriſti, qui peccatũ nõ fecit, caro, Deo Patri in odorẽ ſuauitatis offertur: Hinc præclarè B. Auguſtinus: *Ecquid*, inquit, *tã mundũ pro mũdandis vitijs mortaliũ, quàm ſine vlla cõtagione carnalis cõcupiſcentiæ, caro nata in vtero, & ex vtero virginali? Ecquid tam gratè offerri & ſuſcipi poſſet, quàm caro ſacrificij noſtri, corpus effectum ſacerdotis noſtri?* Similiter & D. Irenæus; *Chriſtus*, inquit, *noui Teſtamenti nouam docuit oblationem, quam Eccleſia ab Apoſtolis accipiens, in vniuerſo mundo offert Deo, ei qui alimenta nobis præſtat, primitias ſuorum munerum in nouo Teſtamento, de quo in duodecim Prophetis Malachias ſic præſignificauit. Non eſt mihi voluntas in vobis &c. manifeſtiſſimè ſignificans per hæc, quoniam prior quidem populus ceſſauit offerre Deo: omni autẽ loco ſacrificium offertur Deo, & hoc purum.*

Hier. in cap. 1. Malach.

Tom. 3. li. 4. de Trin. cap. 14.

Lib. 4. cap. 32. 33. 34.

Augu-

Digitized by Google

Auguſtinus quoque hunc eundem exponens locũ, ita tandẽ concludit: *Vide quàm luculenter, quamq́ dilucidè myſticã interpretatus eſt mẽſam, quæ eſt incruẽta hoſtia. Thymniama verò purum appellat ſacras preces, quæ poſt hoſtiã offeruntur. Vides vt vbiq; locorũ conceſſum eſt angelicum iſtud ſacrificiũ inclareſcere?* Ad pſal. 95.

Et alibi, *Hoc*, inquit, *ſacrificiũ per ſacerdotes ſecundũ ordinẽ Melchiſedech cũ in omni loco à ſolis ortu vſq; ad occaſum Deo iam offerri videant: ſacrificiorũ Iudæorum, de quibus dictũ eſt: Non eſt mihi volũtas in vobis, iã ceſſare, negare nõ poſſunt, aut aliũ Chriſtum exſpectant.* Vide eundẽ lib. 19 de Ciuit. ca. 23. In oratione contra Iudæos ca. 9 Et in pſal. 33. itẽ pſal. 106. in illa verba: *Poſuit deſerta in ſtagna aquarum.* Lib 18. de Ciuit. Dei cap. 35.

Sed iã B. Iuſtinum audiamus, qui cũ Triphone Iudæo hiſce de verbis diſputãs; *De noſtris*, inquit, *Gentiũ, quæ in omni loco offeruntur, ſacrificijs, hoc eſt, pane Euchariſtiæ, & poculo ſimiliter Euchariſtiæ, iam tum locutus Malachias prædixit, nos quidẽ glorificare nomẽ eius, vos aũt profanare &c. à nemine ſanè Deus hoſtias accipit, niſi à Sacerdotibus ſuis. Vniuerſos igitur, qui per nomen ipſius ſacrificia offerunt, quæ Chriſtus Ieſus fieri tradidit, hoc eſt in Euchariſtia panis & calicis, quæ in loco omni à Chriſtianis fiũt, præuertẽs Deus, gratos ſibi eſſe teſtificatur.* Nemini ergo dubium eſſe po- Dial. cum Triphone.

 teſt,

teſt, quin Malachias de noſtri loquatur altaris nō autē de crucis aut orationis ſacrificio: ſed de illo omninò ꝙ Chriſtus in vltima inſtituit cœna, accipiēs panē & vinum. Cætera .n. Iudæorum ſacrificia huius tātum figura & typus erant: quod idcircò tum pro viuis tum pro defunctis offerēdum, Apoſtoli nō tā verbis q̄ re ipſa docuêre tradiderêque. Hinc etenim in omnibus tā Græcorum q̄ Latinorum Liturgijs, pro viuis ac defunctis perpetuus orādi vſus promanauit. Neq; ſolum illi, ſed & Syri, AEgypti, Chaldæi, Arabes, AEthiopes, vti ſupra dictum, idē ſemper factitarunt: multo verò magis nos Latini, q ab Apoſtolo Petro, quēadmodum B. Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus, in octauo Toletano Cōcilio tum ob vitæ ſanctimoniā, tū ob eximiā eruditiōis laudē mirè cōmendatus, teſtatur, Miſſæ peragēdæ ritum ac cæremonias cōſecuti ſumus. Chriſti ergo mādato ac voluntate, per Apoſtolos hæc Chriſtiano innotuêre orbi.

Lib. 1. Officior. Eccleſiaſt. cap. 17. Canone 2.

De quo quidē Sāctiſſimo Miſſæ ſacrificio, in hunc modū B. Cyrillus Hieroſolymorum Patriarcha: *Poſtq̄,* inquit *cōfectum eſt illud ſpirituale ſacrificium, ſup ipſa ꝓpitiationis hoſtia, obſecramus DEVM ꝓ cōmuni Eccleſiarum pace, pro trāquillitate mundi, ꝓ Regibus, ꝓ militibus, pro ſocijs, pro ægrotis & afflictis: & in ſumma, pro his omnibus qui egent auxilio, cū hoc ſacrificium offerimus: Poſtea facimus mentionē etiam eorum, qui ante nos obdormierunt: maximum credentes eſſe animarum iuuamen, pro quibus offer-*

Catecheſi quinta.

offertur obſecratio ſancti illius & tremēdi, quod in altari poſitum eſt, ſacrificij.

CAPVT XXXV.

HIS itaq; ex ſacrarum literarum promptuario Patribuſq; productis, ſubiungā iam nunc duas inſignes ſanè ex B. Gregorio (huius enim ſanctiſſimi viri auctoritati multum multúmque tribuere videris, quippe quem non ſemel contra me allegaſti) petitas hiſtorias; ex quibus & antiquiſſimum Eccleſiæ vſum, & admirabiles liturgici noſtri ſacrificij fructus plenius cognoſcas. Exponens itaque Euāgelium Lucæ 14. de relinquendo patre ac matre, cruceque aſſumēda, refert de quodā cuius vincula ſoluebātur in captiuitate quotiens ab eius coniuge oblatæ fuiſſent hoſtiæ pro animæ eius abſolutione. Quo exēplo Ioānes eleemoſynarius, Leōtio teſte, ſuos quoq; exhortabatur ſubditos pro defunctis fideliter Dominū orare, ac Miſſæ ſacrificium offerre. Similiter & Beda, qui ab eximia cum fide tum probitate Venerabilis cognomen inuenit fratrē Regis Merciorum Edifredi in prælio magna ſuorū cum ſtrage fuſum fugatumq; cōmemorat. Inter quos & adoleſcēs nobilis Imma cecidiſſe ferebatur; ꝓ cui⁹ ſalute cū frater germanus Iunna Presbyter ſępe ſacris operaretur, factū eſt vt vinciri cōpedibus ab hoſte, à quo amicis inſcijs alio aſportatus erat, nequiret. Vnde poſtmodū ad fratrē rediēs, expoſito qđ incōmodi, qđ ve cō modi ꝑ illud accidiſſet, deꝓhēſū eſt illis maximē tēporib⁹ ſoluta illi fuiſſe vincula quib⁹

Hom. 37. & lib. 4. Dial. cap. 57.

In eius vita apud Sur. 3. Februar.

Lib. 4. Hiſtor. Anglic. cap. 22.

Digitized by Google

pro eo fuerāt Miſſarum celebrata ſolemnia. Quo Chriſtianæ Miſſæ vſu teſtatur Beda, multos qui hoc ab illo ipſo Imma audierūt, fide accēſos ad offerēdas Domino pro ſuorū ereptione, qui de ſeculo migrarant, ſacræ oblationis victimas. Intellexerūt enim, ait eodē capite, quā ſacrificium ſalutare ad redēptionē valeret & animæ & corporis ſempiternā: vnde rectè inferēs Gregorius; ait: *Hinc ergo fratres, hinc certa cōſideratione colligite, oblata à nobis hoſtia ſacra quantū in nobis ſoluere valeat ligaturā cordis, ſi oblata ab altero potuit in altero ſoluere ligaturā corporis.* Alterū verò exemplū idē Gregorius hiſce cōmemorat verbis. *Agathus Panormitanus Epiſcopus, ſicut fideles mihi ac religioſi viri multi teſtati ſunt atq; teſtantur, cū beatæ memoriæ Pelagij antecesſoris mei tēpore iuſſus eſſet venire Romā, vim nimiæ tēpeſtatis pertulit, ita vt ſe ex tanto vndarū periculo poſſe euadere diffideret. Nauta verò illius Baraca nomine qui nūc eiuſdē Eccleſiæ clericatus officio fungitur, poſt nauē carabū regebat, ruptoq; fune, cū eodem carabo quem regebat, inter vndarū cumulos repētè diſparuit. Nauis aūt cui Epiſcopus præerat, tandē poſt pericula ad Oſticā inſulā fluctibus quaſſata pervenit. Cumq; die tertio Epiſcopus nautā qui ab eo abreptus in carabo fuerat, in nulla maris parte videret apparere, vehemēter afflictus, mortuum credidit; ſed pro obſequiū charitatis viuo vnū quod* mortuo

Hom. 37. in Euang.

Libr. 4. Dialog. cap. 57.

Carabus, eſt parua ſcapha, quæ maioribus adhærere nauibus ſolet.

debebat, impendit: & omnipotenti Deo pro abſolutione eius animæ offerre ſacrificium victimæ ſalutaris iubet: quo oblato, reſtaurata naue, perrexit in Italiam. Cumq́; ad Romanum portum veniſſet, illic nautam reperit quem mortuum putabat. Qui de ſingulis ab eo interrogatus, hiſce reſpondit verbis: Laborans in fluctibus atque deficiens, ſubitò mentis pondere ſum grauatus, ita vt neque vigilare me crederem, neque depreſſus ſomno eſſem: & ecce in eodem medio mari me poſito quidam apparuit, qui mihi panem ad refectionē detulit. Quem mox vt commedi, vires recepi, nec longè pòſt nauis tranſiens adfuit, quæ me ab illo vndarum periculo ſuſcepit, atque ad terram deduxit. Quod ſcilicet Epiſcopus audiens, requiſit diem, atque illum fuiſſe diem reperit, quo pro eo Presbyter in Oſtica inſula Deo omnipotenti hoſtiam ſacræ oblationis immolauit. Hactenus Gregorius, vnus nimirum ex quatuor ſanctiſſimis præſtantiſſimiſque Eccleſiæ Doctoribus, quiq; e infrà primos ſexcentos annos claruit. Vnde haud opinor hæc fabularum atque ciuilium ſomniorum te loco habiturum; maximè cum à tam fide digno auctore, cuius tempore acciderunt, literis ſint conſignata. Qui hiſtoriæ tam notabili finem imponens, tandem ſubiūgit: *Si inſolubiles culpæ nō fuerint, ad abſolutionem prodeſſe etiam mortuis ſacra oblationis victima poteſt. Sed ſciēdum tamen interim,*

Oblatio ſacrificij victimæ ſalutaris pro anima nautæ, & eiuſdem mirabilis efficacia.

quia illis ſacra victima mortuis proſunt, quæ hic viuendo obtinuerunt, vt eos etiam poſt mortem bona adiuuent quæ hîc pro ipſis ab alijs fiunt.

CAPVT XXXVI.

NONVS articulus, *De Tranſubſtantiatione panis in verum Chriſti corpus.* Quandoquidem hac de re ſuprà ad tertiam Propoſitionem, quantum ſatis eſſe queat diximus, idcircò mirari hîc tantum libet, quid vobis hæreticis in mentẽ veniat, quod Chriſtum, qui vita eſt veritas, turpiſſimi reum mendacij agentes, pro impoſtore ac nugace habeatis. Nam cùm ſit infinitæ potentiæ DEVS, omnia quæcunque vult poteſt: cùm autem æterna veritas, nihil non præſtat eorum quæ promiſit. Vnde de veritate corporis ſui in vltima loquens cœna. *Hoc eſt*, inquit, *corpus meum*. Vos autem horum inficiantes veritatem verborum, id negatis, dicentes tantùm piſtorium eſſe panẽ Chriſtus ait. *Hic eſt panis de cœlo deſcendens*, vos autem: Hic eſt panis qui artopæi extractus eſt furno. Ille: *panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita*. vos è contra; panis quidem non caro eſt, ſed deſignat, vel operit carnem. Chriſtus iterum: *Hic eſt calix ſanguinis mei qui pro vobis fundetur*, apertè ſuos edocens Apoſtolos, vinum quod iſto continebatur calice, eundem illum eſſe ſanguinem, qui in ara crucis pro humani generis

Matth. 26.

Ioan. 6.

neris ſalute foret effundendus. Vos autem: Non potus iſtius calicis noſtram operabitur ſalutem, ſed ſanguis quem denotat, atque in ſe continet. Itaque quemadmodum ſi CHRISTVS dixiſſet: accipite & comedite hic eſt panis triticeus; citra controuerſiam Chriſtum mendacem faceret is, qui hæc immutans verba, diceret: Hic panis partim eſt triticeus, partim ſiligineus. Ita non minus ille facit, qui cum pane, vel ſub pane corpus CHRISTI eſſe adſerit: Quippè qui ſuis Apoſtolis abſolutè inquit, *Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum.* Si autem panis eſt piſtorius, iam ille, & non ſacrum Chriſti corpus manducatur. Vnde per conſequens, inualida, ne dicam vana ac mendacia erunt verba quæ CHRISTVS protulit, dicens: *Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum: Accipite & bibete, hic eſt ſanguis meus.* Quibus citra vllum figuratæ locutionis modum, aut tropum intelligi voluit, nihil hîc alterius eſcarij vel cibi vel potionis eſſe; ſed ſolum ſuũ corpus & ſanguinem, quod ſub ſpecie panis ac vini editur bibiturque. Quod vt exemplo declaremus, certè nulli dubium, quin ille pecudum ſanguis, quem Moyſes olim in populum ſparſit, dicens: *Hic eſt ſanguis fœderis*, verus ac nullo alio liquore permiſtus fuerit ſanguis; ita Chriſto eadem vſurpanti verba, ac dicenti. *Hic eſt ſanguis noui teſtamenti*, fidem derogare cur audebis? *Exod. 20. ver. 8.*

Sed

Sed tu Moyſi verbis plus quàm Chriſti tribuere videris.

CAPVT XXXVII.

ARTICVLVS decimus. *De auriculare Confeſſione.* Dicite amabo ô cauillatores ac irriſores hæretici, quis vnquam Sanctorum Patrum, hoc tam inſignis contumeliæ vocabulo Pœnitentiæ Sacramentum dehoneſtauit? Certè omnibus in rebus oſtenditis, nihil vobis magis eſſe cordi, quàm vt ſingulas quaſque diuinarum rerum inſtitutiones, mordaci aliquo cachinno apud populum in contemptum adducatis, idque non ſine impudenti inſcitia; quippè qui non ignoratis, homines mutos linguæ vſu carentes, non ad aurem, ſed vel ſcriptis, vel rerum externarum iudicijs confiteri ſolitos. Vnde nos quotquot Catholici ſumus, non auricularem eam ſed ſecretam Cõfeſſionem, quòd priuatim coram Sacerdote fiat, nominamus. Sic enim olim ab ipſis vſu receptum eſt Apoſtolis, quibus reſurrectionis tempore, ſancti Spiritus afflatu peccatorum remittendorũ facultatem Chriſtus eſt elargitus, dicens: *Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt.* (Ioan. 20.) Quibus verbis omnimodam Apoſtolis eorundemque ſucceſſoribus Preſbyteris poteſtatem contulit peccata vel dimittendi vel reſeruandi, conſtituens, ſcilicet eos iudices qui in ſingulorum actus inquirerent. Vnde non abſolutè inquit, vt omnibus indifferenter peccata dimittant, ſicuti

de Ba-

Digitized by Google

de Baptiſmi Sacramento dixerat: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Sed conditionaliter: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta erunt.* Si itaque Chriſtus Apoſtolos iudices conſtruens animorum, iuriſdictionem eis commiſit, fieri certè non poteſt, vt de re aliqua quam non norunt, exactam ferant ſententiam. Vnde neceſſarium, vt quiſque ſuos ipſis cogitatus aperiat. Sic enim olim fecêre in priuatiua Eccleſia Chriſti fideles, qui cõfitẽtes & annunciãtes actus ſuos, libros quos habebant magicos vulcanijs exuſſêre flammis: quorum pretiũ iuxta Budæi calculum, ad quinque coronatorum excreuit millia. Similiter & Iacobus Apoſtolus, corporis animique ægritudine lecto defixos hortatur, vt accerſito presbytero, ſua eidem peccata confiteantur. Sic enim hunc Apoſtoli locum poſt *a* Originem, *b* Chryſoſtomus, iuxta & *c* Auguſtinus exponunt. Sanctus verò *d* Clemens, Papa ac Martyr, quem Conciliũ Vaſenſe, anno Domini 442. celebratum, ſumma cum veneratione citat, in prima ſua epiſtola cuiuſdam B. Petri conſtitutionis meminit; qua monentur Chriſtiani, nullatenus verecundari etiam interna ac ſecretiora quæque Sacerdotibus, ceu ſpiritualibus ſuis parentibus manifeſtare peccata. Sic enim quendam è Chriſtianorum numero feciſſe, ex Dionyſij Areopagitæ ſcriptis conſtat; qui acriter

Actor. 19.

Iacob. 5.

a *Homil. 2. in Leuit.*
b *Lib. 3. de Sacerdot.*
c *Serm. 66. de Tempor.*
d *Cap. 6. Tomo 1. Concil. fol. 721. edit. Colon.*

Epiſt. 8. ad Demophilũ.

Digitized by Google

acriter admodum in Demophilum inuehitur monachum, quòd peccatorem ad Sacerdotis pedes abiectum, ſcelera confitentem, illorumq́; veniam deprecantem, calce percuſſum repulerit. Superiùs quoque ex antiquiſſimo Minutio Felice cõmemoraui, Gentiles ignorãtes quid ſibi vellet iſta Chriſtianorum ad Sacerdotum genua aduolutatio, opinatos, quod eorum adorarent verenda. Refert & ipſe B. Irenęus, fęminas quaſdam in hæreſim prolapſas, ad meliorē ſeſe frugem recepiſſe, vitæq́; anteactæ flagitia, ſacramentali confeſſione expiaſſe. Tertullianus quoque in inſigni iſto opere de Pœnitentia, pluribus demonſtrat, poſt prima illa intinctionis Dominicæ monumenta, eſſe adhuc in Exomologeſi ſecunda ſubſidia: hoc eſt vt D. Hieronymus dixit, *Pœnitentiam eſſe ſecundã poſt naufragium tabulã.* Ne verò quis exiſtimaret, de interiori ſe criminum confeſſione agere, quando ſcilicet peccator Deo recogitat omnes annos ſuos in amaritudine animę ſuæ, eleganti oratione exaggerat, in quanto illi periculo verſentur, qui pudoris magis quã ſalutis memores, aut defugiunt, aut differunt ſcelera presbyteris aperire: veluti inquit, illi, qui in partibus corporis verecundioribus contracta vexatione, cõſcientiam medentium vitant, & ita cum erubeſcentia ſua pereunt. Eodẽ modo & B. Cyprian. ſcribit de nõnullis, *qui quãuis nullo ſacrificij idololatrici facinore conſtricti erant, quoniã tamen*

In Octauio.

Lib. 1. cap. 9.

Tertull. lib. de Pœnit. c. 6. 8. & 9.

Ad Demetr. de Virginit. ſeruanda.

Lib. de Lapſis.

de hoc

Digitized by Google

de hoc vel cogitauerant, hoc ipſum apud Sacerdotes Dei dolenter & ſimpliciter cõſitentes, exomologeſin cõſcientiæ faciebant, ſalutarem medelam paruis licet & modicis vulnerib' exquirentes. Multa aũt apud Tertullianum ac Cyprianum de hoc Pœnitentiæ Sacramento, quod Exomologeſin plerumque, nunquam verò Auricularem confeſſionem nominant, inueniuntur. Significat aut Exomologeſis, expreſſam peccatorum elocutionem, & ſumitur interdum ab antiquis Patribus non pro Confeſſione tantùm, ſed etiam Contritione, & Satisfactione. Origenes vt frequens eſt in commendanda hominibus confeſſione, ita dum in Pſalmum 37. commentatur, ſuadet diligenter circumſpiciendum, de prudenti ac diſcreto Confeſſore; qui non ſolum abſolutionis beneficium tibi impertiatur, verùm etiam ad inſtar medici periti ſſimi, tuæ conſulat ægritudini, animæque languori. *Qui*, inquit, *ſciat infirmari cum infirmante, flere cum flente, qui condolendi & compatiendi nouerit diſciplinam: vt ita demum ſi quid ille dixerit, qui ſe prius & eruditum medicum oſtenderit & miſericordem, ſi quid cõſilij dederit, facias & exequaris.* Idem quoq; Magnus ille conſulit Baſilius, qui ſingula quæque peccata accuratè apud Presbyterũ deponi debere aliquoties inculcat. Chryſoſtomus verò, clarè admodum diſtinguens Confeſſionem Chriſtianorũ, ab ea quæ ante baptiſmũ fieri aſſolet, ita ait: *Tempus quidem*

Homil. 2. in Leuit.
Homil. 10. in Numer.
Homil. 17. in Lucam.
In reg. fuſius diſput. reſpõſ. 26. & in qu. breu. Interrogatione 110. 229. 288.

Con-

Homil. 10. in Matth. *Confeſsionis aequè & lotis baptiſmate, & illotis profaniſq; incumbit. Illis quidem, vt poſt pœnitentia criminum vulnera, pœnitentia interueniente curentur, & ad ſacra myſteria redire mereantur. His verò, vt ablutis in baptiſmo maculis, ad dominicam menſam munda iam conſcientia accedant.* B. Ambroſius duobus libris aduerſus Nouatianos, noſtri temporis hæreticorum progenitores, eleganter antiquam Eccleſiæ de Pœnitentiæ ſacramento fidem & doctrinam propugnat: dum diſertè adfirmat, atque ex ſcripturis demonſtrat, penes Sacerdotes auctoritatem eſſe peccata dimittendi; eiuſque peccata à pœnitentibus, vt remittantur, aperiri oportere. Vbi inter cætera ſic ait: *Si vis iuſtificari, fateri delictũ tuum: ſoluit enim criminum nexus, verecunda confeſsio peccatorum.* Itemque: *Non vult,* inquit, *Deus vt inſultet tibi diabolus, & celantem peccata tua arguat: præueni accuſatorem tuũ: ſi te ipſe accuſaueris, accuſatorem nullum timebis: ſi te detuleris ipſe, etſi mortuus fueris, reuiuiſces: exi foras, delictum tuum prode vt iuſtificeris, ore fit confeſsio ad ſalutem.* Et alibi: *Non ſolum poſt pœnitentiam ab iſtis peccatis intus homo obſeruare ſe debet, ſed & ante pœnitentiã; dum ſanus eſt. Quia neſcit homo ſi poſsit pœnitentiam accipere, & confiteri Deo, & Sacerdoti peccata ſua.* Idem quoque ſcribit multos fuiſſe, qui libenter priuatim Sacerdo-

Lib. 2. de Pœnit. ca. 6.

Cap. 7.

Exhortat. ad pœnit. agẽd.

cerdotibus cõfitebantur, ſed publicè in Eccleſia ſatisfacere recuſabant: *Plerique*, inquit, *futuri ſupplicij metu peccatorum ſuorum conſcij, pœnitentiam petunt: & cum acceperint, publicæ ſupplicationis reuocantur pudore*. Ipſum etiam S. Ambroſium Confeſſiones audire ſolitum, & quidem priuatim, idque tam effuſis interdum lachrymis, vt & ipſos confitentes flere compelleret, teſtis eſt eius Presbyter Paulinus, his verbis: *Quotieſcunque illi aliquis ob percipiendam Pœnitentiam lapſus ſuos confeſſus eſſet, ita flebat, vt & illum flere compelleret: videbatur etiam ſibi cum iacente iacere: Cauſſas autem criminum, quas illi confitebantur, nulli niſi Domino ſoli, apud quem intercedebat, loquebatur*. Sed & Auguſtinus feriò illis qui alterius violato thoro, matrimonij iura violauerant, inculcat; vt condignam ſuis facinoribus pœnitentiam, pro inueterata Eccleſiæ conſuetudine, facere non detrectent: ſic enim ait. *Qui poſt vxores veſtras illicito vos coitu maculaſtis, ſi præter vxores veſtras cũ aliqua cõcubuiſtis, agite pœnitentiã qualis agitur in Eccleſia, vt oret pro vobis Eccleſia. Nemo ſibi dicat, occultè ago pœnitentiam, apud Deum ago: nouit Deus qui mihi ignoſcit, quia in corde ago. Ergò ſine cauſa dictum eſt*: Quæ ſolueritis in terra, ſoluta erunt in cœlo? *Ergo ſine cauſſa ſunt cla-*

Lib. 2. de Pœnit. c. 9.

In vita S. Ambroſ.

Homil. 49. inter 50. c. 9.

Digitized by Google

ues data Eccleſiæ Dei? Fruſtramus Euangelium Dei, fruſtramus verba Chriſti? promittimus vobis, quod ille negat? Item: *Deus,* inquit, *noſter, quia pius eſt & miſericors, vult vt ea cōfiteamur in hoc ſeculo, ne pro illis confundamur poſtmodum in futuro.* Pacianus Barcilonenſis Epiſc. qui An. Domini 380. in Hiſpania floruit, increpat illos, qui præpoſteri timoris metu, à peccatorum ſuorum detectione impediebantur; quos hiſce conueniens verbis alloquitur. *Vos primum appello, qui criminibus admiſſis Pœnitentiam recuſatis, vos inquam, poſt impudentiam timidos, poſt peccata verecundos: qui peccare non erubeſcitis, & erubeſcitis confiteri.* Et infrà: *Ecce iterum Apoſtolus ad ſacerdotem: Manus nulli citò imponas, nec communices peccatis alienis. Quid facies tu, qui decipis Sacerdotem? qui aut ignorantem fallis, aut non ad plenum ſcientem, probandi difficultate confundis?* Quo loco, Pacianus docet omnia oportere Sacerdoti peccata in Cōfeſſione detegi, vt his tutò manus imponere poſſit. De Beato Eutychio, Patriarcha Conſtantinopolitano teſtatur Euſtathius eius Presbyter, quod Apoſtatam quendam Monachum à dæmone obſeſſum, peccata ſua confitentem liberauerit. Hinc eſt quod S. Eligius, Nouiomenſis Epiſcopus, qui vixit circa annum Domini 665. in hunc modum ſcripſerit: *Non pote-*

Homil. 12. interrog. 50.

In Paræneſi ad Pœniten.

In vita eius apud Sur. Tom. 2. Apr. lib. 6.

Digitized by Google

poterit iam peccator, inquit, *excuſari, qui Confeſſionem (per quam venia naſcitur) non properauit amplecti, ne poſſet reus gemino crimine detineri; dum primò legem contempſit vt delinqueret, & Confeſſionis remedia amplecti noluit vt periret.* Euſebius Cæſareenſis ſcribit Philippum Imperatorem, Chriſtianum quidem fuiſſe, verùm varijs peccatorum coopertum flagitijs; qui dum Eccleſiam ingredi conaretur, repulſam à Fabiano Pontifice paſſus eſt, donec per ſalutare Confeſſionis remedium, ſcelerum ſuorum ſordes expiaſſet. Hi igitur Sanctiſſimi Patres, alijque ſexcenti quos in hac cauſſa producere, ſi opus, liceret, diſertis teſtantur verbis, atque vnanimi conſenſu; primis quingentis annis vſitatiſſimum in Eccleſia Catholica fuiſſe, immò Chriſti lege præceptum, quemque ſua Sacerdoti, vtpotè Chriſti vicario ac iudici oportere confiteri delicta. Quod vt decentius, maiorique cum fructu fieret, deputati ad hoc audiendarum confeſſionum munus erant, vti & hodie, nonnulli ex doctioribus diſcretioribuſque Presbyteris, quos *Pœnitentiarios* nominabant; viri non ſolùm in danda abſolutione timorati, ſed & idonei qui peccatores ſalubriter ſuorum commonefacerēt delictorum, eoſq; accuratiori examine cōuenirent, & quomodo tentationib⁹, prauiſq; animi affectionib⁹ viriliter reſiſterēt, edocerēt. Qui quidē Pœnitētiarij, quonā potiſſimum modo tanti momenti negotium

Homil. 11. exſtant. Tō. 2. Biblioth. SS. Patrum per Margarinum de la Bigne collecta.

Lib. 6. hiſtor. cap. 27.

Socrat. lib. 5. cap. 19. Niceph. lib. 12. c. 28.

Digitized by Google

Canon.102. ritè exequi debuerint, tam ex decretis Sextæ Synodi, quæ à Græcis ante annos circiter C.M. condita ſunt, quàm ex VVormatienſis,
Cap. 25. quod anno Domini DCCC. LXVIII. in Germania celebratum eſt, inſtituuntur. Vnde iam vides, luce meridiana clariùs eſſe, ex his alijsſque ſimilibus Confeſſionem auricularem (vtar enim hoc contumelioſo à te excogitato nomine) non pro nouo aliquo habendam figmento, ſed pro re antiquiſſima. Qui enim fieri aliâs potuiſſet, tantæ difficultatis ac ſollicitudinis negotium, vt eſt peccata omnia diſtinctè ſacerdoti cũ pudore ac rubore confiteri, illius ſeſe voluntati increpationique vltrò ſubijcere, pœnitentiam quantumcunq; arduam ſuſcipere, per vniuerſum terrarum orbẽ non ſolum à plebeis ac vulgaris conditionis hominibus, verùm etiam à Principibus, Regibus, potentiſſimiſque Monarchis acceptatum fuiſſe, ſi non ex Chriſti inſtituto ad manus noſtras perueniſſet? Ecquis enim rem tam tetricam, ac parum gratam, vniuerſo hominum generi perſuadere vel potuiſſet, vel vnquam tentare auſus fuiſſet?

CAPVT XXXVIII.

ARTICVLVS vndecimus, *De Indulgentijs*, ſeu peccatorum condonationibus agit. Poſſunt & hæ ex ſacris comprobari literis, illis nimirum quibus Petro claues regni cœlorum, ligandiq; ac ſoluendi pote-
Matth.16. ſtas à Chriſto cõmittitur. Vnde qa multi ex vobis cachinnis cauillisq; ſuis indulgentiarum,

rũm,quas ignorãt,vſum irrident; operæ pretium fuerit,ſecundum genuinum ſcripturarum ſenſum,receptamq́; Eccleſiæ primitiuæ conſuetudinem,earundem vim & originem paucis explicare. Sciendum itaq; per quodlibet mortale peccatum duo grauiſſima homini accidere mala. *Primò* quidem, quod propter commiſſam culpam, inimicus Dei ſit effectus, dignuſq́ue qui beatifica diuini vultus fruitione in æternum careat, propterea quod à Deo per peccatum ſe alienum reddiderit. *Secundò* quod ſe ipſum pœnis ſempiternis, quæ diuina iuſtitia peccatoribus infligit, illiſq́ue qui voluptatibus ſuis cœleſtium præceptorum iuſſiones poſthabuêre,obnoxium fecerit. Atque hinc Dominus per Hieremiam; *Duo*, inquit, *mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt ſibi ciſternas: ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas*. Sæpè autem numero contingit, quod peccator cum Deo in gratiam rediẽs, atq; æternas gehennæ pœnas euadens, reatum tamen non ſimul cum culpa aboleat: veluti ſi quis alteri irrogârit iniuriam,detrahendo, furando, conuitiando,reconciliatur quidem cum illo quem læſit, atque in priſtinum amicitiæ gradum recipitur;ita tamẽ vt obligatus maneat ad honoris,famæ, reique ſublatæ reſtitutionẽ.Sic primus humani generis parens, poſt lapſum à delicto ſuo,vt inquit Salomõ, eductus eſt; at nihilominus per eius tranſ-

Hierem. 2. ver. 13.

Sap. 10. ve. 1.

greſſionem tam ipſe, quàm totum humanum genus & mortis & aliarum plurimarum miſeriarū pęnas luit, quas indies etiamnum experimur. Similiter & Moyſes incredulitatis ſuæ, qua impoſſibile fore arbitrabatur dura ſilice largioris aquæ hauſtum populo ſitienti eliquare, veniam obtinuit; remanente interim graui iſta culpa, qua prohibitus eſt, terram promiſſionis lacte ac melle manantem ingredi. Tum & germana ei⁹ Maria, excluſione ſeptem dierum è caſtris, murmurationis ſuæ, poſt dimiſſam tamen culpam, pęnas dedit. Dauidi quoque, alterius violanti thorū, atq; Vriæ necę fallacibus litteris procuranti, à Propheta dicitur, Dn̄m quidē tranſtuliſſe peccatum eius, adeò vt mortis ſententiæ ſit ereptus, veruntamen & filium qui ex hoc adulterino natus erat coniugio, morte pęnas luiturū, & ſe Abſalonis filij gladio profligatum iri. Quæ vt in veteri teſtamento accidêre, ſic hæc eadē nobis quotidiè vſu veniunt, vt dimiſſa ſcilicet culpa, pœnæ reatus adhuc maneat. Interim verò tā per meritum Domini noſtri IESV Chriſti, quā per Sacramentorū applicationę, clauiumq; Eccleſię cōmiſſarum poteſtatem, largior nobis remittendorū peccatorum donata eſt facultas; adeò vt Apoſtolis, eorundemq; ſucceſſoribus, Chriſtus authoritatem dederit, non ſolùm culpas delictorum, verùm etiā pęnas condonandi: quoties id ad commodum vel Reip. vel ad ſalutē priuatorum, operæ pretium

Num. 20. *Num. 12.* *2. Reg 12. verſ. 13.*

tium arbitrarentur. Quam quidem auctoritatem Paulus agnouit, qui audito inſigni dolore fornicarij, quem ipſe Sathanæ puniendum tradiderat, diriſq; deuouerat, *ne abundantiore triſtitia abſorberetur*, benignè ei indulſit, & condonata omni pœna, gratiosè in Eccleſiæ gremiũ recepit. Et hoc eſt quod indulgentiarũ nomine intelligi debet. Indulgentias enim vocamus remiſſiones pœnarũ, quæ ſæpè remanent luendæ, poſt remiſſionẽ culparum, & reconciliationẽ in Sacramẽto pęnitentiæ adeptã: quas remiſſiones Põtifices ex paterna lenitate & compaſſione in filios ſuos, compatientes eorum infirmitati, certis tẽporibus, non ſine iuſta tamen & rationabili cauſſa, cõcedere ſolent. Cauſſę autem indulgendi fuerunt olim variæ. Nã perſecutionis ingruente tẽpore, ne pœnitentes Sacramẽtis deſtituti (quæ eis ante peractam pœnitentiã rarò adminiſtrabãtur) in hoſtes fidei inciderẽt, ijſq; non ſatis viriliter gratiã Sacramẽtorũ, maximè verò cęleſtis illi⁹ alimenti, ꝗ in ſacra Euchariſtia cõfertur pabulo, reſiſterẽt; hinc ꝓmoti Epiſcopi, eis de iniunctis pęnitentijs remittere quicꝗ̃ ſolebãt, eaſq; vel pro parte minuere, vel totaliter ꝓ ſua diſcretione relaxare, ſicq; ante legitimũ ꝑſcriptę pęnitẽtiæ peragendę tẽpus, pro reorum dolore ac cõſtantia, indulgẽtiùs agere. Quod tunc potiſſimũ fiebat, quando preces Martyrũ intercedebãt; qui carcerib⁹ detenti, pro Chriſti fide tormenta paſſi erant (hos

1.Cor. 15.

2.Cor. 2.

etenim appellabant martyres etiam ante mortem; ſicut Confeſſores, qui pro fide vincti tenebantur.) Si quidē lapſi & pœnitentes ad hos Martyres non rarò recurrebāt, ab eiſq́ue ſupplices libellos ad Epiſcopos pro obtinenda venia impetrabāt. Quibus acceptis, Epiſcopi frequenter ad dandam veniam inducebātur, tum propter Martyrum dignitatem, qui tanquā nobiliſſima Eccleſiæ mēbra exaudiri merebātur; tum quod ſuorū cruciatuum lapſos pœnitentis cuperent eſſe participes. Sciebant enim martyrum merita poſſe communicari pœnitentibus, & acceptari paſſiones eorum pro ſatisfactione, quæ lapſis deerat. Liquet hoc vt ex Patribus, ſic ſacris diuerſorum tam Generalium quā Prouincialium Conciliorum canonibus ac decretis. Nam in Ancyrano quod ante Nicænū an. 316. in Galatia celebratum eſt, Diaconi in idololatriæ peccatum perſecutionis tēpore prolapſi, à miniſterij ſui functione ſuſpenſi, certæ pœnitentiæ deputantur; *niſi fortè aliqui Epiſcoporū conſcij ſint laboru eorū, & humilitatis, & manſuetudinis, & voluerint eis aliquid amplius tribuere vel adimere; penes quod de his erat poteſtas.* Similiter & his qui de idolothytis mãducauerant, ſua ibidē præfinitur pęnitentia, additurq́; : *Epiſcopū hāc habere licentiā, vt perſpecta ſingulorū conuerſatione, normāq; regulamq; cōuerſationis attribuat: id eſt, aut humanius agens, ſecundū vitæ modū,*

Cap. 2.

Cap. 5.

tempus

tempus alicui pœnitentiæ breuiet; aut etiam prolixius, quod correctioni neceſſarium viderit, addat. Concilium quoque Nicænum primum, cui tot ſanctiſſimi interfuère Epiſcopi, trecenti nimirum & octodecim, canone 11. vel (vt alia editio habet) 12. ſtatuit, vt qui ſeriò pœnitentiam agunt, poſſint indugentiam aliquam ab Epiſcopo obtinere, *cui licebit de his aliquid humanius cogitare*: negligentiores autem iubet idem Concilium definitum pænitentiæ tempus explere. Quid autem hoc eſt, niſi prioribus aliquid, poſterioribus nihil indulgere? Similiter & in Neocæſarienſi Concilio certa præſcribitur pœnitentia his qui frequenter vxores ducunt, aut nubunt; quorum tamen tempus per Epiſcopum, ſi conuerſatio & fides eorum id mereri videbitur, abbreuiari permittitur. Idem quoque in Concilio Herdenſi anno Domini 524. in Hiſpania celebrato, conſtitutum eſt: vt nimirum Sacerdotes, in fœdæ carnis vitium prolapſi, condignam reatus ſui pœnitētiam peragant, *ita tamen vt in poteſtate Epiſcopi ſit eoſdem vel veraciter afflictos, non diu ab altaris ſacri miniſterio ſuſpendere, vel deſidioſos prolixiore tempore ab Eccleſiæ corpore ſegregare.* Eadem quoque de agendæ certæ pœnitentiæ indulgentia ac relaxatione inuenies in Concilio Laodicenſi anno 364. habito. Nec non & in quarto generali Chalcedonenſi, quod anno 454 celebratum eſt. Item in Agathenſi, & Epaunenſi: quorum hoc in Burgundia

Can. 11. 12.

Cap. 3.

Cap. 5.

Cap. 2.
Act. 5 ca. 16.
Cap. 2.
Can. 60.
Can. 29.

Digitized by Google

anno 517. alterum in Francia anno 506. coactum eſt.

a *Ad Martyr. Videat Lector. Confeſſion. Tertulliani & Cypriani lib. 4. cap. 10. artic. 3.*

Interim quoque exſtant a Tertulliani ac Cypriani qui non longè poſt Apoſtolorum tempora floruêre, de relaxatione pœnæ, quã Epiſcopi ad Martyrum interceſſionem pœnitentibus indulgebãt, apertiſſima teſtimonia. Atque ita etiam vetus Eccleſia ad meritorum theſaurum reſpiciebat, cùm indulgẽtias daret. Hinc etenim eſt quod Tertullianus, Patrum Latinorum ferè primus, concedens poſſe ad preces Martyrum indulgeri lapſis reconciliationem, ita ait: *Quam pacem quidam in Eccleſia non habentes, à Martyribus in carcere exorare conſueuerunt; & ideo eam etiam propterea in vobis habere, & fouere, & cuſtodire debetis, vt ſi fortè & alijs præſtare poſſitis.* Ipſe quoq; Sanctiſſimus Martyr Cyprianus lib. 3. Epiſt. 15. quæ in editione Pameliana eſt 11. ſcribit ſanctis Martyribus, qui pacem lapſis dari petierãt, eoſq; monet, vt cautè & cum delectu lapſos commendent Epiſcopis. *Petitiones*, inquit; *& deſideria veſtra Epiſcopo ſeruent, & ad pacem vobis petentibus dandam, maturum & pacatum tempus expectent.* Et alibi. *Qui libellum à Martyribus acceperunt, auxilio eorum adiuuari apud Dominum poſſunt.* Idem in Sermone de lapſis, extremo: *Pœnitenti*, inquit, *operanti, roganti poteſt clementer ignoſcere, poteſt in acceptum referre, quicquid pro talibus & petierint Martyres, & fecerint Sacerdotes.* Hæc ille. Non

Cap. 1. in lib. ad Martyr.

Epiſt. 14. edit. Pam.

Digitized by Google

le. Non eſt autẽ credibile, pœnitentes ambiuiſſe patrocinia Martyrum in carceribus cõſtitutorũ, quando integram pœnitentiã peragere volebant; ſed quando pacem, id eſt abſolutionem & communicationem ſibi dari cupiebant, non peracta integra pœnitentia: proinde à Martyribus petebant, vt ſibi ab Epiſcopis partem pœnitentiæ condonari, hoc eſt, *indulgentiam* dari precarentur. Hoc autẽ vt moderatè Martyres agerẽt, ne aliquis ſubreperet abuſus, Cyprianus datis ad eos literis, cupiebat. Cuius quidem ætate duæ exortæ ſunt hæreſes occaſione reconciliationis lapſorum, Vna Nouatianorum, qui nullos lapſos volebant in gratiam poſſe recipi. Altera his prorſus contraria, cuiuſdam Feliciſſimi, qui promiſcuè omnes admitti iubebat, ſine vlla vel exomologeſi, ſeu Confeſſione, vel ſatisfactioneve. Vtramque autem impugnat B. Cyprianus, media nimirum via cum Catholica ac Romana incedens Eccleſia; quæ contra Nouatianos recõciliat lapſos pœnitentes, & contra Feliciſſimum, nõ ſine Confeſſione & ſatisfactione eoſdem recipit. Quam tamen ſatisfactionẽ etiam tunc eadem Eccleſia moderari ſolet, inducta Martyrum precibus; vt hac ratione ad ſacram admiſſi Synaxim, aduerſus quaſuis ſeuæ perſecutionis procellas, muniri ac roborari efficacius poſſent. Qua de re idem Cyprianus alibi agens, inter cætera ſic ait; *Quos excitamus & hortamur ad prælium,*

non

Lib 1. Epi. 1. ad Cornel.

non inermes & nudos relinquamus: ſed protectione corporis & ſanguinis Chriſti muniamus: cùm ad hoc ſit Euchariſtia, vt poßit accipientibus eſſe tutela, quos tutos eſſe contra aduerſarios volumus, monimento Dominica ſaturitatis armemus. Innocentius quoque I. *de Pœnitentibus*, inquit, *qui ſiue ex grauioribus, ſiue ex leuioribus pœnitentiam gerunt, ſi nulla interueniat ægritudo, quinta feria ante Paſcha eis remittendum, Romana Eccleſiæ conſuetudo demonſtrat. Cæterùm de pondere æſtimando delictorum, Sacerdotis eſt iudicare, vt attendat ad Confeßionem pœnitentis, & ad fletus atque lachrymas corrigentis, ac tum iubere dimitti, cùm viderit congruam Satisfactionem.* Itaque qui ægritudine corporis detinentur, ab Innocentio excipiuntur; quippè quibus citius indulgebatur, vti conſtat ex reſponſione legatorum Pontificiorum actione I. Generalis Concilij Chelcedonenſis. Vides ergo hinc vetuſtiſſimum Catholicæ Eccleſiæ vſum, quæ nec cuiquis, nec paſſim, peccata poſt baptiſmum commiſſa relaxabat, niſi & Confeſſio oris, & operis Satisfactio accederet; tantùm abeſt quod veſtro Lutherano more, ſolam fidem ſatis huic eſſe negotio arbitraretur. Oportebat enim & exomologeſi, & ſeptem interdum octouè annorum pœnitentia peccata expiare. Qua de re hunc in modum Tertullianus. *Satisfactio Confeßione*

Epiſt. 1. ad Decent. Epiſ. Eugubin. ca. 7.

Digitized by Google

ſione diſponitur, Confeßione pœnitentia naſcitur, pœnitentia Deus mitigatur. Itaque Exomologeſis proſternendi & humilificandi hominis eſt diſciplina, conuerſationē iniungēs miſericordia illicem. De ipſo quoque habitu atque victu mandat ſacco & cineri incubare, corpus ſordibus obſcurare, animum mœroribus deijcere, illa, quæ peccauit, triſti tractatione mutare, &c. Conſidera ergo quos, & quales Pœnitentiales Canones, legitimæ peragendæ pœnitentiæ ritus & mores, tam ſupradicta Concilia, quàm veterum Patrum monumenta præſcribant, ac poſteritati relinquant. Maximè vero attendere te velim, ad *canonicam Epiſtolam* Gregorij Neocæſareenſis in Ponto Epiſcopi, qui doctrina ac ſanctitate illuſtris, ob plurimorum celebrium miraculorum, quæ cum eximia Eccleſiarum gloria perpetrauit, frequentiam, taumaturgi nomen primus inuenit: Nec non & ad illa quæ B. Petrus Alexandrinus, de his qui perſecutionis detonante procella, à Chriſtianæ fidei conſtantia turpiter deſciuêre, ſcripta reliquit. Habes & ſecundò, quod non obſtante quantumcunque magna atque ardua peragendæ pœnitentiæ difficultate (cui qui grauius deliquerant, non inuiti ſeſe ſubijciebant) Epiſcopi tamen humana moti compaſſione, ac reorum contritione nonnunquam eis magnam pœnitentiæ partem, immò interdum totam remittere ſoliti ſint. Quod quid aliud eſt,

Cap. 9. libr. de Pœnis.

Vide Can. 2. Conc. 6. Tō. 3 Biblioth. Sacra. Ibidē Tō. 2.

eſt, quàm *indulgentia* ſeu peccatorum condonatio? Nam quemadmodum Principes ſeculares, quorum eſt ex iuſtitia ſontes plectere, ſubinde vel mitiorem pœnam infligunt, vel totam remittunt: immò quandoque reſeratis carceribus, vinctos omnes larga indulgentia ſoluentes, eoſdem in priſtinam libertatem reſtituunt: maximè quando vel inaugurantur, vel inſueti alicuius gaudij ſigna publicè exhibent: eodem modo & Chriſtianæ Eccleſiæ Prælatis cum ſuis ſubditis ac pœnitentibus agere licet. Non enim minor illis in animas fidelium data eſt poteſtas, quàm Principibus in corpora, vtpote quibus dictum eſt; *quæcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo.*

CAPVT XXXIX.

VERVM enimuerò, his fortaſſis oppones; quod Eccleſiarum Prælatis nulla ſit alia conceſſa facultas, quàm vt eaſdem illas pœnitentias quas hominibus impoſuerunt, iiſdem rurſus adimant; Chriſti autem ſatiſfactionem, ſoluendis omnibus pœnarum debitis adundè ſufficere. Addes & illud, quod Pœnitentiæ agendæ inſtitutum, Pontificium ſit inuentum, quo ſino, à Chriſto Saluatore noſtro plenaria peccatorum omnium queat haberi abſolutio, quippe cuius merita infiniti ſunt valoris. Ad quæ quidem tria reſpondeo. *Primò*, nullam omninò fieri, niſi per Chriſti merita ac ſatiſfactionem peccatorum remiſſionem; quibus

bus omnes noſtræ actiones, omnia virtutum opera ac ſtudia tanquā primario fundamento ac ſolidiſſimæ baſi innituntur: quęque nobis ſunt adinſtar iſtius altaris aurei, de quo Ioannes in Apocal. cui ſanctorum omnium orationes ab Angelo erant impoſitæ, de quo fumus incenſorum aſcendebat coram Deo. Quod non de nouo tantum Teſtamento, ſed & de quauis ætate intelligi debere certum eſt. *Secundò*, Chriſtum duo potiſſimum Sacramenta, quæ ad peccatorum remiſſionem facerent, inſtituiſſe; Baptiſmum nimirum, & Pœnitentiam. Inter quæ tamen diſcrimen non exiguum. Nam in Baptiſmi Sacramento, præterquam quod originale peccatum remittitur, gratiaque ne iam nobis concupiſcentia noceat, confertur; etiam omnia actualia, omniſque pœna eis debita condonantur: adeò vt & vetus homo aboleatur, & noua fiat in Chriſto creatura. Per Pœnitentiam autem neque originale aufertur peccatum, neque vlla alia dimittuntur ſine noſtra opera ac labore. Non quidem quod Chriſto id facere impoſſibile ſit, ſed quod homini ad lapſum prono, haud conducat, tam facili conatui citra pœnitentiam vllam ſuorum obtinere veniam peccatorum. Vnde in Eccleſia tribunal erigens, certos in eo conſtituit Iudices, qui ſingulorum auditis exceſſibus, eos Deo reconciliarent, atque ex filijs diaboli filios Dei vi abſolutionis efficerent: iniun-

Apoc. 8.

iniuncta tamen cuique ſalutari pœnitentia, per quam pœnas illas euadant, quas poſt dimiſſam culpam Deus vel in hoc ſeculo, vel in purgatorij loco, Deus peccatoribus pleꝛumque infligit. Et hoc quidem ritè fit in Sacramento Pœnitentiæ, ad cuius legitimam ſuſceptionem tria potiſſimum requiruntur, *Primò* quidem vt quis ſynceram habeat de peccatis ſuis contritionem, cum propoſitò vitæ in melius commutandæ coniunctum. *Secundò*, vt quæ poſt examinatā ſedulò conſcientiam in mentem homini peccata veniūnt, ea ſine vlla exceptione apud Sacerdotem liberè depromat. *Tertio* vt pro ijs condignè ad Sacerdotis arbitrium pœnitens, eiuſque voluntati faciat ſatis. Quibus illud demum addo, non eſſe hanc confeſſariorum intentionem, dum confitentibus aliquam iniungunt pœnitentiam, vt eos grauiori aliqua ſarcina onerent (hoc etenim piæ ac benignæ matri, vti eſt Eccleſia Catholica haud quaquam conuenit) verum vt grauiorem illam æterni Iudicis ſententiam, peccatoribus omnibus debitam, hoc pacto alleuient, mitigent, adimant. Vnde nullo modo ſtudet ſuos filios nouis pœnarum oneribus grauare, quibus coram Deo grauati non erant: ſed grauius flagellum quod delinquentibus Deus reſeruat, mitiori pœna ſubleuare conatur. Sicut enim pater ſi manibus ſuis filium caſtiget, acrius cædit, quàm blanda atque indulgens mater, quæ viribus eſt infirmior

mior; Ita Deus per ſe noſtra puniens peccata, acrius ſæuit, quàm mater Eccleſia, adeò vt verè dixerit Apoſtolus: *Horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis*. Liquet hoc tum exemplo Adami, cuius præuaricationẽ etiãnum tota luit poſteritas; tũ Dauidis, qui poſt impetratam adulterij, atq; homicidij veniã, & filij morte, & Abſalonis hoſtili perſecutione punitus eſt. Cuius quoq; in populo numerando faſtus, non niſi ſeptuaginta millium virorum, peſte intereũtium clade expiari potuit. Longè autem ſecius ſuis cum filijs blanda mater agit Eccleſia, vti ex pœnitentialibus conſtat Canonibus; queis vbi factum eſt ſatis, tũ verò diuinæ punitiõis flagellũ peccatis noſtris debitum, euadimus; & acerbiſſima illa expurgatorij ignis tormẽta, cui⁹ ardori ac cruciatui nihil par eſt in hoc mundo, adeò vt illius ignis comparatione noſter, quaſi pictus cenſeri debeat, vt rectè poſt B. Auguſtinum, ſcripſit Cæſarius, hâc minoris pœnitentiæ exercitatione redimimus.

Heb. 10.

2. Reg. 24.

Auguſt. in Pſal. 37. & Cæſar. Arelat. Hom. 8.

Quando igitur per Indulgentiarum relaxationem à canonicis liberamur pœnitentijs, ſimul etiam abſoluimur à purgatorij pœnis; quarum loco pœnitentiæ illę decretæ erant. Non etenim vult pia mater Eccleſia ſuos, quos blandè fouet liberos, præpoſteræ pietatis ſtudio, minoribus ſubleuare malis, ac grauare maioribus. Et hæc quidem omnia tum ex ſacrarum literarum funda-

mento,tum ex diutina Sanctæ matris Eccleſiæ conſuetudine hauſta ſunt ac delibata. Adeò vt magnoperè mirandum ſit, vos Lutheranos tam proficuo Indulgentiarum vſui obſtrepere; præcipuè cùm veſter ille Patriarcha Lutherus, anno 1517. datis ad Moguntinum Antiſtitem literis, longè aliter ſenſerit, ait enim inter cætera, vbique Dominum difficultatem ſalutis denunciare,& Apoſtolum iubere ſemper in timore ac tremore nos operari ſalutem noſtrã, & id genus alia ad ſatisfactionem pertinentia. Tum quod & ipſi veſtri Miniſtri ac Superintendentes ſæpè vberem vobis indulgentiam largiantur, vt ſcilicet ſine vllius cõfeſſionis aut ſatisfactionis vſu à pœna & culpa abſolutos vos pronuncient ac declarent, modò fide tantum præditi ſitis. Itaque ſine vllo pænitentiæ labore, ſine vllis operibus bonis, etiam furta aliaque grauiora peccata, quod nullus Pontificum facit, vobis indulgent. Si tamen ea indulgentia,& non potius nociua licentia, impiaque fraus & impoſtura dici ac haberi debeat. De quo lepida admodum in bello Liuonico reperitur hiſtoria, quàm hiſce verbis vir equidem præſtanti pietate ac ſumma eruditione, D. Tilmannus Bredẽbachius commemorat. *Quodam in pago* inquit, *tribus miliaribus ab vrbe Torpatenſi diſſito, quidam Lutheranus eccleſiaſtes anno 1555. triginta circiter agricolas ad genua prouolutos habebat, quos Confeſſione facta, ſacramentali*

Hiſtoria Liuonica anno 1564. colon. apud Cholin. edita.

mentali abſolutione à peccatis exoluere debebat. Mandat igitur, omnes Deo confiteantur, ſolidum ſiue nummulum (quem confitentes parocho dare conſueuerant) altari imponere iubet: deinde certam abſolutionem promittit, pœnitentiam & ſatisfactionem commentum eſſe Papiſticum, hanc neutiquam requiri. Erat autem inter confitentes quidam præ alijs ſimplici ingenio, qui Domino ſuo iuuentum furto abegerat. Hic abſolutionem conſecutus domum lætabundus reuertitur, gaudium ex fœlici Confeſſionis ſucceſſu conceptum, protinus in vxoris ſinum effundit. Metuebā, inquit, cùm Parochum confeſſurus accederem, ne iuberet abductum taurum reſtituere, aut gehēnæ incendio me furtum luiturum minaretur: iam autem vno recepto ſolido, omnes mihi noxas ignouit. Non multò poſt idem alium furatur bouem, & in ipſo facinore deprehenſus, fatetur neutiquam ſe illud admiſſurum fuiſſe, ſi nō tam facilem ſe præbuiſſet parochus in delictis ignoſcendis, eaq; res plurimos ad grauiſſima facinora ſtimulabat, adeò vt ſummam in domeſtica familia perfidiam patresfamiliâs perſentiſcerent, ac tam exitiales iſtius Euangelij fructus grauiter abominarentur.

Quod ipſum non minus verè quàm prudenter Norimbergenſis ciuitas declarauit, cùm ad Carolum Quintum inuictiſſ. Cæſarem Oratores olim miſit, qui quantum maximè poſſent, ab illo efflagitarent, vt Imperatorio edicto, ſecretam peccato- *Dominicus Soto in 4. Sentent. diſtinct. 18. qu. 1. art. 3.*

 rum

rum Confeſſionem reſtitueret. Quippè cuius abrogatio, portentoſa, incognita, atque nefanda inauditaque ſcelera, in eam inuexerat. Quæ profligare aliter non poſſe ſperabant, quàm ſecreta peccatorum Confeſſione reſtituta. Itaque haudquaquam mirum ſi vix vllo vnquam ſeculo tot ſint perpetrata flagitia, tot commiſſa facinora, tot ſacrilegia, tot bonorum factæ direptiones, quot ſub infauſto hoc Lutheri Euangelio, qui ſanè nouas quandoque euulgauit Indulgentias cunctis illis, qui ſeſe facultateſque ſuas & exiſtimationem in hoc expenderent, vt Epiſcopatus, Collegia & Monaſteria funditus delerentur; affirmans eos qui hoc facerent, tam præclaro facinore verorum Chriſtianorum & charorũ Dei filiorum nomen promerituros.

Surius in Commẽtar. ad annum 1566.

CAP. XL.

ARTICVLVS Duodecimus, *de Purgatorio:* de quo veſter hæreſiarcha Lutherus, diuerſas compugnãteiſque olim habuit ſententias. Qui quidem non ſemel dixit & confirmauit, eſſe Purgatorium: idque ſe non opinari, non arbitrari, non credere, ſed certo ſcire. Ad quod probãdum, locum ex Matthæo cõſtanter adferebat, quo Chriſtus ait, eorum peccatũ, qui ſancti Spiritûs teſtimonio pertinaciſſimè repugnabant, nec in hoc ſeculo, nec in futuro remittẽdum: quo ſignificatur, eſſe in ſeculo futuro multis ſpem veniæ à Deo clementer oſtenſam. Adducebat etiã & illud de munerib⁹ à Iuda Machabæo

2. Mach. 12.

pro

prò peccatis mortuorum oblatis. Alijs item eiuſmodi teſtimonijs & argumentis in eo pugnauit, vt peruinceret eſſe Purgatorium. Vnde in diſputatione Lipſica anno 1519. cum Eckio habita; *Ego*, inquit, *qui credo fortiter, immò auſim dicere, ſcio Purgatorium eſſe, facilè perſuadeor in Scripturis de eo fieri mentionem.* Aliquantò verò pòſt, Purgatorium quidem admiſit, ſed non ſine euidentium aliquot errorum permiſtione: Horum *Primus* eſt; Purgatorium ſacrarum literarum teſtimonijs comprobari nō poſſe. *Secundus*; animas purgatorijs pœnis detentas, conſequēdæ ſalutis eſſe incertas. *Tertius*; Eaſdem poſſe ibidē mereri ac demereri. *Quartus*; dum pœnarū purgatoriarum horrore requiem deſiderāt, ſine intermiſſione delinquere. *Quintus*; animas quæ per Eccleſiæ ſuffragia pœnis iſtis eximuntur, minus beari, quàm ſi per ſe feciſſent ſatis. *Sextò*, etiam Purgatorium negauit; ita tamen vt in articulo mortis hominem poſſe ſatisfacere diceret per illos cruciatus & dolores, quos tunc in vltimo illo conflictu ſuſtinet. Poſtremò verò & Purgatorium & Satisfactionem omnem valere iuſſit, nihil vel bonorum operum meritis tribuens, vel inter lethale ac veniale peccatum diſcriminis conſtituens; ſola fide hominem tam à pœna quàm à culpa liberatum iri adſtruens; adeò vt impoſſibile eſſe dicat, illum qui in Chriſtum Redemptorem ſuum ſpem omnem defigit, quantumcunque ſceleratus ac flagitioſus

Septē Lutheri errores circa Purgatorium.

Epiſt. ad Waldenſ. de Euchariſt.

ſus ſit, damnari: imò quo nocentior ille fuerit, eò Chriſto maiorem accidere gloriam. Verùm hæc veſani dogmatis rabies, ſanctis eſt inuſitata atque incognita Patribus. Quibus neceſſe non fuiſſet, tam arduo vitæ genere, tamq; admirabili pœnitētię rigore, qualē nobis exhibuêre B. Anthonius, Paulus primus heremita, Hilariō, Hieronymus, Simeō Stilites, Benedictus, Bruno, aliiq; innumerabiles, cœlum mercari, ac vi quaſi inuadere. Mirum profectò totis mille ac quingentis annis neminem repertum omninò, qui tam delicatum ac roſis ſubſtratum ad cœli aditum iter aduenire potuerit, cùm tamen plurimi interim, maximè verò ætate Hieronymi, Ambroſij, Baſilij, Chryſoſtomi, Athanaſij, Auguſtini, ſagacis ingenij ſummæque prudentiæ viri extiterint. Sed eheu, quàm vereor multò nunc ſecius cum Luthero eiuſdemque aſſeclis Melanchtone, Bucero, Zuinglio, Caluino agier, aliumque eos iam nunc adeptos perpetuum commorandi locum, quàm ipſi fore mollicula ſua conuerſatione adepturos ſe arbitrabantur?

Itaque ad Purgatorium quod attinet, ſatis ſuperque octauo huius eiuſdem concluſionis articulo, tum ex Patribus, tum ex diuinarum literarum monumentis, ac perpetuo Eccleſiæ vſu pro defunctis orandum, ieiuuandum, Miſſæque ſacrificium offerendum, demonſtraui. Nam vt hæc nullatenus

latenus facienda pro his qui iam æterna fruuntur beatitudine, ſic inferno poſitis non opitulantur. Vnde conſequens eſt, alium quendam poſt vitæ huius decurſum ſupereſſe locum, in quo necdum plenè quis beatus ſit; è quo & ſubuentione precum, & eleemoſynarum elargitione, & hoſtiæ ſalutaris oblatione, ad cœleſtis gloriæ paradiſum reditus pateat. Et hic quidem eſt idem ille, quem nos communi recepto vocabulo, Purgatorium nominamus; in quo illorum expiantur peccata, qui hinc ſine lethalis culpæ macula emigrantes, non tamen vſquequaque ab omni vitiorum labe immunes ſunt, vt nitidiſſimum Dei Omnipotentis vultum actutum intueri digni habentur. Atque hoc eſt, cuius nos Paulus admonet, dum ait: *Secundum gratiam Dei, quæ data eſt mihi,* 1. Cor. 3.
vt ſapiens architectus fundamentum poſui: alius autem ſuperædificat, vnuſquiſq; autē videat, quomodo ſuperædificet. Fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus IESVS (hoc eſt, alia fides non poteſt prædicari, præter eam quam accepiſtis.) *Si quis autem ſuperædificat ſuper fundamentum* (hoc eſt, qui rectæ fidei hoc adiungit) *aurū, argentū, lapides pretioſos* (ſolidā nimirū doctrinā, vel bona opera, & pretioſas virtutes)

lignum fenum, ſtipulam (doctrinam ſcilicet ſuperuacaneam, vel peccata venialia; quorum quædam maiora ſunt, alia leuiora) *vniuſcuiuſque opus manifeſtum erit: dies enim Domini declarabit*,(hoc eſt, particulare iudicium, quod anima cuiuſque poſt mortem ſubibit) *quia in igne reuelabitur,& vniuſcuiuſque opus quale ſit, ignis probabit.* (hoc eſt, exactiſſimum diuini iudicij examen ſingula opera ſtrictè diſcutiet) *Si cuius opus manſerit, quod ſuperædificauit* (hoc eſt,ſi ferre poſſit ſeueritatem extremi iudicij) *mercedem accipiet*, (anima ſcilicet illa cuius opera bona diſcuſſa fuerint, donabitur æterna cœleſtis gloriæ mercede.) *Si cuius opus arſerit*, (hoc eſt, ſi exactum Dei examen non poſſit ſuſtinere) *detrimentum patietur* (amittet opus ſuum) *ipſe autem ſaluus erit*,(id eſt, admittetur in vitam æternam) *ſic tamen quaſi per ignem*, (hoc eſt, non ſine pœna grauiſſima, qualis eſt ignis, quæ ex ſententia exacti iudicij diuini, peccata illa venialia excoxerit & aboleuerit.) Vides ergò apertiſſimè, quod cùm aduenerit dies Domini, hoc eſt poſt obitum noſtrum, cùm carnis poſitis exuuijs, Dominus noſtrarum ſtatum conſcientiarum clarè intuebitur, vnicuique per ſe meritorum ſuorum premium adſignabitur (vita etenim hæc noſtra in ſacris literis

non

non dies Domini nominatur, ſed dies hominis) cum operum noſtrorum exercitationes per huius iuſtitiæ ignem accuratè examinabit perpurgabitque. Cæterùm, peccatorum opera ſine mercede vlla profligabit; ita tamen vt in ęternum ſontes non puniat, ſed ad præfinitum tempus, donec adinſtar illius qui per flammam ignis ſemiuſtus tranſiens, tandem in refrigerium ceu vitam æternam incolumis perducitur. Si ergò pœna aliqua non ſempiterna poſt hanc vitam peccãtibus manet, illa non poteſt eſſe alia, quàm quæ in Purgatorio exoluitur. De quà B. Cæſarius, Arelatenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ante annos plus minus 1080. dum hunc Pauli locum, eodem quo nos modo, exponit, integram conſcripſit homiliam, vbi inter cætera ſic ferè ait. *Nolite, fratres, exoptare Purgatoriũ quòd finem habeat, pœna enim illius maior eſt, quàm vlla omninò quæ in hoc mundo ſentiri aut cogitari poteſt.* Vnde rectè Hieronym. *qui ſoluatur*, inquit, *per ignem, quaſi torris de incendio rapitur.* Et B. Auguſtinus: *ô Domine in hac vita purges me, & talem me reddas, cui iam emendatorio igne non opus ſit, propter illos qui ſalui erunt, ſic tamen quaſi per ignem. Et quia dicitur, ſaluus erit, contemnitur ille ignis. Ita planè quãuis ſalui per ignẽ, grauior tamẽ erit ille ignis, q̃ quicquid poteſt homo pati in hac vita.* Necnon & Ambroſ. ex ponẽs locum B. Pauli ad Corinth. ſuprà à nobis allegatum.

Luc. 19. & 22.

Homil. 8.

In 4. cap. Amos.

In Pſal. 37.

Grauitas ignis purgatorij.

gatum, ita ait: *Sed cùm Paulus dicit* (ſic tamen quaſi per ignem) *oſtendit quidem illum ſaluum futurum, ſed pœnas ignis paſſurum, vt per ignem purgatus fiat ſaluus, & nõ ſicut perfidi æterno igne in perpetuũ torqueatur.* Quod nõ obſcurè Malachias Propheta (iuxta genuinam B. Auguſtini interpretationem) olim quoque prædixiſſe putatur, cùm inquit: *Ecce venit Dominus exercituum, & quis poterit cogitare diem aduentus eius? & quis ſtabit ad videndũ eum? ipſe enim quaſi ignis cõflans, & quaſi herba fullonũ: & ſedebit cõflans & emundans argentũ, & purgabit filios Leui, & colabit eos quaſi aurum, & quaſi argentũ: & erũt Domino offerẽtes ſacrificia in iuſtitia.* Hũc locum pleriq; antiquorũ Patrũ, nõ de pœnis huius vitæ, ſed de ijs grauiſſimis quibus animæ conflandæ dicuntur, & tanquam aurum colendæ, vt poſtmodum in vita æterna Deo offerant ſacrificium immaculatum veri Sacerdotes, quales ſe factos eſſe gaudent in Apocalypſi Seniores illi. Itaq; D. Auguſt. Malachiæ locum explicans, ſubiungit, dicens: *Oſtendit vtiq; propheta eos ipſos qui emundabũtur, deinceps in ſacrificijs iuſtitiæ Domino eſſe placituros, ac per hoc ipſi à ſua iniuſtitia mũdabuntur, in qua Domino hoſtiæ diſplicebant. Porrò in plena perfectaq; iuſtitia, cùm mundati fuerint, ipſi erunt. Quid enim acceptius tales Deo offerunt, quàm ſe ipſos?*

Lib. 20. de Ciuit. Dei cap. 25.

Malach. 3.

Orig. homil 6. in Exod. Ambroſ in Pſal. 36.

Apoc. 5. & 20.

QVIN

CAPVT XLI.

QVIN immò, & ipſe Chriſtus de Purgatorij pęnis apertè loquitur, dum inquit, quædam eſſe peccatorum genera, *quæ non remittuntur neque in hoc ſeculo, neque in futuro.* Hinc etenim colligunt Sancti Patres, quædam peccata remitti in futuro ſeculo, per orationes & ſuffragia Eccleſiæ. Nam Chriſtus æterna Patris ſapientia nullum vnquam otioſum verbum proferens, ſatis hoc loco exprimit, aliquē poſt vitæ huius decurſum ſupereſſe locũ, in quo peccatorũ remiſſio fiat: niſi enim in futuro ſeculo peccata remitterentur, fruſtrà hanc vocē, & otiosè omninò addidiſſet. Veluti ſi q̃s dicat, Regē Hiſpaniarũ neq; in Hiſpania, neque in noſtro Belgio vnq̃ hoc permiſſurũ, is procul dubio etiã apud Belgas regi authoritatē eſſe fatetur. Qui aũt affirmaret eundem Regē, neq; in Anglia neque in Hiſpania hoc conceſſurũ, is profectò ridiculè loqueretur; quippè cùm Hiſpano Regi in Angliam nulla competat iuriſdictio. Atque ideo B. Auguſtinus hæc Chriſti exponens verba, inquit: *Neq; enim de quibuſdã veraciter diceretur, quòd nõ eis remittatur in hoc ſeculo, neq; in futuro, niſi eſſent, quib⁹ etſi non in iſto, tamen remitteretur in futuro.* Et Gregor. *De quibuſdam leuibus culpis eſſe ante iudicium Purgatorius ignis credendus eſt, pro eo quod veritas dicit: Quia ſi quis in ſancto Spiritu blaſphemiam dixerit, neq; in hoc ſeculo remittetur ei, neque in futuro. In qua ſententia*

Matth. 12. verſ. 32.
Aug. lib. 21. de Ciuit. Dei c. 24. & lib. 6. in Iulian. cap. 5.
Greg. lib. 4. Dial. c. 39.
Bern. homil. 66. in Cant.

Lib. 21. de Ciuit. Dei cap. 24.

Lib. 4. Dialog. cap. 39.

datur

datur intelligi, quaſdam culpas in hoc ſeculo, quaſdam verò in futuro poſſe laxari. Quod enim de vno negatur, conſequens intellectus patet, quia de quibuſdam conceditur.

1. Corint. 15. verſ. 29. Scribit quoque B. Paulus in primitiua Eccleſia quoſdam fuiſſe qui baptizarentur pro mortuis; quod tum potiſſimum fiebat, cùm pro defunctis orantes, lugebant (ſic enim Ioſeph patriarcha parentis ſui Iacobi obitum diebus 77. luxiſſe legitur) aut alijs ſeſe pœnitentiæ exercitijs afflictabant. Gen. 50. Nam vox *baptizari* in ſacris literis nonnunquam affligi ſignificat: quod fit ieiunijs, orationibus, & id genus alijs modis. In qua ſignificatione Chriſtus ſubinde ea voce vſus eſt: vt, *Ego baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor vſque dum perficio?* Luc. 12. verſ. 50. Et iterum: *Poteſtis bibere calicem quem ego bibiturus ſum, & baptiſmo quo ego baptizor, baptizari?* Mat. 20. 22. Vnde SS. Patres paſſim vocant pœnitentiæ afflictionem, Baptiſmum laborioſum, & ſecundam tabulã. Cyprianus in ſerm. de Cœna Domini: *Lacbrymis,* inquit, *ſe baptizabat*. Si ergò viuentes ſeſe pro defunctis affligunt, vt per hoc ipſis ſubueniant, ſequitur neceſſariò id in Purgatorio, & nuſquam alibi fieri. Itaque ſic hunc Pauli locum exponunt B. Ephrem Syrus in ſuo teſtamento, Petrus Abbas Cluniacenſis in lib. cõtra Petrobruſianos, Dionyſius Carthuſianus, Hugo & alij. Cæterum, & iſtum Matthæi locum, vbi Chriſtus ait: Matth. 5. *Eſto conſentiens cum aduerſario tuo citò, dum es*

cum eo in via, nè fortè tradat te aduerſarius iudici, & iudex tortori, & mittaris in carcerẽ, Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas nouiſſimum quadrantem, de Purgatorij pœnis Patres intelligi volunt. Atque hinc eccum tibi Cyprianum, dicentem, *Aliud eſſe ad veniam ſtare, aliud ad gloriam peruenire: aliud miſſum in carcerem, non exire inde, donec ſoluat nouiſſimum quadrantem: aliud ſtatim fidei & virtutis accipere mercedem: aliud pro peccatis longo tempore cruciatum emendari, & purgari diu igne: aliud peccata omnia paſſione purgari*. Et Hieronym. *Hoc eſt*, inquit, *quod dicit, non egredieris de carcere, donec etiam minuta peccata perſoluas*. De quo & Orig. ait: *Si qui parum debet non egreditur, niſi exoluat minutum quadrantem, vtiq; qui tanto debito fuerit obnoxius, infinita ei ad reddendũ ſecula numerabuntur*. Abbas quoque Theodorus rationem reddens cur tam multa in hoc mundo bonis aduerſa eueniant, inter cæteras ponit hanc, *vt ſcilicet Deus*, inquit, *perducat eos ad futurum examen tanquam aurum purum, non permittens in eis aliquid reſidere, quod ignis iudicij poſt vitam hanc ſcrutans in ipſis reperiat purgaturus cruciatu pœnali*. Hæc ille.

Epiſt. 52. ad Antonian. alias lib. 4. epiſt. 2.

In cap. 5. Matth.

Homil. 35. in Luc. & in epiſt. ad Rõ.

Caſſianus Collat. 6. cap. 11.

CAPVT XLII.

AD hunc modum poſſem & alia diuinarum literarum, Sanctorumque Patrum teſtimonia in medium producere, cõfirmantia

2. Mach. 12. tia nimirum antiquiſſimam hãc doctrinam
Tob. 4. non ſolum ab Apoſtolorum temporibus in Eccleſia Chriſtianã vſitatam, verùm etiam ante Chriſti natiuitatem à Iudæorum Synagoga receptam: nam tam hæc, quam illa admittit in altero ſeculo peculiarem aliquem ſupereſſe locum, in quo animæ à vitiorum ſuorũ nęuis expiantur, & è quo ſacrificij oblatione, precumq; atq; eleemoſynarum ſubuentione eripiuntur. Vnde Aërium hęreticum annum circa Domini 342. pro defunctis orationes irridentem, Eccleſia proſcripſit exilioque damnauit. Vide quid de Purgatorij vſu ſcribat *a* Gregorius Nyſſenus in Oratione, quod non ſit dolendum ob eorum obitum, qui in fide diſceſſerunt. Tum & Gregorium Magnum conſule lib. 4. Dialog. cap. 39. 50. 55.. Cuius auctoritatem ſpero te haud quaquam aſpernaturum; quippè quem ſuperius contra me aliquoties citaſti. Hic etenim refert animam Paſchaſij Romanæ vrbis Diaconi, à Germano Capuano Epiſcopo in thermis angularibus cõſpectam, vt illius vehementiori calore expiaret delictum illud, quod contraxerat tempore ſchiſmatis; cùm nimirum Symmacho legitimo Romano Põtifice poſthabito, Laurentij partibus ſtuderet, eique adhæreſceret. Quin & de balneatore quodam commemorat, qui Ioanni Presbytero poſt obitum in vehementiori calidarum thermarum vapore ſedulum exhibebat miniſterium (talibus e-

Epipha. hæreſ. 75.
Aug. hær. 35.

a Orat. de dormientib. & diſput. de anima & reſurrect.

nim

nim pro ſuorum peccatorum expiatione pę- nis, diuinâ ſententiâ adiudicatus erat) qui cùm Presbyterum vt pro ſe Miſſæ ſacrificium offerret, oraſſet, iſti pœnarum loco confeſtim ereptus eſt. Neque illud interim ſilet, quod in proprio ipſius accidit monaſterio; vbi cùm monachus quidam Iuſtus nomine, in proprietatis vitio eſſet repertus, vnaque cum ſuo peculio (erant autẽ tres tantùm aurei, quos medicinalis artis ſtudio clãculum acquiſierat) in olidum proiectus ſterquilinium, tandem cùm pro eo poſt menſem integrum trigeſies litatum eſſet, à pœnis purgatorij fuit liberatus. Addit denique, fidelibus prodeſſe defunctis, *ſi in Eccleſijs locisq; ſacris humentur; quòd eorum proximi, quoties ad eadem conueniunt loca, vbi eorum ſepulchra conſpiciunt, pro eis Domino preces fundant.* Quod & D. Auguſtinus dudum ante, ſuis in libris eſt faſſus. Ante Gregorium autem claruit B. Germanus Antiſiodorenſis Galliarum Epiſcopus, de quo Conſtantius Presbyter teſtatur, quod in itinere diuerterit ſerò ad ædes quaſdam ſpectris infeſtas, ideoq; omni habitatori vacuas: Manſiſſe autem Germanum ibi, ac media nocte tenebroſæ vmbræ cõſpexiſſe imaginem; rogaſſeque, quænã eſſet, quidve illic ageret: illa aũt reſpõdiſſe, *ſe vel cõparem, ſuũ authores fuiſſe multorũ criminũ, inſepultos iacere, & ob hoc inquietare homines, quia ipſi quieti eſſe non poſſet.* Petijſſe etiã vt pro eis Dominu precaretur,

Lib. 4. dialog. cap. 55.

4. Dial. c. 55.

Lib. 4. dial. cap. 50. 51. 53.

Cap. 4. de cura pro mortuis.

Tom. 4. Sur. die 31. Iul. cap. 17. vitæ eius.

qua-

quatenus humo traditi, requiem mererentur. Itaque cum ſtudio repertis corporibus; ſepulturæ ea tradidit B. Germanus, oranſque pro animabus, omnis ſpectri inquietudo ab ædibus iſtis profligata eliminataque eſt.

CAPVT XLIII.

ITAQVE reuoluenti mihi res geſtas temporis noſtri, occurrit etiam, vos Lutheranos pro defunctis in Germania orare ſolitos; maximè vbi euidẽs lucri adfulget ſpes. Nam anno Dñi plus minus 1588. in quadam Pruſſiæ ditione haud procul ab vrbe Koningsberg, cùm vir quidam inſigniter opulentus diem obijſſet ſuum, multaſque vxori reliquiſſet diuitias, atque inter cætera etiam ciſtam pretioſa ſuppellectile nummiſq; refertam, illa domo egrediens, familiam omnemque theſaurũ pagi ſui prædicutio commiſit; rogans vt vel vnica ſaltem nocte precibus intentus, funeri ſe præſentem exhiberet. Ille ſuam roganti viduæ addicens operam, cum nonnullis eiuſdem nequitiæ aſſeclis paciſcitur, vt ciſtam ære grauidam noctu clam domo efferant. Itaque dum Prædicans ſimul cum familia in ſuperiori degeret cubiculo, hique iam operi eſſent intenti, accidit vt ſtrepitu exaudito, familia accurreret, viſura quid rerum ageretur. Quos vt ſedaret, atque verſutis ſuis ſermonibus aliô auerteret: *Noſtis*, inquit, *defunctũ hunc, hominem diſſolutioris atque inquietioris fuiſſe vitæ, & idcirco iam forſitan ſcelerum ſuorum luit pœnas; itaque precibus ſeriò ſimus intenti.*

Illi

Illi metu conſternati, omnia egêre pro viribus. Verùm mater familias mane domum repetens, atque arcam oblatam cõſpiciens, vrbem confeſtim adit, ipſasq; aurifabrorum officinas; quemq; eorũ ſollicitè pręmonens, ſi quid talium ornamentorum (accuratis indicijs ſingula quæque denotans) fortè ad ipſos perferatur, ſui eſſent memores. Poſt pauculos verò dies, vnum ex his aurifabris etiã ipſe acceſſit Prædicans, ſcire percupiẽs precium nummi cuiuſdam aurei, quem vnà ſecum ferebat, quo Brandẽburgenſis Marchio defunctum olim cohoneſtauerat. Ille autem rerum quaſi ignarus, præ ſe tulit quod Lydiũ ſuum lapidem ad manum non haberet, atq; ideo poſt diem vnum aut alterũ rediret; certiorem interim reddens de hoc negotio viduam. Quæ apud Senatũ mox accuſationem inſtituit: adeò vt lictorib' aſſumptis, cõprehendi hominem iam iam menſæ otioſo animo aſſidẽtem, ac genialiter ſeſe largioribus dapibus replentẽ iuſſerit. Ille quem res eſſet exitum ſortitura ex malæ conſcientiæ teſtimonio præuidens, vltimũ vxori vale dixit, tacitè interim pręſentiſſimum venenũ veſtibus inſerẽs. Quod currui iam impoſitus nemine ſciẽte deglutiuit, ſicq; nigricãtem longè exerens linguã, miſerè efflauit ſpiritum, ſepultus ſub ipſo patibulo pręfatæ vrbis Regimontanæ. Quod ne fabulæ habeatur loco, poſſem probarę fidei adducere teſtes, quibus de huius veritate rei manifeſtè conſtat. At-

Digitized by Google

que in hunc modum Lutherani pro defun-ctis orant.

CAPVT XLIV.

DECIMVSTERTIVS Articulus, *De Peregrinationibus* ad loca ſancta. De quo duo nobis potiſſimum tradit S. mater Eccleſia. *Primò*, Chriſti & Sanctorum eius loca, monumenta, & reliquias viſitare, eoque orationis ergò peregrinari, opus eſſe pium, Deo acceptum, nobis ſalutare, animæ pariter ac corpori proficuum; maximè ſi ea reuerenter obeamus loca, in quibus vel Chriſtus ipſe olim conceptus, natus, paſſus, &c. vel Sancti præcipuis miraculorum virtutibus effulsêre. Per hoc enim & noſtri amoris obſequiũ erga Deum ac Sanctos patenter oſtẽdimus, dum laborioſam aliquã ſuſcipimus profectionem; & animus vehementiori deuotionis inflammatur affectu, dum ea oculis vſurpat ſuis, quæ Chriſto ac ſanctis eius aliquando in pretio fuêre. Vnde & talibus in locis deuotorum hominum preces facilius exaudiuntur, votique compotes plerumque redduntur. *Secundò*, peregrinationem etſi opus pium & religioſum ſit, non tamen ad ſalutem extremè neceſſariam, neque omni hominum generi conuenientem: vtpotè religioſis, innuptis puellis, tenuioris fortunæ operariis, quibus cùm ſit & vxor, & res anguſta domi, ſatius à longinqua ac periculoſa peregrinatione abſtinent, vt rei familiaris inopiæ præſentius conſu-

lant

lant. Deus enim cùm ſit vbique, poteſt quo-uis in loco noſtris mederi neceſſitatib⁹: licet negari interim non debeat, quin certis qui-buſdã in locis efficatius operetur, ac mira-culorũ virtute præſto magis ſit. Hoc enim & experientia compertum, & Sanctorum Pa-trum monumentis, iam iam in medium pro-ducendis, traditum. Ratio autem huius, eſt i-pſa diuina voluntas; quæ certa quædam lo-ca ſuâ præſentiâ ac miraculorum gloria il-luſtrare ſtatuit: inter quæ & Nazareth e-legit, in qua conciperetur; Bethlehem, in qua naſceretur; Caphernaum, in qua com-morandi figeret domicilium: Hieroſoly-mam autem paſſioni obeundæ deſtinauit. *Leo epiſt. 92. cap. 1.*

Et idcircò deuotionis cauſſa peregrina-tum ad ſancta concedere loca, pium eſſe ac Deo gratum, veteriſque Teſtamenti Pa-tribus vſitatum, patet ex eo, quod Deus ip-ſe perpetuo filios Iſrael præcepto obliga-uerit, vt omne maſculinum ter in anno ad tabernaculũ ſeu templum Domini peregri-naretur. Quod præceptum ab Helcana eiuſ-que vxore Anna ſtudioſè obſeruatum, Re-gum pandit hiſtoria. Quin & Chriſtus ipſe adhuc duodenus, vnà cũ parentibus templũ legitur frequẽtaſſe Hieroſolymitanũ. Quid? an non gentiles quoque veniebant adora-re in Hieruſalem, patrijs relictis ſedibus? Vt interim taceam Eunuchum AEthiopem ex longinqua regione eõdem orationis er-gò properantem. Paulus ipſe feſtinabat *Deut. 16.* *1. Reg. 1.* *Luc. 2.* *Ioan 12.* *Actor. 8.*

Actor.20. in itinere, vt Hieroſolymis more Chriſtiano Pentecoſten ageret. Quem equidem locum adducit Hieronym. in epiſt.17. ad Marcellam, vt oſtendat bonum eſſe ad loca ſancta peregrinari. *Matth.2.* Subiceo iam, quantum laboris itinerisq́; exantlauerint tres illi viri, qui ab Oriente Hieroſolymã venientes, cunabula pueri recens nati magno ſtudio inquirebant, vt ſcilicet adorarent eum. Itaque non mirum, ſi primitiuæ Eccleſiæ Chriſtiani, Apoſtolicis inſiſtentes veſtigijs, ſumma cum deuotione ſacra adire loca ſoliti ſint. Nam Beatum Alexandrum Cappadocum Epiſcopum circa annum Domini 200. tum voti, tum ſacrorum viſendorum locorũ cauſa Hieroſolymam contendiſſe, narrat Euſebius. *Lib.6.hiſtor. cap.9.* Idem Beatum Nicolaum, Magnum illum Myrarum factitaſſe Epiſcopum, teſtis eſt Metaphraſtes. *In vita eius.* Diuus Ambroſius eximijs laudum præconijs Beatam Helenam concelebrat, quod diuinæ parens inſpirationi, Hieroſolymam religioſæ pietatis ergo properauerit. *Orat. de obitu Theodoſij. & Euſeb. lib.3. de vita Conſtant.* Hieronymus, nimis fore longum eſſe fatetur, ab aſcenſu Domini vſque ad ſua tempora commemorare, ac ſcriptis traderere, *qui Epiſcoporum, qui Martyrum, qui eloquentium in doctrina Eccleſiaſtica virorum Hieroſolymam venerint; vt illis Chriſtum adorarent locis, de quibus primum Euangelium de patibulo coruſcauerat.* *Epiſt.17. ad Marcell. c.6.* Et alibi: *Epiſt.27.* *Cuius*, inquit, *gentis homines ad loca ſancta non veniunt?* *Epiſt.154.* Denique ad Deſiderium ſcribens,

bens, hortatur illum, vt ſancta inuiſat loca; vbi & inter alia ſic dicit. *Certè adoraſſe vbi ſteterunt pedes Domini, pars fidei eſt.* Verùm quanta Chriſtianorum frequentia olim BB. Petri & Pauli limina adierint, videre licet apud Sanctum Paulinum, ac Gallam Placidiam Auguſtam in epiſtola ad Pulcheriam. *Epiſt.13.* Qui quidem Paulinus, præter hæc etiam refert, innumerabiles hominum cateruas ex remotiſſimis Orbis locis, ad corpus S. Felicis Nolani Epiſcopi cõfluere ſolitas. *Natali 3. S. Felicis.* Eudociam quoque Theodoſij Iunioris vxorem, ex voto Hieroſolymam peregrinationem ſuſcepiſſe, ex Socrate conſtat. *Lib. 7. cap. penult.* S. Alexium ad nobiliores mundi Eccleſias peregrinatum, Metaphraſtes prodit. *In eius vita.* Beatus Chryſoſtomus ſummo tenebatur deſiderio Romam adeundi, ibidemq́ue præcipuorum exemplo Regum ac Monarcharum, beatorum Petri ac Pauli ſacratos adorandi cineres. Sic enim ait: *Propterea admiror vrbem ROMAM, non propter copiam auri, non propter columnas, neque propter aliam phantaſiam: ſed propter columnas illas Eccleſiæ. Quis mihi nunc dabit circumfundi corpori Pauli, affigi ſepulchro, videre puluerem corporis illius? & cæt.* *Homil. 32. in epiſt. ad Rõ. Et homil. 8. ad Epheſ.* Tali igitur pietatis ſtudio S. inflammatus Epiphanius, *In vita eius.* ex Cypro Romam, vt Polybius ſcriptis prodidit, aduolauit. B. verò Fulgentius Ruſpẽſis ex Africa eo cõfluxit: quemadmodum & inſignis ille Chriſtianorũ Poëtarũ Maro Prudentius, ex Hiſpania: qui elegantiſſimis ver-

ſibus, quas ibidem res memoratu nobiliores viderat, proſecutus eſt. His addamus B. Bonitum, Aruernorum Epiſcopum, qui & ipſe ex Gallijs ad vrbem, reliquiarum inquirendarum gratia, vti author eſt is qui vitam eius conſcripſit, contulit. Teſtatur quoque B. Amphilochius Iconij Epiſcopus, Baſilium Magnum vnà cum clero ac plebe Cæſareenſi ad Eccleſiam Deiparæ virginis, quæ in Didimi monte celebris eſt, ſeſe religioſæ peregrinationis ergò recepiſſe, diuini numinis præſidium aduerſus Iuliani apoſtatæ ſæuitiam, qui in Perſidem tendens, grauiſſimas Cæſareenſibus minas intentauerat, imploratum. Vbi cùm eſſet, apparuiſſe ei ſacratiſſimam Virginem, ac reuelaſſe B. Mercurij martyris (huic enim hoc negotij à Deipara fuiſſe datum, refert Amphilochius, licet alij aliter) lanceâ, interemptum iri in Perſide Iulianum. Vnde Cæſaream ad corpus S. Mercurij, quod ibidem ſummo in honore habetur, reuerſus; lanceam quidem illo die non inuenit, quam tamen altera luce ſanguineis cruentatam maculis reperit: manifeſtum nimirum interempti Iuliani indicium. Quod cùm ciuibus panderet, omnes magno exhilarauit gaudio. Inſuper & Helladius B. Baſilij olim diſcipulus, atque in Epiſcopatu ſucceſſor, commemorat illum Dominæ noſtræ adſtitiſſe imagini, in qua Mercurij etiam celebris Martyris deſcripta erat figura; *Adſtabat autem*, inquit,

Tom. I. Sur. 15. Ianuar.
Tom. I. Sur. I. Ianuar.
Videndus Baron. Tom. 4. Annal. an. 363. num. 15.
Ioã. Damaſ. Orat. I. de Imagin.

ſup-

ſupplicans, vt impius Iulianus apoſtata tolleretur. Ex qua quidem imagine didicit euẽturum. Vidit enim Martyrem ad exiguum tempus obſcurum, non multo autem pòſt, haſtam cruẽtam tenentem. Hæc ex Helladio Damaſcenus. Quin & ipſe Diuus Auguſtinus teſtis eſt, ſe Bonifacium Presbyterum ſuum, cum quodam iuuene qui ſeſe mutuò neſcio quorum criminum inſimulabant iuriſiurandi gratia ad corpus Sancti Felicis Nolani deſtinaſſe; vt hoc pacto rei occultæ veritas indagaretur. Illic enim beatiſſimus martyr periur j reatum acri ſolet expiare vindicta: Non minus quàm olim Mediolani, Fur quidam ad Beatorum Martyrum reliquias, dum iuramento interpoſito ablatæ ſe rei auctorem pernegaret, diuinitus tandem coactus eſt, non ſolum quod verum erat fateri, ſed & quod ablatum erat, reddere. Vnde rectiſſimè Diuus Auguſtinus; *Vbique quidem Deus eſt*, inquit, *& nullo continetur vel includitur loco, qui condidit omnia, & eum à veris adoratoribus in ſpiritu & veritate oportet adorari, vt in occulto exaudiens, in occulto etiã iuſtificet & coronet: veruntamen ad iſta quæ hominibus viſibiliter nota ſunt, quis poteſt eius cõſilium perſcrutari, quare in alijs locis hæc miracula fiant, in alijs non fiant? Multis enim notiſſima eſt ſanctitas loci, vbi B. Felicis Nolenſis corpus conditum eſt, &c.*

Epiſt. 137 ad clerũ Hipp.

Epiſt. 137.

ſa peregrinatum concedere volebat per vaſtam ſolitudinem, ſiue Hieroſolymam ad adorandam Sanctam Crucem, & venerabilia loca, vel in Sinai montem orationis gratia, ſiue ad Martyres diſtantes ab Hieroſolymis multis prolixiſquė interuallis (erat enim ſenex Martyrum reuerentia mirabiliter deditus) & nunc quidem pergebat Epheſum, ad S. Ioannem: nunc autem Euchaitam ad S. THEODORVM: nunc verò ad S. Theclam, in Seleuciam Iſauriæ: nunc ad S. Sergiū, in Saraphas: & modò ad iſtū, modò ad illū ſanctum; quoties ergo abire volebat, candelam de more coram eadem imagine incendebat, & precatione facta Deo, ſeſe, iterquė ſuum commendabat, ſimulq́; in ipſam Deiparæ imaginem intuens, his verbis vtebatur: Sancta Domina noſtra Dei genitrix, quia longum iter facere ſtatui, ac multis diebus abeſſe cogor, tu candelæ huius habe curam, eamq́; ne extinguatur, iuxta meum deſiderium ſerua. Te quidem comite & adiuuante hoc ingredior iter. Hæc vbi dixiſſet Imagini, in viam ſe dedit, & itinere confecto, domum poſtea rediǰt, ita vt aliquando vnum, ſæpè duos, nonnunquam tres, immò quinque & ſex menſes quandoque abeſſet. Semper autem in reditu candelam inuenit integram & ardentem, ſicut illam ante iter ſuum accenſam reliquerat, nec vnquam vidit extingui. Hæc ille. Habes ergo quid primis ſexcentis annis

Remotiſſimæ Ioannis Anachoretæ peregrinationes.

 cum

cũ adhuc pura ac ſincera eſſet Eccleſia, ſenſerint, ſcripſerintq; SS. Patres de peregrinationibus, ac Diuorum cultu; de quo latius II. Nicenum Cõcilium aduerſus Iconoclaſtas. *Act. 5.*

CAPVT XLVI.

SED quid recenſemus vetera, cum quotidiana huius rei ad manum ſint exempla? An non etiam hoc tempore frequentes inſtituũtur peregrinationes ad diuam Virginem Hallam Brabantię; item ad Collem Acutum, locum iuxta oppidum Sichemium, leuca vna propè Dieſtemium. Chriſtus enim Dei filius ita matrem honorat ſuam, vt in præcipuis quibuſque regionibus ac prouincijs, eã peculiari aliquo cultu venerari, atq; in pretio haberi velit; quò eius opem interceſſionemque humanum genus præſentius experiatur. Neceſſe quippè fuit, huius ſacratiſſimæ Virginis adimpleri prophetiam, qua iã dudum ante vaticinata fuerat, beatam ſe fore ab omnibus generationibus prædicandam, quã ſcilicet, vt S. Andreas Hieroſolymitanus exponit Patriarcha, *honorarent Reges, Principes venerarentur, diuites populi obſecrarent*. Inter cætera autem celeberrima, Diuæ virgini deſtinata loca, Lauretana excellit ædes: quę totius Chriſtiani orbis concurſu mirè indies frequentatur, in qua & ab Angelo Gabriele eſt ſalutata, & ſacro grauidata fœtu. Quæ etſi tu fortaſſis pro innata tibi cõſuetudine, fabularum ac næniarum loco ducas, ego tamen non poſſum, quin de loci huius celebritate rebuſque in eo præclarè geſtis, pauca ex mul-

Luc. 1.

Serm. de Salut. Angel.

multis commemorem. Maximè verò ea quæ an. 1594. meis hiſce ibidem conſpexi oculis. Vidi .n. Laureti ac legi, hoc præſenti anno, q ẽſt poſt natum Chriſti 1594. nõ modò votiuas tabellas cõplures, innumerabiliũ miraculorum indices, ſed & diuerſorum Imperatorũ, Regum, Ducum, aliorumq; Chriſtianorum Principum, donaria pretioſiſſima; quib⁹ pietatẽ ſuã erga Beatiſſimam virginem, animiq; gratitudinẽ cõteſtati ſunt; tãtum abeſt, quod morionũ loco à te haberi debeant. Itaq; loci hui⁹ religionẽ incredibilis tum votorũ copia, tum donorum opulentia inſignẽ facit; eſtque inclytum templum diuitijs etiã, non tantum ſanctitate: quod & fama nominis ſui orbem impleuit vniuerſum, & per tot iam ſecula indies magis omnium gentium ac nationum concurſu frequentiaque celebratur.

Lauretana Domus religio & opulẽtia.

Itaque iſtuc locorũ peregrinanti mihi, ab Reuerendiſſimo Epiſcopo peruetuſtus Latino ſermone manu ſcriptus exhibitus eſt codex, deſumptus ex Recinetenſium (quorum ditioni olim Lauretum ſuberat) annalibus; totam translationis hiſtoriam continẽtem, quam hîc pro honore ac Deiparæ cultu ſumma qua potero breuitate perſtringam, ſicq; huic articulo finem imponam.

Saracenis anno Domini 1291. Tripolim ac circumuicina loca occupantibus, accidit vt noctu ſeptimo Idus Maij in Slauonia haud procul à mari, AEdicula faſtigiato tecto, perbel-

perbellè laquearibus cōcamerata, licet nullis nixa fundamentis, mirabili tamen ſplendore coruſcans, inueniretur; nulla re magis, quàm vetuſtate viſenda. Ad cuius intuitum, incolæ totius rei ignari magna admiratione defixi, nec quid eſſet, nec vnde veniret ſcire potuêre; niſi quod optata ęgris reddita valetudo eximiam aliquam domunculæ ſanctitatem atteſtari viſa ſit. Adeo vt & Alexāder ſacrorum Antiſtes in æde S. Georgij Terſactenſis, graui implicitus morbo almæ virginis interuentu valetudinem recuperârit ſuā, & domunculæ huius veritate cœlitus inſtructus ſit. Apparens enim ei ſecundum quietem Beatiſſima virgò, *Scito,* inquit, *ſacrā hanc ædem veſtris illatam finibus, illam ipſam eſſe domum, vbi ego olim genita, vbi fermè educata ſum. Hîc ego Archangeli Gabrielis nuncio, Spiritus ſancti operâ, diuinam concepi ſobolem. Hic verbum caro factum eſt. Ergò poſt noſtrum exceſſum, domum talibus myſterijs inſignem Apoſtoli cōſecrarunt celebraruntq́ꝫ, certatim rem diuinam inibi factitantes. Ara pariter cum æde allata ea ipſa eſt, quam Apoſtolus Petrus ſacris initiauit. Chriſti crucifixi imago, quæ cernitur, olim ab Apoſtolis inibi poſita. Simulacrum porrò cedrinum, effigies noſtra eſt, Lucæ Euangeliſtæ manu accuratè delineata.* Quæ vbi ad aures perlata Nicolai Frangipanij, Romanæ nobilitatis primarij viri, pietate iuxta ac virtu-

Horat. Turſell. lib. 1. Hiſtor. Lauretanæ cap. 3. & 4.

virtute inclyti, loci iſtius in quem domuncula angelicis illata manibus erat, Domini; confeſtim ex omni ſuorum numero quattuor expertæ fidei ac probitatis viros, qui Nazarethum contenderent, delegit, in quibus Alexander ipſe Antiſtes fuit. Qui impenſius inquirentes, compererunt ex Nazarenis ciuibus, non tam re quàm verbo Chriſtianis, domum natalem B. Virginis inde paulò ante ſublatam: vnde deducti ad templum ab Helena Auguſta olim ſacræ domui circundatum, cernunt templi diuinitus perrupti ruinas, cernunt eiſdem monſtrantibus aream, vbi ſacroſancta domus ſteterat, cernunt fundamenta, recentia ſanctæ domus auulſæ veſtigia. Dimenſi autem longitudinem ac latitudinem areæ, fundamentorumque craſſitiem, reperiunt omnia cum träslatæ in Dalmatiam AEdis, parietumque menſuris, quas ad id ſecum attulerant, prorſus congruere: tempus quoque auguſti ſacelli illinc ablati auctique in Illyricum conuenire. Quibus domum effuſa cum lætitia reuectis, cunctorum animos rei nouitate attonitos, non admiratio tantum, ſed etiam religio inceſſit.

Cæterum haudquaquam diuturnum gaudium ac donum Terſatēſibus fuit. Nam quadriennio non toto interiecto, hoc eſt anno Domini 1294. 4. Idus Decembris ex Illyrico träs mare Adriaticum, quod etiam ſuperum appellatur, quo traiectus patet millia paſſuum fermè centum, in Italiam delata, conſedit

ſedit in Recinetenſis agri ſylua, mille circiter paſſus à mari. Ea ſylua matronæ cuiuſdã Recinetenſis erat opulentæ; Lauretæ nomen fuit. Cuius deinde nomine Lauretana AEdes nuncupata, immortalem viciſſim reddidit celebritatem ei, vnde nomẽ acceperat. Tenet autem fama (nec vana eſt fides) venienti Deiparæ domicilio Arbores obuias, velut venerabundas inclinaſſe ſe: Syluam quoque arboribus condenſis opacam, miro illuſtratam lumine; adeò vt paſtores qui in proximo ſaltu armenta cuſtodiebãt, attoniti, primò quidem inter ſe muſſitare, poſtmodũ verò propius conferre pedem cœperint, ac tectum nõ tam ſpecie quã antiquitate inſigne conſpicere; cuius vetuſtum ædificium, nullis innixum ſtare fundamẽtis, nullis ſuffultum adminiculis oculis cernebãt. Quo ſpectaculo compulſi, in vrbem Recinetenſem citato currentes gradu, diuinum munus inter ſe ſibi & patriæ ſaluti gratulati ſunt. Nec voces vanæ, nec irritæ fuêre preces: etenim protinus depulſis morbis, reſtitutiſq; virib⁹ multorũ, diuina vis extitit. Sicq; certatim illic à Recinetenſibus ſacratiſſimę virginis cellula coli, celebrariq; cœpta eſt; quo aduſque totus ille ſaltus latrocinijs cædibuſq; infeſtus atq; infamis, abſterritis aduenis, ad ſolitudinẽ eſt redactus. Vnde diuina prouidentia tutiorem oportunioremq; aduenis ſedem ſuo matriſque ſuæ domicilio deligens, ad mille circiter paſſus ab eo loco propius Recinetũ

Turſellinus libr. 1. cap. 7.

non

non longe à via militari, octauo circiter menſe quàm lucum inſederat cellulam hāc ab Angelis transferri voluit: atque in collis cuiuſdam ſiſti vertice, ad duos germanos pertinentis. Quorum auaritia, ac frequens animorum diſſenſio effecit, vt ad iactum ferme ſagittæ ab eo loco in proximū collem, verſus mare ſubmoueretur, atque in ipſa via militari, quæ ducit ad portum Recinetenſem, vbi & hodiè frequenti hominum concurſu colitur, locaretur. Stetit autem ſacra Domus in colle fratrum paucos ſcilicet menſes: conſtat quippe nondum vertente anno, poſt eius in Italiam aduentum, in eo colle, vbi nunc viſitur, conſediſſe. Ita in agro Recinetenſi ter intra anni vnius ſpacium, ſiue accolarum vitio, ſeu potius diuino conſilio, ſedem mutauit.

Porrò Magiſtratus Recinetenſis, volēs omninò certior fieri de huius ſanctiſſimi domicilij veritate, primò quidem ab homine quodam ſolitario, (Paulum à Sylua non nemo appellat) cui diua Virgo id reuelauerat, edocti ſunt: inde verò cōmuni Picentiū conſilio decretum, vt ære contributo, certi homines in Illyricū, atque inde in Galilæā vlterius perrecturi, deſtinarētur, rē oculis certiſque indicijs exploraturi. Atque ita ſexdecim viri fide, religione, authoritate præſtantes ex omni Piceno lecti, qui in Dalmatiam venientes, Terſacti ædiculæ menſura quam ſecum

Turſellin. lib. 1. cap. 13.

ſecum ad hunc vſum attulerant, quaquà verſus ducta, quod vacui erat ſpatij, id Lauretanæ domui prorſus congruere deprehendũt. Nazarethum autem vt venêre, natalem B. Mariæ è Chriſtianis inquirunt, à quibus deducti, reperiunt aream cum fundamentis auulſæ domus in ſolo relictis; quæ intentiore cura dimenſi, omninò cum Illyricis veſtigijs, ædiſque Lauretanæ forma, ac parietibus conuenire comperiunt. Atque ita voto potiti ſuo, læti domum remearunt, dicentes hoc illud ipſiſſimũ eſſe domicilium, in quo B. Anna ſanctiſſimam Dei genitricem peperit, & cœleſtis nuntius eandem ſalutifera ſua ſalutatione inuiſit. Cuius rei fidem quoque faciunt quotidiana, quæ etiamnum indidem fiunt, miracula. E quorum numero illud in primis ſtupendum, quod anno 1526. accidit; cùm nimirum Solymannus Turcarum Imperator Hungariam, profligato atque occiſo Ludouico Rege, depopulatus eſt. In cuius manus Sacerdos quidam Dalmata, vir antiqua ſimplicitate, idemque Lauretanæ virgini vnicè deditus, eâdem illa tempeſtate incidit; à quibus cùm quo pergeret interrogaretur, reſpondit ſe voti ac religionis cauſſa Lauretum petere. Tum verò illi furẽtes ira, Sacerdotem ferro pariter inuadunt, ac diſſecto apertoque pectore, inteſtina à ſummo reciſa extrahunt, eaque ſemineci, iam iamque (vt rebantur) caſuro, tradunt; ſimul per ludibrium inſultantes; abi iam,

Turſellinus lib. 2. cap. 18.

prope-

propera, & voti exoluendi gratia præcordia tua virgini defer Lauretanæ. Ille autem moribundus, Deo mortem morante vireſque ſuggerente, porrò ire pergit, multorumque dierum itinere celeriter emenſo, Lauretum peruenit exta ſua præferens manu. Vbi ad vltimum gratijs virgini actis, & ſolemnibus Confeſſionis Euchariſtiæque communitus præſidijs, in Deiparæ conſpectu complexuque, efflauit animam. Exta ipſa è regione ſacroſanctæ Cellæ ſuſpenſa, etiam adhuc anno 1553. cùm ego locũ hunc deuotionis cauſſa inuiſerem, aduenis ſpectaculo fuêre. Sed vobis hæreticis hæc quæ totius orbis teſtimonio atque oculari inſpectione comprobantur, fabulæ figmentaque ſunt.

DECIMVSQVARTVS articulus, *de Cælibatu Sacerdotum.* AEtate D. Hieronymi, circa annum Domini 395. duo ſunt exorti hæretici; quorũ vnus Heluidius fuit, diſcipulus nimirum Auxentij Mediolanẽſis Arriani Epiſcopi: alter verò Iouinianus, Romanus Monachus, qui virginitatem matrimonio æquiparantes, multis ſacris ac Deo dicatis virginibus, matrimonij ineundi auctores exſtitêre. Quamquam hic monaſterio relicto, atque excuſſo cucullo, à coniugio nõ caſtitatis amore, ſed oneris difficultate abſtinuerit. At verò Lutherani noſtri, aliud ſubſternunt fundamentum, quò Presbyteros, Monachos, ac Moniales ad matrimonium pelliciant; dicentes nemini fore poſſibile CAPVT XLVII.

Digitized by Google

continenter viuere: tum & ipſum coniugij vſum magis neceſſarium, quàm vel cibi vel potionis; quo quidem nefariæ excuſationis prætextu & ſuam omnibus produnt turpitudinem, & quàm parum caſtè in vxorum abſentia aut diuturniori ægritudine degant, palam profitentur. Adeò vt grauiter Magiſtri ſui pareant præcepto, mandantis, *vt ſi nolit vxor, aduocetur ancilla.* Viden' ergo, amice mi, quàm carnales ſitis Doctores, quamque impuras rerum venerearum ſordes, Euangelij loco euomatis? Dic age, quando tale quid in Sancta Eccleſia Catholica videris, vbi nam Presbyteris, monachis, ac monialibus ab ipſis retrò Apoſtolorum temporibus, coniugium permiſſum legeris? Ipſe quidem veſter Patriarcha Lutherus, ſacrilego auſu Catharinam Borre ſibi ſociauit, cuius veſtigijs ſedulo inſiſtunt plerique illorum qui poſtpoſito religionis voto, clauſtra deſeruêre, & ſub matrimonij interim prætextu, adulterijs ac alijs horrendis ſacrilegijs, libidini fræna laxant. Nam poſtquam ſe quiſque vel matrimonij vinculis aſtrinxit, vel Monaſticæ religioni conſecrauit, quemadmodum coniugij fœdus violare non licet; ita neque perpetuæ pudicitiæ ſacramentum, polluere cuiquam fas eſt. Et qui tantum facinus audet, crimen immane ſuſcipit, diuino iudicio ſeuerè vindicandum. Non etenim in religioſo aut Sacer-

dote

dote incontinentia ſimplex tantum fornicatio eſt, ſed adulterium, immò & horrendum ſacrilegium. Nam votum Deo in profeſſione atque ordinum ſacrorum ſuſceptione factum, infringunt, *primamquè fidem*, vt Apoſtolus ait, *irritam faciunt*, & diuinæ voluntatis obſequio, cui ſe in perpetuum obligauerant, ſubtrahunt. Verum enimuerò hoc vobis inſitum eſt, vt ex veſtrâ turpitudine, mores aliorum metiri velitis, eoſq; vobiſcum in eandem obſcenę libidinis naſſam pertrahere. Non minus quā olim Nero ſecum ſtatuebat, omnes nimirum eſſe eiſdem ſceleribus inquinatos, quibus ſe ipſe conſtrinxerat. Quæ quidem opinio facit, vt cum homines flagitioſi audiunt aliquem eſſe Sacerdotem aut religioſum inſigni vitæ caſtimonia prędítum, id non modò nō credāt, ſed etiā illi ſæpè numero infandum aliquod ſcelus adfingant; quippe qui libidinis immanitati reſiſtere, nemini eſſe poſſibile autumāt. Atq; hinc eſt, quod frequēter nobis obijcitis, vbi nā ſcriptum habeatur, Presbyteris matrimonio eſſe interdictum. Ad quod ego; omnibus certè ijs in locis, vbi diuina lex præcipit, votum Deo factum inuiolabiliter ſolui oportere; Dauide id in primis atteſtante, ac dicente. *Vouete & reddite Domino Deo veſtro*: Nec non & Salomone: *Pſal 75.* *Si quid vouiſti Deo, ne moreris reddere. Diſplicet enim ei infidelis & ſtulta promiſſio, ſed quodcunque voueris, reddere. Multoquè* *Eccleſ. 5.*

melius eſt non vouere, quàm poſt vota, promiſſa non reddere. Quin & Deus ipſe idem præcipit, dicens: *Cùm votum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus: & ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* Tum & Paulus monet, adoleſcentiores viduas deuitandas, quòd cùm luxuriatæ fuerint in Chriſto, nubere velit; *habentes*, ſcilicet, *damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* Et vt magis admirari poſſis, animaduerte, non dixiſſe Apoſtolum, illas viduas poſt primas nuptias viris alijs contra fidem datam nupſiſſe, ſed tantùm nubere voluiſſe: vt intelligi poſſit, huius fidei religionem vel ſola voluntate & propenſione ad ſecundas nuptias, impiè & ſceleratè violari. Itaque ſicuti nemo in Romana Eccleſia Sacerdotio, Diaconatu, aut Subdiaconatu initiatur, qui non voto ſe obſtringit, quod vitam omnem in caſtitate exacturus ſit; ita & religioſi tribus ſolemnibus votis Deo obligantur; voluntaria nimirum paupertate, obedientia, ac perpetua caſtitate.

Deut. 23. verſ. 21.

1. Tim. 5. verſ. 11.

Secundò, ſuppetit nobis ſufficiens exemplum, Apoſtolorum omnium continentia, Chriſto Petri voce dicentium, *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te, quid ergo erit nobis?* Vbi ſub verbo *omnia*, etiam vxores comprehēduntur. Id etenim liquet ex Chriſti Saluatoris reſponſo, promittētes nimirū centuplam mercedem, nec non & vitam æternam

Matt. 19. verſ. 27.

Digitized by Google

ternam ipſis *qui reliquiſſent domum, fratres, ſorores, patrem, matrem, quin & vxorem propter nomen ſuum*. *Tertiò*, per Eſaiam vatem pollicetur Dominus Eunuchis, *nomen melius à filijs & filiabus*, nomen inquam ſempiternum, quod nulla vnquam delebit obliuio. Neque cuiquam dubium, quin ſicuti Eccleſiaſticæ vitæ ſtatus in Eccleſia Catholica ſupremus eſt, à quo cæteri omnes diriguntur; ſic eos qui huius dignitatis ſunt, adinſtar Eunuchorum caſtè ſemper viuere oportere, neque vllo modo votum debere infringere. *Hi etenim ſunt, qui ſeipſos*, Chriſto atteſtante, *caſtrarunt propter regnum cœlorum*; vnde & Deo, vti Athenagoras ait, propinquiores acceptioreſque ſunt. *Quartò*, conſtat ex veteri Teſtamento, vbi Sacerdotum legitima erat ſucceſſio, ac per vices miniſtrabant, permiſſum quidem ipſis coniugium, ita tamen vt virginem ducerent, idque ſemel tantum; abſtinentes interim ab omni matrimonij vſu, dum ſacris operaturi erant. Quantò verò nunc ſatius ac decentius erit, in S. Eccleſia, in qua Sacerdotum filij non parentibus ſuccedunt, neque alternatim ſacris deſeruiunt altaribus, ſed per Epiſcopalem ordinationem præſtantiſſimi quique deliguntur, qui quotidie diuinis rebus occupentur, idipſum perpetua lege obſeruari? Hoc etenim argumentandi genere, *a* Syricius vtitur Papa; nec non & *b* Innocentius I. aduerſus Iouiniani-

Matt. 19. verſ. 29.

Cap. 56. verſ. 5.

Apologia pro Chriſtian.

a *Epiſt. 1. ad Himmeric.*
b *Epiſt. 2. ad Victric. Epiſ. Rot. & Epiſ. 3. ad Exuperium Toloſ.*

ſtarum Monachos ac presbyteros, Lutheranorum prodromos. Similiter & *c* Ambroſius, *d* Hieronymus, *e* Euſebius Cæſarienſis.

c In 1 Tim. cap. 3.
d Apolog. pro libr. cont. Iouinian.
e Lib. de Demonſt. Euãg. cap. 9.

Quinto, in veteri Teſtamento, continentiam ab vxoribus videmus in primis fuiſſe requiſitam in ijs, qui Deo appropinquaturi, aut rem aliquam ſacram contrectaturi erant. Nam Exod. 12. præcipitur, vt comeſturi Agnum Paſchalem, renes accinctos haberent; quo ſignificabatur, *f* Gregorio exponente, oportere eos carnis voluptatem edomare, qui Agni carnibus veſcituri erant. Similiter cùm populus legem à Deo in monte Sinai accepturus eſſet, ait illis Moyſes; *Eſtote parati in diem tertium, & ne appropinquetis vxoribus veſtris*. Quo teſtimonio vtitur B. *g* Ambroſius ad continentiam Clericorum comprobandam. Aaroni quoque, ac filijs eius Sacerdotibus, à Deo præceptum erat, cum ingrederentur tabernaculum, fœminalibus lineis à renibus vſq; ad femora tecti eſſent; quo declarabatur vt Beda exponit, Sacerdotes noui Teſtamenti aut Virgines eſſe debere, aut contracta cum vxoribus fœdera diſſoluiſſe. Quid? quod nec Achimelech quidem Sacerdos, Dauidi petenti panes propoſitionis dari voluerit, niſi audito quod ab vxoris congreſſu aliquamdiu ſibi temperaſſet? Tum & Paulus ipſe coniugatis permittit, vt cùm ieiunijs orationibuſque attentiori cura velint

f Hom. 22. ſuper Euangel.
Exod. 19.
g Lib. 1. Offic. cap. vlt.
Exod. 28.
Beda lib. 3. de Tabern. cap. 9.
1. Reg. 21.
1. Cor. 7.

lint

ſint incumbere, poſſint ad tempus abſtinere. Quanto ergo magis Chriſtianorum Sacerdotes, quibus quotidiè precibus vacandum, iugiterque cum Deo loquendum, ac ſanctiſſimum Chriſti corpus, quo ille panis propoſitionis ſignificabatur, ſacrandum tangendumque, perpetuo caſtam vitam agere par eſt? Nonne & Apoſtolus ipſe hoc præcipit, dum *vult Presbyterum hoſpitalem eſſe, benignum, ſobrium, iuſtum, caſtum, continentem?* His namque rationibus præfati nituntur Patres, nempè Syricius, Innocentius, *a* Hieronymus, *b* Epiphanius; neque vllatenus dubium, quin Apoſtolica ſit traditio, à Chriſto diſcipulis relicta, nemini ſcilicet Epiſcoporum, Presbyterorum, aut Diaconorum, quibus Sacramentorũ tractãdorum incũbit cura, fas eſſe vxorem ducere, ac matrimonij vinculis ſeſe illigare. In Canonibus enim Apoſtolorum decretum eſt, vt ex illis qui cęlibes ad Eccleſiaſticum conſcendiſſent ordinem, ſolis Lectoribus Cantoribuſque Matrimonium ſi vellent, capeſſere liceret. Itaque iam hinc ab ipſis Apoſtolorum temporibus, nulla vnquam hac ſuper re exorta eſt quæſtio, an ſacris initiati poſſent vxores ducere. Verùm illud inter Græcos ac Latinos Patres aliquamdiu controuerſum, an permittẽdus eſſet vſus vxorũ, quas Sacerdotes ante ordinationẽ habuerãt. Et Græci q̃dẽ in Cõcilio quod Cõſtantinopoli in palatio Imperatoris Iuſtiniani II. Trullũ nũcupato,

Tit. 1. 8.

a *In cap. 1. ad Tit.*
b *Hæreſ. 78.*

2. Concil. Carthag. can. 2. & 27.

Canon. Apoſt. 25.
Clemens lib. 6. Apoſt. Conſt. ca. 17.

Concil. Trul. can. 13.

ſcandalum aut offendiculum infirmioribus prouenire. Atque hinc nunquam clerico abſente, vllam voluit conuenire fęminã. Quod idem de B. Martino Turonenſi Epiſcopo eius teſtatur diſcipulus Sulpitius.

Ibidem.

Seuer. Sulpit. in vita S. Mart.

CAPVT XLVIII.

VERVM apud noſtros interim reformatos Prædicantes, non tanta eſt rei huius religio; quippè qui & ipſi liberrimè cùm fęminis cõſueſcunt, & cęteris id pro voto permittunt. Nam neque ſacris litant, neque verum Chriſti corpus populo adminiſtrant, ſed noui tantùm atque irreformati Euangelij prędicatione fidem, quæ ſola illis ſufficit, excitare in ſuorum animis auditorum conantur. Itaque rerum Venerearum vſum non magnoperè talibus obeſſe concionatoribus opinantur. Quod ex duobus ſubſequẽtibus liquet exemplis: quorum vt primum in Anglia anno 1583. ſic alterum triennio ante ibidem accidit. Illic enim Concionatori Comitis Salopienſis (hic autem idem ille eſt qui Mariam Scotiæ reginam inſignis pudicitiæ ac ſanctimoniæ fœminam, Eliſabethæ iuſſu vinctam annis aliquot detinens, tãdem gladij animaduerſione martyrem effecit, ac cœlo inſeruit) vetula quædam matrimonio erat iuncta; cuius ex primo thoro filius, pulcherrimæ cuiuſdam puellæ æſtuabat deſiderio: quàm vt coniugio ſibi ſociaret, ſummo contendebat ſtudio. Verùm quia id aſſequi nequibat, nî pro introducta Anglicanæ Eccleſiæ conſuetudine, prius tã ſponſus quàm

Digitized by Google

ſponſa catechiſtica eſſet à concionatore imbutus inſtructione, idcircò adoleſcens hic vitrici ſui catechiſmi gratia ingreſſus eſt cóclaue. Quo vtcunq; iam inſtructo atq; egreſſo, etiam ſpóſa in eodem hoc conclaui Concionatorē ſola conuenit. Quam tam bellè ac lepidè catechiſauit, vt verbis ſubſequeretur actus: quoaduſq; ſuperueniens vxor, in hoc nefario opere occupatũ maritũ multis atrocib⁹ exciperet conuitijs. Cõmota.n.erat grauiter, tum ꝙ matrimonij fidē non probè ſeruaſſet, tũ quod virginei pudoris florē puellæ eripuiſſet, adeò vt ei⁹ filius pro caſta virgine cócionatoris iã ſcortũ ducere debuerit. Verũ ille cõfuſus magis, q̃ elinguis: *Tace*, inq̃t, *vxor, nam & mea tibi neceſſaria eſt in victu acquirēdo opera, & à me tota ipſa dependes*. Alteri quoq; exemplo, ſua conſtat fides: quippè quod Mansfeldię in Anglia loco celebri cõtigit; vbi cùm quidam hæreticæ farinæ præco puellæ cuiuſdam elegantis formæ, à qua efflictim quoq; amabatur, ambiret nuptias; neque ijs, quòd parentes eam inſigni cuidam ac benę opulento adoleſcenti nubere mallent, cõmodę potiri poſſet, hac vſus eſt arte. Aduentante iam ſponſo, atque in Eccleſiam cum amicis, vt ibidem matrimonio puellæ, concionatore mediante, iungeretur ingreſſo, quærit à ſponſa, catechiſandi modo *quid crederet*: illa *reſpondet ſe certo credere quod concionator eam deſponſaturus eſſet*, (ita enim iam ante priuatim ab eo edocta erat)

Neque

Neq; amici aliter hæc verba accipêre, quàm quod Prædicans miniſtri officio functurus, puellã id petentẽ, cum præſente adoleſcente matrimonio iuncturus eſſet, licet illa cum cõcionatore longè aliũ prætenderet ſenſũ. Qui idcircò ſuã iterans interrogationẽ, *Credis ne ergò firmiter*, inqt, *quod te deſponſaturus ſim, idq; etiam toto corde petis?* Illa denuò id affirmante, ſubiungit illico: *Ego ergo te mihi deſpondeo, atq; in vxorem aſſumo.* Ad quę ſpõſus vnà cum amicis attonitus, ægrè admodũ tulit tali techna tam inopinatè ſuam ſibi eripi ſponſam, quaſi paranymphi loco hac de cauſſa eam concionatori obtuliſſet. Certè mihi iſtius generis nequiſſimæ deſponſationes in antiquorum Patrum ſcriptis, qui pro more Catholicæ noſtræ religionis magna animi puritate ſollicitudineque ſacerdotali officio fungebantur, nuſquam lectæ ſunt. Hic de quo loquimur concionator, longo quidem tempore huius adoleſcentulæ ambierat nuptias; verùm quia parentes cùm eſſent honeſtioris conditionis, detrectabant filiam ſuã tali locare marito: qui pro conſuetudine cæterorũ Angliæ concionatorum plerique ſpurij ſunt, ac malè nati: idcircò repulsã ſemper tulit, adeò vt nõ niſi interpoſita fraude, voto quiuerit potiri ſuo.

Interim verò multò ſe prudentiùs geſſit puella quædã Bohemica, magnarũ opũ filia: q̃ vt importunis Miniſtri cuiuſdã ſollicitationib⁹ ſeſe eximeret, eũ paulò antè cõcionẽ

ad ma-

ad matutinum inuitauit ientaculum: callidè præ ſe ferens, quod ſolutâ concione, de ſponſalibus contrahendis, ſermonem cum amicis eſſent habituri. Qua pollicitatione redditus hilarior, largè ſe refecit, ac ſuauiter cibo potuique indulſit. Cui tamen grana aliquot medicata, quę ventrem bellè ſubducerent, clanculum puella indi curauerat: Adeò vt Miniſter in ſuggeſtu seriò iam occupatus, atque in eo totus, vt præſenti ſuę amaſiæ affectatis geſtibus, blandulisque verbis gratioſum ſeſe exhiberet, medicina efficaciter operante, ſuis excrementis inſigniter defœdaretur, antequam ad medium concionis eſſet peruentum. Vnde deſcendere non audens, totum hiſce ſordibus commaculauit ſuggeſtum: ita vt fœdiſſimi huius liquoris fiſtulatim excuſſi aſpergine, qui proximiores erant (vach naribus, vach auribus) miſerrimè conſpurcarentur, totaq; Eccleſia ſumpti paulò antè ientaculi fœtorem quaquauerſum redoleret. Itaque ſumma cum confuſione inde ſe proripiens, de cætero procum agere deſijt.

Tom 3. Sur. 12. Maij. cap 38. Idem de Carpo ſcribit Dionyſ. Areopag.

VERVM vt aliquando finem faciā, concludam caput hoc, verbis Ioannis Cyprij; qui in vita S. Epiphanij, huiuſcemodi de eo commemorat exemplum. *Tempore*, inquit, *oblationis nunquā perficiebat oblationem Epiphanius, donec vidiſſet viſionem, conſueuerat que beatus præfari verba quædam, & ei ſtatim reuelabatur. Cùm itaque aliquan-*

do ter

do ter dixiſſet ſermonem, nulla ſe ei obtulit viſio. Cùm is autem lugeret & oraret, vt ſibi cauſa ſignificaretur, primus obſeruat Diaconum, qui à ſiniſtris tenebat ventilabrum miniſtratorium. Quem cùm obſeruaret, conſiderat Epiphanius in fronte eius apparere lepram. Nulli autem erat manifeſtum, Diaconum eo morbo laborare. Epiphanius itaque manum extēdit, & inſtrumentum leuauit miniſtratorium, ei benignè dicens, vade, fili, in domum tuam, & nemodò ſumas diuina myſteria. Ipſe autem ſtatim egreſſus eſt, & iuit in domum ſuam, datquè Epiphanius ventilabrum aliꝫ Diacono. Cùmque diuina verba incepiſſet cùm metu & lachrymis, vbi perfecit, ſtatim vidit viſionem. Poſt Eccleſiæ autem dimiſſ onē, accerſito Diacono, ex eo ſciſcitatur cauſam. Cumquè is diceret, quod illa nocte dormierat cum vxore: accerſito toto ordine ſacrato, eis benignè dixit Epiphanius: Quicunque, ô filij, clero digni eſtis habiti, ſoluite calceamēta veſtra, vt non in iꝫs ingrediamini, & vt colatis virum ſanctum, qui in Eccleſia prædicat & dicit: Et habentes vxores, tanquam non habentes. Ex hinc ergò non amplius ordinabat Epiphanius eos, qui haberēt vxorem, ſed viros ſanctos, qui vitam exercebant monaſticam, & viduos viros probatos. Hactenus ille. 1. Corint. 7.

CAPVT XLIX.

ADDIS deinde, & alia huius generis eſſe mille, quæ nullis diuinarum litterarum teſtimo-

ſtimonijs fulcita, ſolis (vt præcipui quiquę Romana Eccleſiæ Doctores fatentur) Traditionibus, humaniſque adinuentionibus nituntur. Certè ſi in mille articulis ab auorũ deſciuiſtis fide, heu nimis longè ab antiqua Eccleſiæ Catholicæ ſinceritate deuiaſtis; adeò vt iam non mirer Gallicorum hæreticorum legatos Bizantij apud Turcarum Proceres, (Baſſas vulgus nominat) vltrò, vt ſuprà diximus, faſſos, Hugonotarum religionem haud procul à Mahumetana diſſidere. Quæ res etiam noſtros induxit Batauos, vt dimidiatam lunam, Turcicæ gẽtis inſignia, è collo tali cum inſcriptione aliquãdiu ſuſpenderint; *Turcæ prius erimus quàm Papiſtæ.* Itaque magna animi contentione ante annos aliquot Caluiniſticæ in Francia Synagogæ profeſſores, Carolum Boyſotũ inducere conati ſunt, vt iter Conſtantinopolim pararet, incitaturus ibidem Turcarũ Imperatorẽ, vt per Velonam, ſuę ditioni ſubiectã, Tarentum petens, Italiã deinde inuaderet, Neapolim Romamq; pòſt occupaturus: ſe interim Belgicarũ ditionũ vrbes ſibi ſubiecturos, Turcicæque nationis dominio addicturos. Verùm Carolus gentis tyrannidem, atq; in Chriſtianos omnes vatinianum odiũ non ignorans, legationis huius munus obire noluit, ſciens quàm infenſo in hæreticos animo ſit Turca, ob illorũ perfidiam, rebellionẽ, proditionem, ſimultates, ſummamq; inconſtantiã. Sed neq; hîc ſtetit res, quin Beza an. 1575. denuò ſuis cum Caluinianas

Vide lib. 7. Collat. Sacr. Tilmã. Bredenb. c. 19.

Digitized by Google

nianæ ſectæ Miniſtris concilio habito, eo inclinaret animũ, vt amicitiæ fœdere cũ Turcis inito, omnia ſeditionibus ac bellorũ tumultibus per totũ Chriſtianiſmũ ſurſum deorſumq; miſcerent: quo vel ſic tandẽ liberi⁹ omnes regni Chriſtiani proceres ſuæ factioni parum fauentes, internecione delerent. Cuius quidẽ peſſimi cõſilij ſucceſſum tuliſſent optatũ, nî Condęus Princeps, aliquanto clemẽtioris animi vir, nefarijs illorum obſtitiſſet conatibus, dicẽs ſe nullo modo tam ſceleratæ ac noxiæ rei aſſenſum præbiturũ; quin potiùs ſi extremi periculi vrgeat neceſſitas, malle ſe gregarij adinſtar militis, cum enſe ſolo ac chlamyde aliô militatum concedere, quàm tanti mali occaſio dici ac haberi. Neque quicquam importuna Miniſtrorum inſtantia profuit, inculcantium ſubinde Iunonium hunc verſiculum,

Flectere ſi nequeo Superos, Acheronta mouebo.

à quo non magnoperè diſcrepat quod anno 1519. Lutherus Lipſiæ de nouitatũ ſuarum adinuẽtionib⁹ protulit, dicẽs: *Neq; hac res propter Deum cœpta eſt, neq; propter Deũ finietur.* Cùm ipſe ego in Germania de ſuperiorum meorũ volũtate demorarer, duo reperti sũt Heidelbergæ hæreticę prauitatis Prędicãtes primarij, qui literarũ ſuarum denunciatione, magnũ Turcarũ Imperatorẽ, vt in Germaniã acceleraret, exiſtimularunt, omnem ei ſuã in propaganda Mahometana perfidia operã pro virib⁹ deferentes. Horum è numero vnus fuit, Ioannes Syluanus, alter verò

Adamus

Adamus quidam. Verùm quia litteræ interceptæ ſunt, idcircò ille quidem capite temeritatis ſuæ pœnas luit, hic autem fugæ præſidium mandans, AEgyptum petijt; vbi pro more patriæ circumciſus, Mahumetanæ ſuperſtitioni manum dedit. Quin & Arriani olim, Gentilium in oppugnandis Catholicis ſubſidio vtebantur; vt vel hinc colligas, qui & quales veſtræ ſint perfidiæ Magiſtri. Inſuper & inſignis te mendacij macula contaminas, amice mi, dum non minus falsò quã temerè adſeris, præcipuos quoſque Romanę Eccleſiæ Doctores fateri quatuordecim hoſce iam elucidatos articulos, alioſque, quos ſubtices, mille, ſolis niti Traditionibus, humaniſque adinuentionibus. Profer vel vnum, ſi potes. Verùm miſſis his, indubitanter adfirmamus, omnem fidei noſtræ rationem diuino fulciri teſtimonio, Deique verbo: ita tamen, vt non omnia quæ Deus vel dixit vel fecit, chartaceis ſint tradita voluminib⁹. Sicuti ne illud quidem vſpiam ſcriptum reperies, quod non ſint plures paucioreſque Euangeliſtæ quàm quatuor: quòd Pauli epiſtolæ tantùm ſint quatuordecim: Petri duæ: Ioannis tres. Similiter quod hæc Chriſti verba, *Pater maior me eſt,* non de diuinitate, vt Arriani volebant, ſed de humana Chriſti natura, intelligenda, atque id genus alia.

Theod. lib. 4. hiſt. c. 20.

CAP. L.

HIs verò ſubiungis protinus, *vos reformatos Euangelicos in negotio ſalutis, omne id reſpuere, quod nõ vel expreſſo Dei verbo con-*

Digitized by Google

tinetur, vel per manifeſtam conſequentiam non inde queat elici. Quod cur credatis, velim mihi ex ipſis ſacris literis, quas toties in ore habetis, demonſtretis. Sed quantum video verborum nænias, demõſtrationum adfertis loco. Atq; ideo nugaris *reformatos Euangelicos cætera omnia reſpuere*. Vnde ſequitur, vos per electionem, vt olim Arriani ac alij hęretici omnes id aſſumere quod vultis, vt hac ratione proprio ſatisfaciatis iudicio. Verùm enimuerò, obſecro te, mi amice, dic nobis cur cætera omnia reſpuitis, nihilq́ue præter Scripturas acceptatis? Si tale quid ſcripturæ produnt, cur locum non indicas; vt quam inde conſequentiã illaturus ſis probè conſpiciamus. Si autem non; certè mendacij te ipſum reum agis. Obſtat enim prauis opinionibus veſtris omnis antiquitas, ac venerãda ſuperiùs à me allegata Sanctorũ Patrũ authoritas: qui vt ſummę pietatis ac perſpicacis ingenij fuerũt, ita multò accuratiùs profundiuſq́ue genuinũ diuinarum literarũ ſenſum, omneſq́; eius conſequẽtias, perſcrutati ſunt, quàm vos nouelli ac nuperi hæretici. Atq; ideo tuum ſinũ inſpice, propriamq́ue conſcientiam diſcute, num impiæ libertatis ſectas conſectemini: cuius vnicum fundamentum, propria eſt voluntas. Hoc enim tutè ipſe apertè præ te fers, dicens: *Omne id à vobis reſpui quod non vel expreſſo Dei verbo continetur, vel per debitam conſequentiam inde non poteſt elici*. Hoc autem nuſquam in ſacro

Vide Bellar. Tom.1.l.1.de cleric.ca.21. nullo Romano approbante Pontifice co-gerunt, ſuis conceſsêre Presbyteris, Diaconis ac Subdiaconis, vt tempore illo quo ſacris non operantur, neque altari deſeruiunt, *Hæreſ.59. Catharor.* matrimonio queant vacare. *Ad hoc non eſt,* inquit Epiphanius, *iuxta Canonem, ſed iuxta hominum mentem, quæ per tempus elanguit, & propter multitudinem, cùm non inueniretur miniſterium.* Interim verò nõ permittunt Græci, Epiſcopos vnquam ſuis, quas ante ordinationem duxerant, miſceri vxoribus. Latina autem Eccleſia id nõ ſolum in Epiſcopis, verùm etiam in quolibet ſimplici Sacerdote ſemper deteſtata eſt. De quo conſule Concilium *a* Elibertinum, *b* Carthaginienſe II, *c* Aurelianenſe, *d* Arauſicanum, *e* Veneticum, *f* Turonicum, *g* Aruernienſe, *h* Antiſiodorẽſe, *i* Gerundenſe, *k* Matiſconenſe, *l* Lugdunẽſe, *m* Toletanum I. *n* Toletanum III. *o* Carthaginienſe V. In prima Generali Nicæna Synodo Can.3. interdicitur Epiſcopo, Preſbytero, & Diacono, ne domi mulierem vllam habeant præter matrem, ſororem, aut amitam. Cuius præcepti tam rigidus executor B. Auguſtinus extitit, vt, Poſſidio teſte, ne germanam quidem intra domus conſeptum tolerare voluerit; dicens, etſi de ſorore & neptibus ſecum commorantibus nulla ſiniſtra poſſit exoriri ſuſcipio, quoniam tamen illæ ſine alijs neceſſarijs ſecumque manentibus fœminis eſſe non poſſent, & quod ad eas etiam aliæ aliundè intrarent, de ijs poſſe ſcan-

a *Can.33.*
b *Can. 2.*
c *Can. 2.*
d *Cap.23.*
e *Cap.11.*
g *Cap.12.*
h *Cap.20.*
i *Cap.6.*
k *Cap.11.*
l *Cap.1.*
m *Cap.3.*
n *Cap.5.*
o *Cap.3.*
Cap.26. vita B. Augu.

ſcandalum aut offendiculum infirmioribus prouenire. Atque hinc nunquam clerico abſente, vllam voluit conuenire fęminā. Quod idem de B. Martino Turonenſi Epiſcopo eius teſtatur diſcipulus Sulpitius.

Ibidem.

Seuer. Sulpit. in vita S. Mart.

CAPVT XLVIII.

VERVM apud noſtros interim reformatos Prædicantes, non tanta eſt rei huius religio; quippè qui & ipſi liberrimè cùm fęminis cōſueſcunt, & cęteris id pro voto permittunt. Nam neque ſacris litant, neque verum Chriſti corpus populo adminiſtrant, ſed noui tantùm atque irreformati Euangelij prædicatione fidem, quæ ſola illis ſufficit, excitare in ſuorum animis auditorum conantur. Itaque rerum Venerearum vſum non magnoperè talibus obeſſe concionatoribus opinantur. Quod ex duobus ſubſequētibus liquet exemplis: quorum vt primum in Anglia anno 1583. ſic alterum triennio ante ibidem accidit. Illic enim Concionatori Comitis Salopienſis (hic autem idem ille eſt qui Mariam Scotiæ reginam inſignis pudicitiæ ac ſanctimoniæ fœminam, Eliſabethæ iuſſu vinctam annis aliquot detinens, tādem gladij animaduerſione martyrem effecit, ac cœlo inſeruit) vetula quædam matrimonio erat iuncta; cuius ex primo thoro filius, pulcherrimæ cuiuſdam puellæ æſtuabat deſiderio: quàm vt coniugio ſibi ſociaret, ſummo contendebat ſtudio. Verùm quia id aſſequi nequibat, nî pro introducta Anglicanæ Eccleſiæ conſuetudine, prius tā ſponſus quàm

ſponſa catechiſtica eſſet à concionatore imbutus inſtructione, idcircò adoleſcens hic vitrici ſui catechiſmi gratia ingreſſus eſt cõclaue. Quo vtcunq; iam inſtructo atq; egreſſo, etiam ſpõſa in eodem hoc conclaui Concionatorẽ ſola conuenit. Quam tam bellè ac lepidè catechiſauit, vt verbis ſubſequeretur actus: quoadusq; ſuperueniens vxor, in hoc nefario opere occupatũ maritũ multis atrocib⁹ exciperet conuitijs. Cõmota.n.erat grauiter, tum ꝙ matrimonij fidẽ non probè ſeruaſſet, tũ quod virginei pudoris florẽ puellæ eripuiſſet, adeò vt ei⁹ filius pro caſta virgine cõcionatoris iã ſcortũ ducere debuerit. Verũ ille cõfuſus magis, q̃ elinguis: *Tace*, inqt, *vxor, nam & mea tibi neceſſaria eſt in victu acquirẽdo opera, & à me tota ipſa dependes*. Alteri quoq; exemplo, ſua conſtat fides: quippè quod Mansfeldię in Anglia loco celebri cõtigit; vbi cùm quidam hæreticæ farinæ præco puellæ cuiuſdam elegantis formæ, à qua efflictim quoq; amabatur, ambiret nuptias; neque ijs, quòd parentes eam inſigni cuidam ac benè opulento adoleſcenti nubere mallent, cõmodę potiri poſſet, hac vſus eſt arte. Aduentante iam ſponſo, atque in Eccleſiam cum amicis, vt ibidem matrimonio puellæ, concionatore mediante, iungeretur ingreſſo, quærit à ſponſa, catechiſandi modo *quid crederet*: illa *reſpondet ſe certo credere quod concionator eam deſponſaturus eſſet*, (ita enim iam ante priuatim ab eo edocta erat)

Neque

Digitized by Google

Neq; amici aliter hæc verba accipêre, quàm quod Prædicans miniſtri officio functurus, puellã id petentẽ, cum præſente adoleſcente matrimonio iuncturus eſſet, licet illa cum cõcionatore longè aliũ prætenderet ſenſũ. Qui idcircò ſuã iterans interrogationẽ, *Credis ne ergò firmiter*, inqt, *quod te deſponſaturus ſim, idq́ etiam toto corde petis?* Illa denuò id affirmante, ſubiungit illico: *Ego ergo te mihi deſpondeo, atq; in vxorem aſſumo.* Ad quę ſpõſus vnà cum amicis attonitus, ægrè admodũ tulit tali techna tam inopinatè ſuam ſibi eripi ſponſam, quaſi paranymphi loco hac de cauſſa eam concionatori obtuliſſet. Certè mihi iſtius generis nequiſſimæ deſponſationes in antiquorum Patrum ſcriptis, qui pro more Catholicæ noſtræ religionis magna animi puritate ſollicitudineque ſacerdotali officio fungebantur, nuſquam lectæ ſunt. Hic de quo loquimur concionator, longo quidem tempore huius adoleſcentulæ ambierat nuptias; verùm quia parentes cùm eſſent honeſtioris conditionis, detrectabant filiam ſuã tali locare marito: qui pro conſuetudine cæterorũ Angliæ concionatorum plerique ſpurij ſunt, ac malè nati: idcircò repulsã ſemper tulit, adeò vt nõ niſi interpoſita fraude, voto quiuerit potiri ſuo.

Interim verò multò ſe prudentiùs geſſit puella quædã Bohemica, magnarũ opũ filia: q̃ vt importunis Miniſtri cuiuſdã ſollicitationib⁹ ſeſe eximeret, eũ paulò antè concionẽ

ad ma-

ad matutinum inuitauit ientaculum: calli- dè præ ſe ferens, quod ſolutâ concione, de ſponſalibus contrahendis, ſermonem cum amicis eſſent habituri. Qua pollicitatione redditus hilarior, largè ſe refecit, ac ſuauiter cibo potuique indulſit. Cui tamen grana aliquot medicata, quę ventrem bellè ſubducerent, clanculum puella indi curauerat: Adeò vt Miniſter in ſuggeſtu seriò iam occupatus, atque in eo totus, vt præſenti ſuę amaſiæ affectatis geſtibus, blandulíſque verbis gratioſum ſeſe exhiberet, medicina efficaciter operante, ſuis excrementis inſigniter defœdaretur, antequam ad medium concionis eſſet peruentum, Vnde deſcendere non audens, totum hiſce ſordibus commacúlauit ſuggeſtum: ita vt fœdiſſimi huius liquoris fiſtulatim excuſſi aſpergine, qui proximiores erant (vach naribus, vach auribus) miſerrimè conſpurcarentur, totaq; Eccleſia ſumpti paulò antè ientaculi fœtorem quaquauerſum redoleret. Itaque ſumma cum confuſione inde ſe proripiens, de cætero procum agere deſijt.

Tom 3. Sur. 12. Maij. cap 38. Idem de Carpo ſcribit Dionyſ. Areopag.

VERVM vt aliquando finem faciã, concludam caput hoc, verbis Ioannis Cyprij; qui in vita S. Epiphanij, huiuſcemodi de eo commemorat exemplum. *Tempore*, inquit, *oblationis nunquã perficiebat oblationem Epiphanius, donec vidiſſet viſionem, conſueueratqúe beatus præfari verba quædam, & ei ſtatim reuelabatur. Cùm itaque aliquando ter*

do ter dixiſſet ſermonem, nulla ſe ei obtulit viſio. Cùm is autem lugeret & oraret, vt ſibi cauſa ſignificaretur, primus obſeruat Diaconum, qui à ſiniſtris tenebat ventilabrum miniſtratorium. Quem cùm obſeruaret, conſiderat Epiphanius in fronte eius apparere lepram. Nulli autem erat manifeſtum, Diaconum eo morbo laborare. Epiphanius itaque manum extẽdit, & inſtrumentum leuauit miniſtratorium, ei benignè dicens, vade, fili, in domum tuam, & ne modò ſumas diuina myſteria. Ipſe autem ſtatim egreſſus eſt, & iuit in domum ſuam, datqúe Epiphanius ventilabrum alij Diacono. Cùmque diuina verba incepiſſet cùm metu & lachrymis, vbi perfecit, ſtatim vidit viſionem. Poſt Eccleſiæ autem dimiſſ onẽ, accerſito Diacono, ex eo ſciſcitatur cauſam. Cumqúe is diceret, quod illa nocte dormierat cum vxore: accerſito toto ordine ſacrato, eis benignè dixit Epiphanius: Quicunque, ô filij, clero digni eſtis habiti, ſoluite calceamẽta veſtra, vt non in ijs ingrediamini, & vt colatis virum ſanctum, qui in Eccleſia prædicat & dicit: Et habentes vxores, tanquam non habentes. Ex hinc ergo non amplius ordinabat Epiphanius eos, qui haberẽt vxorem, ſed viros ſanctos, qui vitam exercebant monaſticam, & viduos viros probatos. Hactenus ille. 1. Corint. 7.

CAPVT XLIX.

ADDIS deinde, & alia huius generis eſſe mille, quæ nullis diuinarum litterarum teſtimo-

ſtimonijs fulcita, ſolis (vt præcipui quiquę Romanæ Eccleſiæ Doctores fatentur) Traditionibus, humaniſque adinuentionibus nituntur. Certè ſi in mille articulis ab auorũ deſciuiſtis fide, heu nimis longè ab antiqua Eccleſiæ Catholicæ ſinceritate deuiaſtis; adeò vt iam non mirer Gallicorum hæreticorum legatos Bizantij apud Turcarum Proceres, (Baſſas vulgus nominat) vltrò, vt ſuprà diximus, faſſos, Hugonotarum religionem haud procul à Mahumetana diſſidere. Quæ res etiam noſtros induxit Batauos, vt dimidiatam lunam, Turcicæ gẽtis inſignia, è collo tali cum Inſcriptione aliquãdiu ſuſpenderint; *Turcæ prius erimus quàm Papiſtæ.* Itaque magna animi contentione ante annos aliquot Caluiniſticæ in Francia Synagogæ profeſſores, Carolum Boyſotũ inducere conati ſunt, vt iter Conſtantinopolim pararet, incitaturus ibidem Turcarũ Imperatorẽ, vt per Velonam, ſuę ditioni ſubiectã, Tarentum petens, Italiã deinde inuaderet, Neapolim Romamq; pòſt occupaturus: ſe interim Belgicarũ ditionũ vrbes ſibi ſubiecturos, Turcicæque nationis dominio addicturos. Verùm Carolus gentis tyrannidem, atq; in Chriſtianos omnes Vatinianum odiũ non ignorans, legationis huius munus obire noluit, ſciens quàm infenſo in hæreticos animo ſit Turca, ob illorũ perfidiam, rebellionẽ, proditionem, ſimultates, ſummamq; inconſtantiã. Sed neq; hîc ſtetit res, quin Beza an. 1575. denuò ſuis cum Caluinianæ

Vide lib. 7. Collat. Sacr. Tilmã. Bredenb. c. 19.

nianæ ſectæ Miniſtris concilio habito, eo inclinaret animũ, vt amicitiæ fœdere cũ Turcis inito, omnia ſeditionibus ac bellorũ tumultibus per totũ Chriſtianiſmũ ſurſum deorſumq; miſcerent: quo vel ſic tandẽ liberi' omnes regni Chriſtiani proceres ſuæ factioni parum fauentes, internecione delerent. Cuius quidẽ peſſimi cõſilij ſucceſſum tuliſſent optatũ, nî Condęus Princeps, aliquanto clemẽtioris animi vir, nefarijs illorum obſtitiſſet conatibus, dicẽs ſe nullo modo tam ſceleratæ ac noxiæ rei aſſenſum præbiturũ; quin potiùs ſi extremi periculi vrgeat neceſſitas, malle ſe gregarij adinſtar militis, cum enſe ſolo ac chlamyde aliô militatum concedere, quàm tanti mali occaſio dici ac haberi. Neque quicquam importuna Miniſtrorum inſtantia profuit, inculcantium ſubinde Iunonium hunc verſiculum,

Flectere ſi nequeo Superos, Acheronta mouebo.

à quo non magnoperè diſcrepat quod anno 1519. Lutherus Lipſiæ de nouitatũ ſuarum adinuẽtionib' protulit, dicẽs: *Neq; hac res propter Deum cœpta eſt, neq; propter Deũ finietur.* Cùm ipſe ego in Germania de ſuperiorum meorũ volũtate demorarer, duo reperti sũt Heidelbergæ hæreticę prauitatis Prędicãtes primarij, qui literarũ ſuarum denunciatione, magnũ Turcarũ Imperatorẽ, vt in Germaniã acceleraret, exiſtimularunt, omnem ei ſuã in propaganda Mahometana perfidia operã pro virib' deſerentes. Horum è numero vnus fuit, Ioannes Syluanus, alter verò

tinetur, vel per manifeſtam conſequentiam non inde queat elici. Quod cur credatis, velim mihi ex ipſis ſacris literis, quas toties in ore habetis, demonſtretis. Sed quantum video verborum nænias, demõſtrationum adfertis loco. Atq; ideo nugaris *reformatos Euangelicos cætera omnia reſpuere*. Vnde ſequitur, vos per electionem, vt olim Arriani ac alij hęretici omnes id aſſumere quod vultis, vt hac ratione proprio ſatisfaciatis iudicio. Verùm enimuerò, obſecro te, mi amice, dic nobis cur cætera omnia reſpuitis, nihilq́ue præter Scripturas acceptatis? Si tale quid ſcripturæ produnt, cur locum non indicas; vt quam inde conſequentiã illaturus ſis probè conſpiciamus. Si autem non; certè mendacij te ipſum reum agis. Obſtat enim prauis opinionibus veſtris omnis antiquitas, ac venerãda ſuperiùs à me allegata Sanctorũ Patrũ authoritas: qui vt ſummę pietatis ac perſpicacis ingenij fuerũt, ita multò accuratiùs profundiuſq́ue genuinũ diuinarum literarũ ſenſum, omneſq́; eius conſequẽtias, perſcrutati ſunt, quàm vos nouelli ac nuperi hæretici. Atq; ideo tuum ſinũ inſpice, propriamq́ue conſcientiam diſcute, num impiæ libertatis ſectas conſectemini: cuius vnicum fundamentum, propria eſt voluntas. Hoc enim tutè ipſe apertè præ te fers, dicens: *Omne id à vobis reſpui quod non vel expreſſo Dei verbo continetur, vel per debitam conſequentiam inde non poteſt elici.* Hoc autem nuſquam in ſacro

reperies eloquio, ſed tantùm in tuo malè ſano cerebro; cui in tantum inniteris, vt illa quæ veſtris contrariantur ſtudijs prauiſq; opinionibus, in ſcripturis haberi audacter neges, licet antiquorum Patrũ alia interim ſit ſententia. Itaque veſtrum ſentire ſanioribus tantorum virorum expoſitionibus, longè præfertis; non quod vos melius de rebus diuinis ſentiatis, ſed quod à ſtolida quam ſemel imbibiſtis opinione, nullatenus deſciſcere velitis.

Verùm quia ad finem iam decurrit oratio, diuinum imploro numen, vt mentis tuæ tenebras atque oculorum caliginem depellat, animumque emolliat, teque ipſum ſimul peramanter obſecro, vt rerum futurarum atque æternitatis memor ſis, meamque hanc verè fraternam admonitionem, placido accceptes animo; nec non & ſeptem hæc puncta ſubſequentia ſedulò tecum pertractes. I. Nos Catholicos ne vel latum vnguem ſacris repugnare ſcripturis. II. Fidei noſtræ dogmata his ſolis niti, ac non humanis adinuentionibus. III. Nos in omnibus conuenire cum Sanctis, qui primis ſexcentis aut ſeptingentis annis vixère, vti totus hic probat liber, Orthodoxis Patribus. IV. Ipſam eandem fidem noſtram adhuc indies variorum perpetratione miraculorum confirmari, ac celebriorem reddi. Ad hoc enim *Marc. 16. 20.* (vt Marcus ait) Dominus potiſſimum cooperatur, vt nimirum veram ſuorum prędicatio-

tio-

tionem ſequentibus ſignis corroboret; quod apud vos ne vel in minimo accidiſſe, compertiſſimum eſt. v. Vnanimiter fidẽ noſtrã Catholicam per totum terrarum orbem coli, obſeruarique; adeò vt ſecundùm accuratiſſimã D. Auguſtini regulã, nullatenus dubitandum, quin *ſi quid per orbem frequentet Eccleſia, id nobis etiam faciendum* ſit; nam *hac de re diſputare vlterius*, vt idẽ ait, *inſolentiſſimæ inſaniæ eſt*. Itaque quæ toto terrarum orbe obſeruantur, dantur intelligi, vel ab ipſis Apoſtolis, vel plenarijs Concilijs, quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima auctoritas, commendata atque ſtatuta retineri. Quomodo enim alias tam vnanimi conſenſu hæc vbique æquè ſtudioſè obſeruarentur? v i. Fieri non poſſe, quin ſi reformata veſtra fides, ſola eſt vera atque vnica, qua ſine ſaluari nemo queat; omnis veſtri aui ac proaui, immò quotquot poſt primos ſeptingentos annos extitêre, iam ad æternas gehennæ pœnas ſint relegati. Quippè qui ſecundùm ſententiam veſtram nunquam probè Chriſtiani fuêre. v i i. Nos Catholicos euidentibus plurimorum miraculorũ diuinarumque apparitionum teſtimonijs certos eſſe, complures qui noſtræ religionis extitêrunt, iam perpetuum cum Chriſto æuum agere: cùm interim vos ne vnum quidem è toto Lutheranorum Caluiniarumque grege nominare poſſitis, quem diuini teſtimonij declaratione ſempiterna gehennæ

Epiſt 118. cap. 5.

Ibid. cap. 6.

tormenta euaſiſſe conſtet. An non ergò res digna hæc quæ ſumma animi ſollicitudine ruminetur pertractetur que? Reſeret itaque pectoris tui penetralia, diuinæ bonitatis gratia. Nobis etenim Catholicis perfacilè quidem eſt quibuſcunque hæreticis efficacibus rationibus os obturare, adeò vt quo ſe vertant, quidque reſpondeant, diſpicere nequeant; verùm enimuerò ſolus Deus hominum præcordia emollit, atque ad agnitionem ſanæ religionis inclinat, quippè cùm fides donum Dei ſit.

FINIS.

APPROBATIO.

PRæſens hoc opuſculum à me Petro Vinckio, S. Theologiæ Licentiato, ac Chriſtianitatis Bruxellenſis Decano viſum ac relectum, tale eſt repertum, quod cum fructu ad bonam Lectoris inſtructionem queat imprimi. Actum Bruxellæ. 27. Iulij, anno 1594.

Petrus Vinckius.

VITTORIO EMANUELE BIBLIOTECA IN ROMA

INDEX

Digitized by Google

INDEX MATERIARVM HVIVS OPERIS.

De nomine Pontificia Eccleſia. pag. 3.
De nomine Romana Eccleſia. 4
De nomine Catholica Eccleſia. 4. & 39
De nomine Euangelica Eccleſia. 6
De nomine Reformata Eccleſia. 7 & 24
De verbo Sectarij. 299
De verbo Babylon. 289. 299
De verbo Auricularis Confeſſio. 410. & ſeq.

SCRIPTVRA.

Cauſſa Scripturarum noui Teſtamenti. 185
Chriſtus vetuit ne omnia ſcriberentur. 181
Catholica doctrina ex Scriptura confirmatur. 73
Quo pacto S. ſcriptura ex conſequentia agnoſcatur. 195
Omnis Catholicorum doctrina bona ex conſequentia ſcripturarum probatur. 317

TRADITIO.

De Scriptura ſancti Spiritus in corde Sancta Eccleſia. 185
Triplex Traditio { Diuina. 161
Apoſtolica. 163
Humana. 166 }
Noſtram fidem eandem eſſe cum Apoſtolorum. 21
Catholicorum doctrinam nullatenus interpolatam. 40
Multa Traditiones probantur diuina aut Apoſto-

lica eſſe. 169. 171. 173. 176
De fide Græcorum, Syrorum, & Chaldæorum. 60

PONTIFEX.

De titulo Oecumenici. 259. & ſeq.
De Pontificis authoritate ex Scripturis. 317
De eadem ex Concilijs. 47. & ſeq.
De eadem ex epiſtolis Decretalibus. 15
De eadem ex antiquis Patribus. 20. & 318
De eadem ex B. Gregorio. 255
De eadem Sanctorum ſententia. 262
Omnes Epiſcopi Romano ſociantur Pontifici. 19
Gregorij Pontificis Catholica inſtructiones. 247
Cur hæretici omnes Pontificem oderint. 264.

ECCLESIASTICI.

De diuerſis officiorum generibus in S. Catholica Eccleſia. 319.
De Epiſcoporum ordinationibus. 15. 130. & ſeq.
De mitra Epiſcopali. 118
De Cardinalibus. 116
De Catholicis Doctoribus. 168
Qui nam veri ſint cenſendi diuini verbi præcones? 129.
De habitu Monaſtico. 319
De Cœlibatu Sacerdotum aliarumq́; perſonarum Eccleſiaſticarum. 38

SANCTI.

Certo certius conſtat de plurimorum ſalute Catholicorum, de hæreticorum verò non. 290.
De Sanctorum inuocatione. 45
De officio Mediatoris Christi. 43. & ſeq.
De Peregrinationibus. 448. & ſeq.

De

De Sacrarum cultu Imaginum. 824. & ſeq.
De primis Iconoclaſtis. 330
De Miraculis. 239

SACRAMENTA.

De numero Sacramentorum. 355. & ſeq.
De Sacramento Confirmationis. 338. & ſeq.
De Sacramento Pœnitentiæ. 361
De Confeſſione. 410. & ſeq.
De ciborum delectu. 32. & 33
De Purgatorio. 434
De Indulgentijs. 419 & ſeq.
De Sacramento Ordinis. 363. & ſeq.
De Sacrament. extremæ Vnctionis. 374
De Sacramento Matrimonij. 378. & ſeq.

MISSA.

De Miſſæ ſacrificio, pro viuis pariter ac defunctis. 394
De Sacerdotio Melchiſedechico. 394 & ſeq.
Malachia Propheta de Miſſæ ſacrificio vaticinatur. 401
Quid veteres Orthodoxæ Eccleſiæ Doctores de hoc ſacrificio ſentiant. 226. 228
De Miſſis priuatis. 391
De Tranſubſtantiatione. 408
De pretioſo ornamentorum in diuino officio cultu. 348. & 353.

LVTHERANI HAERETICI.

Quàm enorme peccatum ſit hæreſis. 83
De Inquiſitione in hæreticos. 87
Lutherani maiorem inuehunt mutationem, quàm Lex noua à Veteri diſtat. 141

Scripturarum veritati fidem derogant. 203
Sincerum Dei verbum haud quaquam docent, ſed potius humanarum inuentionum opiniones inſtitutioneſqúe. 280
CHRISTVM *mendacij arguunt.* 248
Ipſorum commenta ante Lutheri aduentum nuſquam in mundo exſtitêre. 28
Maiores ſuos & proauos ad vnum omnes damnant. 96. 274
Ipſorum Miniſtri non per oſtium intrant in ouile, ſed irrepunt aliunde. 136
Coruorum ac picarum æmulantur mores. 131. *in fine.*
Lutheranicæ aliquot ſectæ. 72
Lutherus à nemine miſſus, ſe ipſum intruſit. 138.

INDEX

INDEX VERARVM ALIQVOT HISTORIARVM HOC OPVSCVLO CONTENTARVM; DE MORIBVS MAXIMÈ hæreticorum Prædicantium.

GRæci Lutheranos noſtros execrantur. 61.62
Antiochanorum Patriarcha breui fuit Romæ. 62
Chaldæi Tridenti, ac Coloniæ fuêre. 63.64
Ambaſſatores Indorum quando, & quo pacto Romam venerint? 70.71
Fidei Orthodoxæ in Mexico propagatio. 82.83
Sumptuoſus ornatus Baſilicæ S. Petri Romæ anno 413
Vltio diuina in ſacrilegos. 353.354
Diaconus S. Epiphanij diuinitus ob ſuam incontinentiam punitus. 474.475
Peregrinatio S. Baſilij aduerſus Iulianum Apoſtatam. 452
Peregrinatio Ioannis Heremitæ, commendantis cæreum ſuum Diuæ Virgini. 454
Adſertio Purgatorij ex B. Gregor. 441
De ſtatua Chriſti Cæſareæ. 324
Duo miracula de Miſſis pro defunctis ſacrificio. 405, 406
Totidem miracula de S. Chriſmate. 360
Miraculum quod Haſſeleti in demolitione crucis accidit. 335
Tranſlatio ædiculæ Lauretanæ. 457
Inſignia aliquot, quæ ibidem accidêre, miracula 458
De ſtatua S. Anthonij Syluaducis. 336

DB

DE LVTHERANIS, DEQVE ipſo Luthero.

De Lutheri in cœlis praeminentia, ac ſingulari gloria. 292
Eius cum dæmone conuerſatio. 8.293
Eius crudelitas ac ſuperbia. 143.310.311
Quod Zuingliani de illo ſcribant. 198
Eius Purgatorium. 435
Diſpẽſat cum Lantgrauio, ut vno eodemq́; tempore ſimul duas habeat vxores. 283
Lutheri miracula. 144
Caluini miracula. 144
Cirola miracula. 145
Lutherus expoſcit à Thoma MuntZero miraculorum confirmationem. 141
Lutheri infœlix obitus.394.exequia. 296
Eius imagines. 291.331

LVTHERI DISCIPVLI.

Andrea Carolſtadij fuga. 31.82
Eius obitus. 297
Conſilium Melanchtonis, nepti ſua datum. 84
Caluini miſerrimus interitus. 296
Andrea Oſiandri mors. 297
Theodorus Beza Generalis Caluiniſtarum Superintendens. 143.267
Eius libidinoſa ac tumultuoſa vita. 304.& 305
Martini Buceri interitus. 395
Ioannis Oecolampadij mors. 395
Obitus Hermanni, Torpatenſium Pradicantij. 297
Ioannis Iouellij pradicatio & mors. 299
Ioannis Knoxij primi in Scotia Pradicantis interitus. 298
Adami Herioti, Scotorum Miniſtri, obitus. 298

Conſi-

Digitized by Google

Conſilium Abbatis S. Bernardi, ſorori ſuæ datum, eiuſq́; miſerabilis mors. 84

Apparitio Leceſtrÿ Comitis poſt obitum. 107

Leopardus Prædicans, auribus à carnifice ſpoliatus. 307

Petrus Viretus, Prædicans. fur. 303

Ioannes Stoltzen, Prædicans, fur. 303

Stephanus Marnerius, Prædicans, cauterio in dorſo notatus. 202

Blauzonius Prædicans, carnifex. 303

Petrus Dathenus, Prædicans, iatraleptes, ſeu circumforaneus. 125

Thomæ Smetonÿ infœlix obitus. 298

Prædicantius in Auerbaim, barbitonſor ſimul ac lyricen. 125

Paulus Meſtenius, Prædicans, vtens famulâ ſimul ac vxore. 384

De M. Chriſtiano, Lirano concionatore, idem factitante. 387

Doctoris Sanderi, Caluiniſtarum Archiepiſcopi adulterium egregiè vindicatum. 384

Quidam Lutheranorum Miniſter, Riualia monialem ducens, decollatur. 388

M. Andreas Kells Miniſter, ante concionem cũ dæmone ſermocinans, vxorem interemit. 388

Lepida admodum de Condæi Principis Prædicante, hiſtoriola. 367

MINISTRI.

Miniſtri pro Magiſtratus arbitratu ſuas accõmodant conciones 126

Lutheranorum Miniſtrorum initiatio. 113

Volunt eſſe participes rerum Eccleſiaſticarum ſacrilegè direptarum. 348 349

De duobus qui ante concionem inſigni ſeſe præparauerant ientaculo. 223

De quo-

De quodam Miniſtro collegam ſuum veru ex ſuggeſtu deturbante. 225
Commutant interdum vxores. 382
De duobus Miniſtris matrimonia cõciliãtibus. 472
Bohemus quidam Miniſter, quàm ſuauiter à ſua exceptus fuerit amaſia. 473
Nobiles ipſimet ditiores ſuas parochias adminiſtrant. 127
Miniſtrorum indulgentia. 433
Quo pacto pro defunctis orent. 446
Miracula quæ perpetrant. 145
Hughonotici Miniſtri Turcis ſuas offerunt occupãtas ditiones. 9
Tubingenſes Lutherani Conſtantinopolitanum Patriarcham ad Lutheraniſmum conabantur inducere. 61. & 266
Lutherani ſtudent Eccleſiaſticos ſimul ac Nobiles extinguere, & abolere. 309
Horrenda ipſorum in Catholicos tyrannis. 96
Anglorum in Catholicos edicta crudeliſſima. 98. & ſeq.
De effatica Caluiniſtarum cœna. 222
De quodam qui ſub ipſa cœna ſeniorem quendam transfodit. 223
De duobus qui pugnis ſeſe mutuo erudiebant, ad melius capeſſendum S. Scripturæ ſenſum. 311
Qualis reuerentia Angliæ Reginæ Eliſabethæ à ſubditis exhibeatur. 333
De diſcordi Concordiæ libro. 383
Faceta admodum hiſtoria ac lepida, de quodam F. Lamberto Minorita, inſigni aſtu tractante, hæreticum quendam Prædicantem, antea Monachum. 367
Eraſmi de Euangelicorum reformatorum moribus, inſignis ſententia. 95. 140
Cal-

Digitized by Google

Caluiniſtarum in Catholicos horrẽda crudelitas. 93
Quo pacto SS reliquias tractent. 96 97
Leceſtriæ Comitis infœlix in Anglia obitus. 106
De Franciſco, Dauentrienſium Concionatore, à ſuis in Eccleſia iugulato. 299
De duobus miniſtris. 472.473
De cœlibatu Sacerdotum. 463 & ſeq.
Diaconus S. Epiphanij de Cœlibatu Sacerdotum.

FINIS.

PRAELI ERRATA SIC corrigenda.

PAg. 3. l. 10. lege ſucceſſores. p. 12. l. 14. à fine. tantum, non Deum. p. 13. l. 10. à fine. labente Eccleſia. p. 16. l. 2. vniuerſalis. p. 3 . l. 10. VVittēbergâ: p. 32. l. 12. à fine habuerunt. p. . 9. l. 11. Quaſi. p. 40. l. 12. à fine. ethnicis cultoribus. p. 46. l. 11. proprijs. p 46 l. 12. à fine. tui. p. 43. l. 29. infinitus. p. 71 l. 29. Lutheranos. p. 72. l. 7. ſiue. p. 124. l. 4. Antitheſium. Ibid l. 7. dicis. p. 125. l. 6. parât. p. 122. l. 4. deeſt, vocatio. p. 114. l. 7. deeſt. anno 220. pag. 129. l. 16. concionator. p. 32. lin. 12. à fine, habuerunt. p. 146. l. 29. ſiſterent. p. 175. l. 8. à fine. Apoſtolos. p. 163. l. 17. Concilia. p. 217. lin. 5. à fine. Proterius. 270. l. 1. quique. Ibid. lin. 5. in herba. p. 271. l. 5. Ad quæ. Ibid. l. 8. à fine. cacodoxa. p. 289. l. 16. indigitari. p. 291. l. 13. Alberus. p. 208. l. 5. deſideratur, Non. p. 205. l. 24. deeſt, apud. p. 106. l. 12. orationeque. p. 208. l. 17. indicij. p 122. l. 4. deeſt, vocatio. pa. 207. l. 4. à fine. quid. p. 206. lin. vlt. aſcendis. p. 198. l. 4. lucidam. pag. 198 l 16. aliorumque. p. 199. l. 2. Sodomiæ. . pag. 233. l. 19. Vigilantium. p. 241. l. 16. ſinibus. p. 241. l. 2. donata. p. 251. l. 13. liberè. p. 247. l. 3. elargitione p. 249. l. 11. digniſſima. p. 257. l. 18. trāſtulit. p. 259. l. 10. Anatholius. p. 297. l. 13. dependentis. Ibid. l. 21. excucullatus. Ibid. l. 28. horribilique. p. 263. l. 11. deeſt, &. p . 264. l. 15. detrectent. Ibid. l. 21. dele, in. p. 273. l. 11. propugnatrix. pag. 274. lin. 10. iri. pag. 271. lin. 13. tenebris. pag. 276. lin. 14. at. p. 281. l. 22. cerebro. p. 282. l. 24. charactere. p. 286. l. 23. deeſt, ac. p. 287. l. 7. proferent. p. 291. l. 2. deeſt, vt. p. 291. l. 22. patet. p. 292. l. 7. venerandus. p. 293. l 8. obierunt. p. 298. l. 13. aliquanto. Ibid. l. 12. Smetonius. pag. 302. l. 13. ferri. p. 303. l. 17 dele, ne. p. 304. l. 10. marito. Ibid. l. 16. obiurgatus. p. 310. l. 24. deeſt, Non. p. 313. lin. vlt. deeſt. Nos. pa. 326. l. 17. donum. pag. 333. lin. 16. indebiti. p. 334. lin. 28. confractæ. pag 335. lin. 2. oxali. pa. 338. l. 28. obtulerit. pag 340. lin. 16. dele, ad. p. 344. lin. 23. nos. pag. 345. lin. 9. humi. pag. 346. lin. 6. præſentiorem. pag. 348. lin. 30. dilutique. pag. 349. lin. 12. vt. pag. 354. lin. 3. eum. pag. 358. lin. 19. dele, ac. pag. 361. lin. 13. dimittant. pag. 368. lin. 2. arrideret. pa. 370. lin. 11. ſternito. Ibid. lin. 16. reliquijs. pag. 371. lin. 19. ne. pag. 373. l. 16.

Digitized by Google

lin.16.Chriſtianæque.pag.374. lin.9. externum. pag. 375.lin.21.dele, ita.pag.378.lin.10.redintegratur.pag. 382. lin.28.Magiſtratum.p.367.l,21.penſu. pag. 384.l. 3.Præpoſitum.Ibid.lin.8.quæreret.pa.385.lin.10.conceptæ.ibid.lin.25.incredibili. pag.390.lin.3. heram. pag.391.lin.19.vtcumque.ibid.27.Anachoretæ.pa.392. lin.13.domicella.pag. 410. lin. 3. auriculari.ibid.lin. 36.indicijs.pag.385.conceptæ.

Reliqua errata Lector per ſe facile commendabit.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

J. 3-2

Digitized by Google